
Francesco Rossi [illegible]

in Roma


36
16 E
8





1

FORMVLAE LATINARVM LOCVTIONVM ILLVSTRIORVM.



STEPHANO DOLETO GALLO AVRELIO AVTORE.



Prima Pars conflatas ex nomine, & uerbo locutiones habet.
Secunda significationem, & constructionem uerborum profert.
Tertia usum particularum indeclinabilium demonstrat.









LVGDVNI,
APVD EVNDEM DOLETVM,
1539.

Cum priuilegio ad Decennium.

2

CALCHOGRAPHIS, ET BIBLIOPOLIS SALVTEM.

EA NOS humanitate, & beneficio ob assiduos nostros in rem literariam labores nuper compræhendit Franciscus Valesius, Gallorum Rex, ut, quicquid à nobis erit posteà compositum, uel aliis cuiuslibet linguæ Libris cum insigni aliqua emendatione, & doctrinæ cumulo adiectum, uel recenter ex Exemplaribus nostris in lucem editum, id ne quis, secundum ea exemplaria (nos enim, ut Vergilianæ illæ Oues, pro aliis sine quæstu uellera feremus?) ante decennium in quouis Gallicæ ditionis loco uel excudat, uel uendat. Huius uos rei certiores in tempore fecimus, ne singularem in nos Regis liberalitatem ignoretis, & à damno nobis importando abstineatis. Itaq; Regis uoluntati morem gerite: nisi mulctam pendere, uobis sit antiquius, quæ in Priuilegii nostri diplomate continetur.

STEPHANVS DOLETVS
GVLIELMO BELLAIO
LANGEIO S. A.





ERTIO MEORVM Linguæ Latinæ Commentariorum Tomo propediem in lucem emittendo, poſthabita reliqua omni cogitatione, totus ſanè uacabam, cùm ecce crebræ ad nos commeant plurimorum undique Amicorum literæ, id unum omnes uelut ex eodem præſcripto flagitantes, ut pro meo perpetuo in eloquentiæ ſtudioſos animo compendiarias quaſdam ſplendidioris ſermonis formulas Iuuentuti conſcriberem. Ego uerò cùm cauſarer, grauiori me labori deſtinatum, & id ipſum, quod tantopere poſtulabant, utroque meorum Commentariorum Tomo cumulatè præſtitum, inſtabant grauiori, quàm antea, contentione: eumq; pro acerrimo ſtimulum adhibebant, id ſcilicet, quod petebatur, non multi neque negotij, neque temporis eſſe: & factu ei perfacile, qui omneis Linguæ Latinæ diuitias in promptu, numerato'que haberet. Ergo precibus tam importunis uictus, intermiſi, mihi quod in manibus erat, & meam in his Formulis conficiendis operam collocaui. Abſolutum eſt autem tandem Opus: quod & propter meam in te obſeruantiam, & inauditam tuæ doctrinæ, eloquentiæ'que magnitudinem tibi dicatum uolo. Nam cùm eo conſilio huius Libri conſcribendi onus ſuſceperim, ut rudiorem Iuuentutem re ſemper aliqua iuuem, non facilè quidem mihi in mentem uenit, cui aut pluribus, aut iuſtioribus de cauſsis rectiùs, quàm tibi, inſcribatur: tibi inquam, diuino omnibus propoſito ad literas, & eloquentiam amplectendam exemplo: tibi iterum, qui primus apud Gallos Palladem cum Marte coniunxiſti, id eſt, qui inter armorum ſtrepitus, & aſsiduam Regiorum mandatorum procurationem literas ſic ſemper coluiſti, ut eas coli ſemper debere, te Magiſtro nunc omnes arbitrentur: nihil'que Nobilitati (quod hactenus longè ſecùs accidit) tam conuenire putent, quàm literarum ſtudium, & promptam eloquentiæ facultatem. Id quod totum tibi debet Gallia. Itaque hîc erit & perpetuum noſtræ erga te obſeruantiæ pignus: & conſtans de tua præſtantiſsima doctrina iudicium: & certa tui in Galliam beneficij teſtificatio. Operæ uerò noſtræ ut faueas, & id muneris, non te quidem ſatis digni, acceptum habeas, à te ambitioſiùs non ro-

gabo, qui ea humanitate es, ut nullos cuiusquam conatus, uel labores asperneris. Nos igitur de munere nostro ama, Quod non eo apud te loco esse uelim, ut re tam leui pro immensis tuis in me studijs, & meritis tibi satisfactum existimes: sed ex hoc potiùs speres, sic nos in te animatos, ut, priusquàm laudum tuarum immortalitati gnauiter incubuerimus, non simus conquieturi. At tu currenti (quod prouerbio tritum est) addes calcaria, si hanc nostram maiora tibi dicandi uoluntatem æqui boni facies, & tibi non ingratam esse significabis. Vale. Lugduni Ad Calendas Aprileis. Anno à salute Mortalibus restituta, M. D. XXXIX.

DE LIBRI ORDINE

AD LECTOREM.



RO RE NATA, & susceptа, modò me elatum, modò humilem cognoscas, Lector. In utroque nostrorum Commentariorum Tomo, quanta licuit ingenij ostentatione, ordinem, & dictionum significatione inter se affinium perpetuationem seruauimus. In his Formulis uiam aliam sequimur: breuiores nobis cancellos circunscribimus. Itaque sic habeto: multas hîc à me dictiones explicari, quas in Tomis nostris non reperies. Eas uerò, quæ iam in Tomis expositæ sunt, breuiùs hîc enucleari: nullis scilicet, nisi admodum necessarijs, exemplis: non uerbosa interpretatione, facili tantùm compendio. Sed tamen non omnem laudis causam in re etiam leui negleximus. Nempe ut nostri simus semper similes, & arte aliqua uti uideamur, si quæ sint dictiones paulò magis significationis diuersæ, ac uariæ, id continuò demonstramus. Contraria item (ut in Commentarijs nostris) in locutionibus opponimus. Elegantiam uel ex Adiectiuis, uel ex Substantiuis, uel ex Verbis manantem indicamus. Quæ omnia legendo perspicies. Elenchum autem Vocum ne Operi addiderimus, fecit ordinis alphabetici ratio, quam hîc sequuti sumus.

AD EVNDEM.

Si grauis est nimiùm sumptus, uel pondus iniquum
In magnis Libris: en tibi parua paro.
Parua quidem: sed quæ scripturo cuncta ministrent,
Est quibus, ut tersis tersa loquaris, opus.
Sic Cicero, sic Cæsar, sic Sallustius olim,
Sic Liuius scripsit. Tu quoq; sic loquere.

FORMVLAE LATINARVM LOCVTIONVM ILLVSTRIORVM.

STEPHANO DOLETO GALLO AVRELIO AVTORE.

ABDOMEN.



ABDOMEN *ita nonnulli interpretantur, ut ſit pinguedo, quæ ſpinæ adhæret, & in qua renes iacent. De quo ita Corn. Celſus, Lib.4. Ipſa ilia inter coxas, & pubem in imo uentre poſita ſunt: à quibus, ac pube abdomen ſurſum uerſus ad præcordia peruenit.*

PROPRIA EA EST *abdominis ſignificatio. Tranſlatè uerò apud Latinos pro uitio uentris, ac gutturis (quam guloſitatem uocant) non raro reperitur. Vnde manant ſequentes locutiones.*

Abdomini natum eſſe.
Abdomini operam dare.
Abdomini indulgere.
Abdomini inſeruire

ABERRATIO.

VERBI *ſui propriam ſignificationem ſequitur aliquando hoc nomen. Verbum autem, à quo ducitur, propriè poſitum ſolet uſurpari pro à uia recta per errorem digredi, deflectere, diſcedere: hoc eſt, rectam uiam non tenere. Sic aberratio, ſi propriè ſumetur, erit digreſſus à recta uia. Verùm longè uenuſtior eſt, dum tranſlatè accipitur. Et tunc idẽ eſt quod auocamentum: loquimurq; per hanc uocem, ut mox ſubiectæ loquendi formulæ demonſtrabunt. In quibus id diligenter obſeruato, aberrationem eſſe non à rebus iucundis, & gratis: ſed à moleſtis, & dolore nos aliquo afficientibus.*

Aberrationem à re aliqua quærere.
Aberrationem deligere.
Aberrationem habere.
Aberrationem alicui eſſe.

ABSCESSIO.

ABSCESSIO *idem eſt quod diſceſſus: & opponitur acceſſioni.*

Abſceſsionem fieri.
Abſceſsionem inferri.

ABSOLVTIO.

PONITVR *interdum hoc nomen pro perfectione. Interdum uerò pro liberatione. Vnde dicunt:*

Abſolutionem fieri.

ABVNDANTIA.

ABVNDANTIA *idem eſt quod ubertas, copia, uel affluentia.*

Abundantiam gignere.
Abundantiam ſuppeditare.

ACCEPTVS.

ACCEPTVS *idem interdum eſt quod gratus: ut: Deo nihil eſt acceptius, quàm, &c. Opponitur uerò aliquando expenſo, & dato.*

Acceptum aliquid habere: *id eſt, gratum.*
Acceptum aliquid alicui eſſe.
Acceptum referre. *Duæ erant apud Veteres rationum tabulæ: prior accepti: & poſterior expenſi. Eas poſteà mutato dicendi genere, ut pleraque alia, Barbari immutarunt: & tabulæ dati, & accepti dictæ ſunt. Receptam etiam uulgò appellamus, & impenſam. Quòd autem accepti, & expenſi tabulæ apud Latinos uocarentur, teſtatur Cicero in oratione pro Roſcio Comœdo: Tabulas, inquit, Fannius accepti, & expenſi profert ſuas. Et paulò pòſt. Vtrum cætera nomina in codicem accepti, & expenſi digeſta habes, an non?*

ACCEPTVM *autem referre, eſt ſcribere, ſe accepiſſe: id eſt, in accepti paginam referre. Cùm enim Latini ſcribebant in tabula accepti, ſe pecuniam ab aliquo accepiſſe, ſe illi dicebant pecuniam acceptam referre. Expenſum uerò ferre, eſt, ſcribere ſe pecuniam dediſſe, ut inquit Aſconius: ſcilicet cùm per ſingula expenſi nomina ſummam quandam expenſam aſcribimus. De his loquendi modis ita ſcribit Aſconius: Quæſtores (inquit) Vrbani ærarium curabant, eiuſq; pecunias expenſas, & acceptas in tabulas publicas referre conſueuerant. Ex quibus poſteà loquendi modus tranſlatus eſt: ut cùm quid officij in nos ab aliquo conferatur, id nos acceptum illi referre dicamus. Contra, ſi quid ab eo aduerſi accidat, improbitati illius expenſum ferre. Conſtat igitur, acceptum referre, id eſſe, quod in rationibus, aut in tabula uidelicet accepti deſcribebatur, ſolutum id eſſe ab aliquo, uel pro ſolutione admiſſum. Et id eſſe, ferre expenſum, quod in tabula expenſi notabatur, illud quidem deberi ſtipulata pecunia, uel alia re contra[illegible].*

ACCESSIO.

INTER *accessionem, & accessum id differentiæ uolunt esse Grammatici, ut accessus idem sit quod aditio, siue appropinquatio. Accessio autem idem sit quod adiectio, atque incrementum, & quicquid ad rem accedit.*

Accessionem quærere.
Accessionem facere.
Accessionem afferre.
Accessionem alicui esse.

ACCLAMATIO.

ACCLAMATIO *significat exclamationem: uel aduersam admurmurationem.*

Acclamationem inijcere.
Acclamationem vitare.

ACCVRATIO.

ACCVRATIO *est arguta quædam diligentia, uel expolitio.*

Accurationem adhibere.
Accuratione in re aliqua vti.

ACCVSATIO.

ACCVSATIO *est delatio, actus ipse accusandi: cui opponitur defensio.*

Accusationem factitare. *Id est: delationi se dedere.*

ACCVSATOR.

ACCVSATOR *dicitur, qui accusat.*

Accusatorem ponere.
Accusatorem apponere.

ACERBITAS.

ACERBITAS *modò sumitur pro miseria, uel pro tristitia ex miseria, & calamitate contracta. Modò uerò pro asperitate, uel austeritate usurpatur. Ex qua significatione ferè ducuntur sequentes locutiones.*

Acerbitatem habere. *Obseruato, hanc locutionem ad res, non ad personas, referri. Vt: Tua obiurgatio nimiam habuit acerbitatem: id est, nimiùm acerba, & aspera fuit.*
Acerbitatem adiungere.
Acerbitatem imitari.
Acerbitate vti.

ACERVVS.

ACERVVS, *idem est quod congeries.*

Aceruum construere.
Aceruum capere, *pro aceruum continere.*

ACIES.

ACIES *uario est apud Latinos significato. Sed propriè acumen ferri est. Vt acies falcis, cultri, & similium, quæ secant. Transfertur uerò ad multa: ut ad oculos, ad animum, ad autoritatem, & ad rem bellicam. Veruntamen duo tantùm locutionum membra facere, nobis placet: nempe cùm ad oculos refertur: & cùm de acie bellica intelligitur.*

AD OCVLOS, VEL AD *Animum pertinens.*

EADEM *est huius uocis translatio, cùm ad oculos, uel cùm ad animum conuertitur: neque in hoc genere quicquam oculis locutionis tribuas, quod non & animo tribui certè poßit. Nunc uerò ad locutiones.*

Aciem exercere.
Aciem dirigere.
Aciem deflectere.
Aciem abducere.
Aciem præstringere.
Aciem perstringere.
Aciem hebescere.

AD ORDINEM BELlicum spectans.

CVM *ad rem bellicam pertinet hoc nomen, significat exercitus instructionem, cùm ad dimicandum paratus est.*

Aciem exornare.
Aciem instruere.
Aciem statuere.
Aciem instituere.
Aciem dirigere.
Aciem collocare.
Aciem firmare.
In aciem procedere, vel prodire.
Aciem erigere.
Aciem porrigere.
In aciem educere.
In aciem producere.
Aciem promouere.
Aciem sistere.
Aciem inclinari.
Acie excedere.
Ex acie excedere.

ACRIMONIA.

ACRIMONIA *est uis, & impetus animi feruidior.*

Acrimoniam habere.

ACTA, orum.

INTER *acta, & gesta hoc differre Grammatici tradunt, quia illa sunt in administratione Magistratus, & in rebus maioribus, & ad Rempublicam, uel ad plura spectantibus: ut gesta Alexandri, gesta Pompeij, gesta Cæsaris. Acta uerò etiam rerum priuatarum, & minorum, ac familiarium: ut apud Cic. in prima Antoniana: An in Commentariolis, ac Chirographis, & Libellis se uno autore prolatis, ac ne prolatis quidem, sed tantummodò dictis, acta Cæsaris firma erunt? quæ ille in æs incidit: in quo populi iussa, perpetuasq; leges esse uoluit, pro nihilo habebuntur? Vbi benè docti quidam*

à Grammaticis dissentiunt. Illis enim uerbis Cicero significat, Commentarios priuatam esse memoriam: acta autem debere esse memoria publica testata, quæ in ærario esse solebat. ACTA DIVRNA uocat Suetonius, quæ per singulos dies fiunt, & scribuntur. De Cæsare: Inito honore primus omnium instituit, ut tam Senatus, quàm populi, diurna acta conficerentur. Sic uocat Cicero acta alicuius Mensis: ut acta Ianuarij: acta Februarij, & reliquorum Mensium. Sed iam ad locutiones.

In acta referre.
Acta conficere.
Acta tollere.
Acta rescindere.
Acta circunducere.
Actis fidem, & autoritatem derogare.

ACTIO.

ACTIO treis potissimùm significationes apud Latinos habet. Ponitur enim aliquando pro orationis pronuntiatione. Aliquando pro eo, quod uulgò dicimus operationem. Aliquando idem significat quod quæstionem, accusationem, uel petitionem: id est, ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur. Ex ijs tribus huius uocis significationibus non æquo numero locutiones deriuantur: sed ex duabus tantùm uaria loquendi genera possis colligere: scilicet cùm altera in opera, & conatu posita est. Altera in forensi strepitu. Prioris igitur significationis (de duabus postremò à me annotatis intelligo) locutiones primùm dabo. Deinde alterius.

PRIORIS SIGNIFICATIONIS locutiones.

Actionem dare.
Actionem suscipere.
Actionem adhibere.
Actione priuare.

ALTERIVS.

Actionem instituere.
Actionem constituere.
Actionem dare.
Actionem habere.
Actionem intendere.
Actionem eximere.
Actionem tollere.
Actionem excludere.
Actionem restituere.

ACTVS, a, um.

Actum agere. Id est, inani se labore conficere.
Actum habere. Id est, ratum.

ACTVS, us, ui.

ACTVS, us, ui, penè nihil ab acti, uel actionis significatione differt, cùm actio ponitur pro eo, quod uulgò operationem dicunt. Nam totus in opere suscipiendo, uel exequendo positus est. Proprium tamen esse uolunt, cùm in Fabulis uersatur: & per translationem à Fabularum actibus ad rerum, & negotiorum expeditionem, uniuersam'que hominis operam conuerti. PRAETER HAEC, est iter, ubi armenta trahere, & uehiculum ducere licet: quo quis pedes, uel eques commeare potest.

In actum erumpere. Id est, in actum perduci. Cic. pro Domo sua: Omnem diu collectam uim improborum, quæ inueterata compresso odio, atque tacito iam erumpebat in actum, excepi meo corpore.

ACVLEVS.

ACVLEVS propriè Vesparum est, uel Apum, & similium. Translatè uerò ponitur pro re omni, quæ uehemens est, & acuta, quæ'que pungit, & concitat.

Aculeum habere.
Aculeum emittere.
Aculeum excutere.
Aculeum relinquere in animo alicuius.
Aculeum dimittere.
Aculeum euellere.

ACVMEN.

VIDETVR hoc nomen propriè mucronem significare. Vt, acumen cultri. Sed rarò legitur, nisi per metaphoram dictum. Vnde Cicero pro Flacco acumen ingeniorum uocat: id est, ingeniorum uim, uehementiam, uel subtilitatem. Idem de Orat. Argutiæ, & acumen Hiperidis. Ibidem: Acumen Dialecticorum, sententiæ Philosophorum. Ibidem. Dialectici se compungunt suis acuminibus. Ibidem: Omnia sub acumen styli subeant necesse est. Idem de Natura Deor. Epicurus homo sine acumine ullo, sine lepore. Idem in Famil. Qui propter acumen occultissima perspicis. TRANSLATE igitur sæpius, quàm propriè, accipitur. Nunc ad locutiones.

Acumen habere. Quod loquendi genus tam personis, quàm rebus, eleganter conuenit.
Acumen illudere.
Acumen retundere.

ADITVS.

ADITVS & personæ, & loci est. Loci uerò sæpius est: & multum, elegantem'que usum habet.

Aditum aperire.
Aditum patefacere.
Aditum comparare.
Aditum munire.
Aditum facere.
Aditum dare.
Aditum esse alicui.
Aditum patêre alicui.
Aditum habere.

Aditum habere.
Aditum claudere.
Aditum intercludere.
Aditum præcludere.
Aditum obſtruere.
Aditu prohibere.

ADIVMENTVM.

ADIVMENTVM *eſt ſubſidium, uel præſidium.*
Adiumentum quærere.
Adiumentum afferre.
Adiumentum importare.
Adiumento eſſe.
Adiumentum habere. *Quæ locutio tam paßiuæ, quàm actiuæ, ſignificationis eſt. Id eſt, ut res, á qua importatur adiumentum, tam dicatur adiumentum habere, quàm perſona, cui affertur adiumentum.*

ADIVNCTIO.

ADIVNCTIO *eſt copulatio, additio, uel incrementum.*
Adiunctionem eſſe alicui ad aliquid.

ADIVTOR, VEL Adiutrix.

ADIVTOR *idem eſt quod adminiſter.*
Adiutorem quærere.
Adiutorem adhibere.
Adiutorem ſe profiteri.
Adiutorem ſe præbere.
Adiutorem dare.
Adiutorem venire.
Adiutorem inuenire.
Adiutorem capere in re aliqua.
Adiutorem extare.
Adiutorem eſſe rei alicuius.
Adiutorem eſſe rei alicui.
Adiutorem eſſe in re aliqua.
Adiutorem eſſe ad aliquid.

ADMINISTRATIO.

ADMINISTRATIO *ſignificat curationem, procurationem, uel gubernationem.*
Adminiſtratione alicuius vti.
Adminiſtratione vacare.
Adminiſtratione carere.

ADMIRABILITAS.

ADMIRABILITAS *idem eſt quod admiratio.*
Admirabilitatem facere, *pro concitare.*

ADMIRATIO.

ADMIRATIO, *& admirabilitas nihil ſignificatione differunt.*
Admirationem habere. *Admirationem habere res dicitur, quæ admirabilis eſt.*
Admirationem mouere.
Admirationem excitare.
Admirationem efficere.
Admiratione afficere.
In admirationem traducere.

ADMONITIO.

ADMONITIO *eſt monitum, uel præceptum.*
Admonitione egere.
Admonitionem deſiderare.
Admonitioni locum relinquere.

ADMONITVM, ti.

ADMONITVM *idem eſt quod admonitio, aut præceptum.*
Admonita tradere. *Cic. de Orat. Vt doctißimis hominibus uſus noſtri quaſi quædam admonita tradamus.*

ADMVRMVRATIO.

ADMVRMVRATIO, *cùm in bonam partem accipitur, uix ſine adiectiuo eſt, grata ſcilicet, aut ſecunda. In malam item partem cùm ſumitur, ſolemus aduerſam admurmurationem dicere. Attamen ſiue in bonam, ſiue in malam partem capiatur, perſæpe etiam ſine adiectiuo eſt. Significat autem admurmuratio idem, quod acclamatio. Vel eſt collatis inter ſe capitibus, & tacito quodam murmure, nõ plana uoce, rei eius, de qua agitur, approbatio, uel reprobatio.*
Admurmurationem fieri.

ADOLESCENS.

CERTVM *eſt, nos in hoc Opere ea potiſsimùm nomina conſectari, á quibus ducantur locutiones uerbis quibuſdam illuſtratæ. At latiores fines Operis noſtri eſſe uolumus: nimirum ut uoces etiam quaſdam annotemus, a quibus elegantiam non per uerba colligás, ſed per alia etiam nomina. Facit id, ut hoc nomen hic á me annotetur. In quo hoc tantùm obſeruandum eſt, cùm dicimus Hominem adoleſcentem, Puerum adoleſcentem, Filium adoleſcentem. Atque ſemel id habeto, adoleſcentem non temere ſine huiuſmodi ſubſtantiuis cum elegantia apud Latinos reperiri. Is igitur erit præcipuus huius uocis uſus.*

Adoleſcens homo.
Adoleſcens filius.
Adoleſcens primarius.
Ab adoleſcentulo.

ADOLESCENTIA.

ADOLESCENTIA *eſt prima hominis ætas poſt pueritiam.*

Adoleſcentia iniens.
Adoleſcentia prima.
Ab adoleſcentia ineunte.
Ab adoleſcentia prima.
Adoleſcentiam deferuere.

ADVENTVS.

ADVENTVS *idem eſt quod acceſſus.*
Aduentum expectare.
Aduentum appropinquare.

ADVERSARIA, orum.

ADVERSARIA *ſunt præſcriptiones, uel Ephemerides.*
Aduerſaria conficere.
In aduerſaria referre.
Ex aduerſarijs aliquid petere
In aduerſarijs iacêre.
Ex aduerſarijs eximere.

ADVERSARIVS, a, um.

ADVERSARIVS *tam in perſona, quàm in re eſt. Dicitur enim nobis aliquis aduerſarius: & res aduerſaria, quæ nobis oppoſita eſt, & aduerſatur.*
Aduerſarium ſe intendere.

ADVLTERIVM.

ADVLTERIVM *à nomine adulter, genus eſt criminis: quod propriè in nupta committitur. Stuprum uerò in uirgine, uel uidua. Hæc duo Lex Iulia promiſcuè appellat, non quòd omne ſtuprum ſit adulterium: ſed quòd omne adulterium ſit ſtuprum. Per metaphoram dicit eleganter Plinius adulteria Naturæ, pro quaſi non uerè naturalibus operibus, ſed quodam modo adulterinis. Idem Lib. 14. Cap. 22. Iam uerò quæ uaſa adulterijs cælata? Quaſi dicat, non ſatis fuiſſe, uaſa fieri ex una, & ſimplici materia, utputa ex auro, aut argento, niſi adderentur illis emblemata, quæ ſunt in uaſis ueluti adulteria: quia ad alienam materiam præter naturam, & quaſi extra ordinem accedunt. Eadem ratione dicuntur arborum adulteria: hoc eſt, inſitiones. Dicuntur & adulteria mercis, pro fraude in merce adulteranda.*
Adulterium excitare.
Adulterium committere.
In adulterio depræhendi.

AEDES.

AEDES *in plurali accipitur pro Domo: nec unquam aliter. In ſingulari, atque adeo in plurali pro Templo.*
Ædem diruere.
Ædem reficere.

AEDIFICATIO.

AEDIFICATIO *eſt ipſe actus ædificandi: uel opus ædificatum.*
Ædificationem ſuſtentare.
Aedificationem abijcere.
Aedificationem deponere.

AEDIFICIVM.

AEDIFICIVM *dicitur omne, quod ædificatum eſt.*
Aedificium deturbare.

AEGER.

AEGER *tam de corpore, quàm de animo, dicitur. Sic accipitur pro eo, qui afflictatur dolore corporis, aut animi.*
Aegrum morbo aliquo eſſe.
Aegrum in aliquo loco eſſe.
Aegrum curare.
Aegro ſubuenire.
Aegrum conualeſcere.

AEGRITVDO.

AEGRITVDO *tota animi eſt, ut ægrotatio corporis.*
Aegritudinem oriri.
Aegritudinem afferre.
Aegritudine afficere.
Aegritudini ſe dedere.
Ad ægritudinem accedere: *id eſt, augere.*
Aegritudinem lenire.
Aegritudinem leuare.
Aegritudine leuare.
Aegritudinem ſedare.
Aegritudinem detrahere.
Aegritudinem adimere.

AEQVITAS.

AEQVITAS *idem eſt quod æquum, uel iuſtitia: uel propenſus animi fauor in aliquem.*
Aequitatem habere. *Aequitatem habere dicitur, quod æquũ eſt, ſiue de animatis loquamur, ſiue de inanimatis.*
Aequitatem ſeruare.

AEQVVS, a, um.

Aequus generaliter ponitur pro eo, qui iniquitatem non exercet: qui ſcilicet eſt uitæ integer, & iuſtitiæ deditus. Ponitur uerò eleganter pro expreſsiùs fauente, uel ſuffragante. Extra perſonam uenuſtè dicitur locus æquus: cui opponitur iniquus.
Æquum ſe alicui præbere.
Æquum eſſe alicui.
Æquum aliquem ſibi habere.
Æquo aliquo uti.

Æquum

AEQVVM.

AEQVVM *dicitur, quod iustum est.*

Æquum bonum. *Id est, absoluta bonitas, æquitas'que, & iuris (ut ita loquar) medulla, germana'que iustitia.*

Æqui boni facere.

Ex æquo, & bono statuere.

Æquum bonum impetrare.

AER.

AER, *est cœlum, æther, uel spiritus.*

Aërem offundere.

Aërem ducere.

Aërem carpere.

Aërem secare.

AERARIVM.

AERARIVM, *est pecunia publica, uel uectigal.*

Ærarij hirudo.

Ærarium habere.

Ad ærarium rationes referre.

Ærarium exhaurire.

AERARIVS, a, um.

AERARIVS *fieri dicebatur, qui plebëius à Censoribus in Ceritum tabulas referebatur, ac per hoc non esset in albo Centuriæ suæ: scilicet ad hoc, ut esset Ciuis, sed tantummodo ut pro capite suo tributi nomine æra penderet. Vnde ærarium facere: & inter ærarios, siue in ærarios referre: hoc est, ea ignominia quempiam afficere. Quod ius propriè ad Censores pertinebat. Et ex ærarijs eximere Latini dicebant, cùm aliquem prædicta ignominia leuabant. Sed iam ad locutionum obseruationem.*

Ærarium aliquem facere.

Inter ærarios referre.

In ærarios referre.

Ex ærarijs eximere.

AES.

AES GENVS *est metalli. Ponitur & æs pro Opere ex ære facto: uel pro pecunia ex ære facta. Ponitur quoque pro fœneratione. Ex ea significationis uarietate dicebant Antiqui æs militare, pro pecunia, quæ in stipendum militum de ærario à Tribunis ærarijs adnumerari Quæstori solebat. Eleganter uerò maximè sic loquebantur: æs alienum tuum: æs alienum meum: æs alienum Patris: æs alienum Filij: id est, quod tu, quod ego, quod Pater, quod Filius contraxit, & debet. Quæ uoces tametsi non satis conuenire inter sese uideantur, crebræ tamen fuerunt, & usitatæ diuinis illis Latinæ linguæ Principibus. Ego nunc ad locutiones.*

PRO METALLO.

Æs temperare.

Ex ære facere.

In æs incidere: uel in ære.

In ære cælare.

Æs signare.

Æs figere, uel refigere.

PRO PECVNIA.

Æs alienum cogere.

Æs alienum conflare.

Æs alienum facere.

Æs alienum contrahere. *Omnia hæc loquendi genera idem significant: hoc est, ære alieno se obligare: nempe, se debitorem facere, pecunia uel mutuò, uel fœneratò accepta.*

Æs alienum suscipere. *Id est, prouinciam suscipere soluendi eius creditoribus.*

Æs alienum afferre. *Id est, ære obligare.*

Æs alienum habere.

Æs alienum crescere.

In æs alienum incidere.

Ex ære alieno laborare.

Ære alieno obstringi.

Ære alieno obrui.

Ære alieno premi.

In ære esse alieno.

Ære alieno laborare.

Ære alieno exire.

Æs alienum dissoluere.

Æs alienum exonerare.

Æs alienum relinquere.

Ære dirutus. *Miles, cui stipendium, caussa ignominiæ, non esset datum.*

AESTIMATIO.

AESTIMATIO *est consideratio, uel taxatio. Est'que tam passiuæ, quàm actiuæ significationis. Et eleganter dicimus æstimationem habere pro æstimare.*

Æstimationem habere. *Id est, æstimare. Cic. in Verr. In censu habendo potestas omnis æstimationis habendæ Censori permittitur.*

Æstimationem facere. *Cæsar de Bello Ciuil. Lib. I. Militibus æqua facta æstimatione pecuniam pro his rebus soluit. Id est: æstimatis rebus tanti, quanti ualerent.*

AESTIVA, orum.

AESTIVA, *orum, loca sunt, in quibus armenta, & greges, & milites æstiuant: sicut hiberna, in quibus hibernant. Id est, loca sunt umbrosa, in quibus per æstatem pecora uitant solis calorem.*

Æstiua attingere.

In æstiua educere.

AESTVS.

AESTVS *dicitur solis, & æstiui temporis flagrantia. Dicitur quoque æstus marinus impetus, & commotio. Ad*

animum

animum verò persæpe transfertur, accipitur que pro agitatione, difficultate, scrupulo, & dubitatione non mediocri. Quod ad sequentes locutiones pertinet, tam proprij, quàm translati, usus sunt.

Aestum commouere.
Æstum accedere, uel recedere.
Æstu feruere.
Æstu iactari.
Æstu absorberi.

AETAS.

AETATEM *ab æuo deduci uolunt, quasi æuitatem. Sæpe tamen pro uita hominis uenustè accipitur, ut sit pars pro toto per Sinecdochen: quia ætates sunt uitæ partes. Ponitur item pro seculo: id est, centum annis. Interdum etiam pro solo anno accipitur. Interdum pro tempore: unde dicimus aliquid fieri nostra ætate. Neque uerò hominis tantùm ætas est, sed etiam rerum inanimatarum, ut uini. Hæc de significatione. Locutiones permultas, & perelegante is habet: quas sic distinguemus, ut aliæ cum Adiectiuis sint insignioribus: aliæ cum Substantiuis: aliæ cum Verbis.*

CVM ADIECTIVIS.

DIXIMVS *proximè, præcipuum huius nominis ornatum esse uel in Adiectiuis: uel in Substantiuis: uel in Verborum assumptione. Nunc igitur Adiectiua annotamus, & ab ætate incunti incipimus. Primam autem ætatem uocant Latini ineuntem.*

Ætas iniens.
Ætas prima.
Ætas bona, *pro prima*.
Ætas progrediens.
Ætas grandis.
Ætas adulta.
Ætas media.
Ætas prouecta.
Ætas corroborata.
Ætas firmata.
Ætas confirmata.
Ætas constans.
Ætas flexibilis.
Ætas matura.
Ætas ingrauescens.
Ætas affecta.
Ætas præcipitata.
Ætas decrepita.
Ætas extrema.

CVM SVBSTANTIVIS.

Ætatis cursus.
Ætatis progressus.
Ætatis maturitas.
Ætatis flexus.
Ætatis infirmitas.
Ætatis imbecillitas.
Id ætatis: *Id est, ea ætate.*

CVM VERBIS.

OSTENDIMVS, *quæ esset huius uocis elegantia, cùm Adiectiua asciscit. Ostendimus quoque, quàm eleganter ponatur interdum cum ipsorum Adiectiuorum Substantiuis nominibus. Nunc reliquum est, ut ostendamus, quàm uenustè cum uerbis quibusdam aliquando iungatur.*

Ætate esse.
Ætatem accedere alicui.
Ætatem agere.
Ætate progredi.
Ætate procedere.
Ætate prouehi.
Aetate anteire.
Aetate præcurrere
Aetatem degere.
Atatem terere.
Aetatem conterere.
Aetatem cosumere.
Aetatem exigere.
Aetate confici.
Aetatem præterire, *pro exigi*.
Aetatem deflectere.

AETERNITAS.

AETERNITAS *idem est, quod immortalitas.*

Aeternitatem donare.
Aeternitati commendare.
Aeternitati consecrare.

AEVVM.

AEVVM *propriè æternitatis esse uolunt: quæ non nisi in Deos cadit. Ponitur etiam pro tempore, uel ætate, uel uita.*

Aeuo frui.
Aeuum agere.

AFFINITAS.

AFFINITAS *est hominum affinium inter ipsos coniunctio, uel necessitudo.*

Affinitates iungere.
Affinitate se cum aliquo deuincire.
Affinitate aliquem attingere.

AFFIRMATIO.

AFFIRMATIO *est actus affirmandi.*

Affirmatione aliquid in se recipere.
Affirmationi credere.

AGER.

AGER *est campus, uel solum, uel territorium.*

Agrum colere.
Agrum serere.
Agrum arare.
Agrum aratro præstringere.
Agrum lætificare.
Agrum emaciari.
Agrum infestari.
Agro mouere.
Agro exturbare.
Agro mulctare.
Agrum occupare.

AGGER.

AGGER propriè dicitur terra illa, quæ uallo facto propiùs ponitur: sed abusiuè muros, & munimenta omnia aggerem uocamus. Est quoque agger moles terræ circa fluuiorum ripas, ipsis opposita fluminibus, ne inundatione uastent agros.

Aggerem extruere.
Aggere cingere.

AGITATIO.

AGITATIO est motus siue commotio. Vnde appellatur agitatio mẽtis, assiduus scilicet ille motus animi in rebus honestis cogitandis, & quasi mentis ipsius exercitatio. Et studiorum agitatio, quæ studia, & disciplinæ exercentur á nobis.

Agitationem adhibere.
Agitatione vacuum esse.

AGMEN.

AGMEN modò pro impetu: modò pro multitudine: modò pro multitudine armata accipitur.

Agmen cogere.
Agmen constituere.
Agmen claudere.
Agmen premere.
Agmen carpere: *Id est, concidere, uel dissipare.*

ALA.

ALA propriè est, qua Aues uolant. Vergil. Aenei. 1. Vt reduces illi ludunt stridentibus alis. De Cycnis loquitur. Ala est etiam aliquando pars hominis concaua subter brachium: quæ & axilla dicitur. Ab hac significatione non abhorret, cùm dicuntur Alæ in pudendis muliebribus, quæ sinum uuluæ ambiunt. Pars hæc est huius dictionis significationum siue propriarum, siue translatarum. Translatè uerò paulò latius patet, cùm modò dicunt Poëtæ Latini alas pro pennis sagittarum: modò etiam alas uelorum uocant. Supra hæc, multum elegans est, cùm in re militari usurpatur: ubi dicuntur Alæ Equitum ab eo, quòd ad similitudinem alarum ab utraque parte acies protegant: quæ nunc Vexillationes uocantur à uelo. Sed quod ad locutiones pertinet, eas'que tam translatas, quàm proprias, non te admodum in oratione ditabit. Etenim cùm propriæ est significationis, sic solùm hac dictione utuntur Latini.

Alas extendere, uel protendere.
Alas premere.

Cùm uerò translatæ est, ita loquuntur ijdem Latini.

Alam alicui committere.
Alæ præficere.
Alam frangere.
Alam dissipare.

ALACRITAS.

ALACRITAS est animi uigor, uel animi erectio, uel lætitia gestiens. Vel est mutatio quædam uultus gestientis in spem aliquam. Et est media inter letitiam, atque tristitiam.

Alacritatem afferre.
Alacritatem addere.
Alacritatem adimere.
Alacritatem auferre.
Alacritatem delere.

ALEA.

ALEA est omnis ludus magna ex parte in fortunæ uarietate consistens: sed propriè dicitur de Tesseris. Ponitur etiam translatè pro fortuna: & non solùm pro fortuna, sed etiam pro dubitatione, & periculo.

In aleam prouocare.
Alea ludere.
Aleæ tempus tribuere.
De alea condemnari: *Id est, propter aleæ ludum reddi infamem.*
Extra omnem ingenij aleam poni: *Id est, extra omnem dubitationem, & extra omne periculum, ut aliquis ei ingenio præferatur.*
Aleam omnem iacere: *hoc est, rem uniuersam periclitari, fortunæ'que arbitrio committere.*

ALIENATIO.

ALIENATIO, est defectio, disiunctio, separatio.

Alienationem facere.

ALLEVATIO.

ALLEVATIO, uel alleuamentum, est doloris, & molestiæ mitigatio, uel diminutio.

Alleuationem sperare.
Alleuationem afferre.

ALTERCATIO.

ALTERCATIO est concertatio, studium contentionis, iurgatio, genus litigandi in iudicio.

Altercationem quærere.
Altercationem aucupari.
Altercationem oriri.

Altercationem

Altercationem fieri.
Altercationem habere.

ALTITVDO.

ALTITVDO *est propriè rei alicuius sublimitas: ut altitudo turris, ædificij, arboris. Ponitur etiam pro profunditate: ut altitudo fluminis, uel maris. Translatè penè idem est, quod magnitudo: ut altitudo animi.*
In altitudinem deprimere: *Id est, in profunditatem.*
Ad infinitam altitudinem desidere.
Altitudinem animi exercere.

ALVVS.

ALVVS *est, quò diffluunt stomachi sordes, & excrementa, complexio scilicet intestinorum, & cibi, potionis'que receptaculum. Aluo interdum Latini abutuntur pro utero: ut fœtum aluo continere.*
Aluum ciere.
Aluum citare.
Aluum mouere.
Aluum bonam facere.
Aluum mollire.
Aluum laxare.
Aluum soluere.
Aluum ire, *pro laxari, uel solui.*
Aluum deijcere.
Aluum purgare.
Aluum sistere.
Aluum tardare.

AMATOR.

AMATOR *est cultor, obseruator. In bonam uerò, & in malam partem accipitur. De quo nomine ita scribit Donatus. Aliud est Amator: aliud Amicus. Amator, qui ad tempus: Amicus, qui perpetuò amat.*
Amatorem sibi conciliare.
Amatorem se rei alicuius profiteri.

AMBIGVVS.

AMBIGVVM *idem est quod dubium.*
Ambiguum aliquid habere.

AMBITIO.

AMBITIO *est studium, cupiditasq; honorum: uel est ipsa quiduis ambiendi actio. De ambitionis, & ambitus significato uide plura in primo, & secundo Tomo nostrorum linguæ Latinæ Commentariorum.*
Ad ambitionem incumbere.
Ambitione ardere.

AMBVLATIO.

AMBVLATIO *interdum pro loco, in quo ambulamus, ponitur. Interdum pro ipsa inambulationis actione est.*
In ambulationem descendere.
In ambulationem venire.
Ambulationem conficere.

AMENTIA.

AMENTIA *est insania, uel furor.*
Amentiam inijcere.
In amentiam incidere.
Amentiam fingere.
Amentia præditus.
Amentia præceps.
Amentiam aliquem tenere.
Amentia teneri.
Amentia rapi.
Amentia flagrare.
Amentia torqueri.
Amentia occæcari.

AMICITIA.

AMICITIA *est beneuolentiæ coniunctio, & familiaritas.*
Amicitiam parare.
Amicitiæ fores aperire.
Amicitiam conciliare.
Amicitiam parěre.
Amicitiam illicere.
Amicitiam attrahere.
Amicitiam contrahere.
Amicitiam conflare.
Amicitiam gignere.
Amicitiam iungere.
Amicitiam coniungere.
Ad amicitiam, vel in amicitia adiungere.
Amicitiam coniugare.
Amicitiam conglutinare.
Amicitiam instituere.
Ad amicitiam se alicuius conferre.
In amicitiam alicuius se insinuare.
Ad amicitiam alicuius se applicare.
Ad amicitiam alicuius adrepere.
Ad amicitiam alicuius se aggregare.
In amicitiam venire.
In amicitiam incidere.
In amicitiam accipere.
In amicitiam recipere.
Amicitia implicari.
Amicitiam cum aliquo habere.
Amicitiam esse alicui cum aliquo.
Amicitiam incipere.
Amicitiam gerere.
Amicitiam colere.

Amicitiam crescere.
Amicitiam accrescere.
Amicitiam serpere.
Amicitiam confirmare, vel firmiorem reddere, vel facere.
Amicitiam seruare.
Amicitiam retinere.
Amicitiam manere.
Amicitiam permanere.
In amicitia manere.
Amicitiam violare.
Amicitiam inuertere.
Amicitiam euertere.
Amicitiam tollere.
Amicitiam extinguere.
Amicitiam frangere.
Amicitiam præcidere.
Amicitiam dissuere.
Amicitias in inimicitias conuerti.
Amicitiam dimittere.
Amicitiam deponere.

AMICTVS, us, ui.

AMICTVS *est, quo quis super amictus, siue opertus est, sicut uestitus, quo uestimur. Est enim utrumque generale nomen.*

Amictui esse.
Amictum alicuius imitari.
Amictum mutare.
Amictum ex humeris reijcere.

AMICVLVM.

Amiculum, genus est uestimenti à circumiectu dictum.

Amiculo amiciri.
Amiculum detrahere.

AMICVS.

AMICVS *idem est quod beneuolus, necessarius, beneuolentia coniunctus, totus noster, effusus in aliquem. Dicitur autem a Latinis utrumque: sum amicus tuus: & sum amicus tibi. Neque solùm ad personam refertur, sed ad res etiam alias latè patet: dicimus enim, amicus est meæ laudi, & existimationi.*

Amicum aliquem alicui reddere.
Amicum aliquem alicui facere.
Amicum acquirere.
Amicum ascribi.
Amicum aliquem esse alicui.
In amicis esse alicuius.
Amicos crescere.
Amicos retinere.

AMNIS.

AMNIS *fluuium significat.*

Amnem sedare
Amnem in alium cursum contorquere, uel deflectere.

AMOENITAS.

AMOENITAS *est iucunditas illa, quæ ex rebus amœnis percipitur.*

Amœnitatem quærere.
Amœnitatem suppeditare.
Amœnitatem sequi, *pro oblectari amœnitate.*

AMOR.

AMOR, *est beneuolentia, gratia, studium, pietas. In plurali numero sæpe pro delitijs accipitur, ut in Primo Tomo nostro demonstrauimus. Amatoriè est etiam amantis, ut in eodem Tomo nostro, & in Secundo declaratur. Cùm pro re grata, & delitijs sumitur, usurpatur etiam tum in singulari numero: ut apud Cicer. in Verrem: Quæ Ciuitas tibi una in amore, atque in delitijs fuit. Sed nunc ad frequentiores usus Locutiones uenio.*

Amorem excitare.
Amorem conciliare
Amore inflammare.
Amore incendere.
Amorem nasci.
Amorem oriri.
Amorem proficisci.
In amorem incidere.
Amorem suscipere.
Amore capi.
Amorem habere.
Amorem esse in aliquo.
Amore coniungi.
Amore prosequi.
Amore esse: *id est, amore prosequi.*
Amore extare in aliquem.
Amore abundare.
Amore ardere.
Amore flagrare.
Amori seruire.
Amorem colere.
Amorem fouere.
Amore frui.
Amorem augere.
Amorem confirmare.
Amorem seruare.
Amorem conseruare.
Amorem residere in aliquo.
Amoris summa vincula esse alicui cum aliquo.

Amorem præ ſe ferre.
Amoris ſignum dare.
Amorem oſtendere.
Amorem demonſtrare.
Amori reſpondere.
In amore reſpondere.
Amore certare.
Amorem perſpicere.
Amorem interrumpere.
Ab amore auertere.
De amore detrahere.
Amorem excutere.
Amorem exhaurire.
Amorem abijcere.
Amorem ex animo eijcere.

AMPLITVDO.

AMPLITVDO *eſt potentiæ, aut maieſtatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia.*

Ad amplitudinem deducere.
Amplitudinem tradere.
Amplitudinem illuſtrare.
Ad amplitudinem venire.
Amplitudinem eſſe in aliquo.
Amplitudinem amplificare.
Amplitudinem retinere.

ANCHORA.

ANCHORA *eſt inſtrumentum ferreum, quo naues in Litore fundamus, retinemus'que.*

Anchoram ſoluere.
Anchoram præcidere.
Anchoram tollere.
Anchoram iacere.
In anchora ſtare.
In anchora ſubſiſtere.

ANGOR, oris.

ANGOR *eſt ægritudo premens.*

Angorem capere.
Angore implicari.
Angori ſe dare, vel dedere.
Angore confici.
Ab angore ſe abducere.
Ab angoribus vacuitas.

ANGVSTIA.

ANGVSTIA *ab anguſto uenit, quod dicitur arctum, exiguum, uel breue. Eſt autem anguſtia non magis loci, quàm rerum aliarum. Vnde pro tenuitate, & exiguitate fortunarum, rei'que familiaris ponitur.*

In anguſtias adducere.
In anguſtias compellere.
Ex anguſtijs educere.
Anguſtias ſuſtentare.

ANHELITVS.

ANHELITVS *eſt ſpiritus emißio. Quod nomen non ſolùm de homine dicitur, ſed de rebus etiam alijs multis.*

Anhelitum fieri.
Anhelitum moueri.
Anhelitum ducere.

ANIMA.

ANIMA *interdum pro flatu accipitur, quem pulmone haurimus, uel emittimus. Præter hanc ſignificationem, anima eſt neſcio quid uis cœleſtis, qua uiuimus, mouemur, & rationis participes ſumus.*

Animam ducere ex aëre.
Animam accipere.
Animam continere.
Animam comprimere.
Animam fœtere.
Animam edere.
Animam agere *Pro mori.*
Animam efflare
Animam amittere.

ANIMADVERSIO.

ANIMADVERSIO *eſt conſideratio, & iudicium: ut res animaduerſione digna. Vel eſt punitio, & ſupplicium.*

Animaduerſionem ſuam ad aliquid excitare.
Animaduerſionem remittere *Pro condonare.*

ANIMVS.

Duobus expreßè locis de animi ſignificatione primo Tomo noſtro ſcripſimus, ita certè diuiſis, ut in altero amorem ſpectet, & mentis inductionem, in bonam maximè partem inclinantem: quanquam & male, odio'que, uel inuidiæ communis eſſe poßit, uarietur'que pro aſſumptis, admißis'que Adiectiuis. In altero pro ratione, uel conſilio, inſtituto'que accipiatur. Quadam Secundi Tomi noſtri parte oſtendimus tertiam huius nominis ſignificationem: ut cùm dicimus aliquem magni, uel magno animo: imbecilli, uel imbecillo. Et tunc pro fortitudine, uel imbecillitate mentis uſurpatur. Itaque cuilibet ſignificationi ſuas ſeparatim locutiones tribuemus.

CV'M AD BENEVOLENtiam, *uel maleuolentiam refertur.*

Animo eſſe erga aliquem.
Animum alicui debere eum, ut: &c.

Animum habere.
Animum conciliare.
Animum amplecti.
Animum confirmare.
Animum immutare.
Animum reconciliare.
Animum recolligere.

PRO CONSILIO,
uel deliberatione.

In animum inducere.
Animum suscipere.
Animum in aliquo esse.
In animo habere.
In animo esse.
Animo eximere.
Animo delere.
Animo uoluere.
Cum animo reputare.
Apud animum statuere, vel proponere.
Animo lustrare.
Animo intueri.
Animo perspicere.
Animo excidere, vel discedere.

CV̀M DE MENTIS FOR-
titudine, uel imbecillitate intelligitur.

IN ANIMI *significatione, quae huius loci est, ostendenda, eam distinctionem sequemur, ut locutiones in bonam partem sumptas principiò proferamus: deinde in malam partem captas. In bonam uerò partem sumptus animus significat fortitudinem, robur, uel mentis celsitudinem. Sed id rarò sine Adiectiui, aut Substantiui, aut Verbi assumptione: siue in singulari numero, siue in plurali.*

CVM ADIECTIVIS,
id'que in bonam partem.

Animus magnus, & ad omneis casus ferendos constans: atque paratus.
Animus tranquillissimus, qui totum istud aequi boni facit.
Animo solutiore velim haec aliquando scribere.
Animo virili acta res est.
Animi magni fuit, non esse supplicem victori.
Animi maximi homo, vir'que fortissimus.
Animo magno, ac forti istam rem te agere existimo.
Animi tantum fuisse in illo ordine, non mirari oportet.
Animus amplus, & excelsus, & patiens incommodorum.
Animus acer, & praesens.
Id in maximis ingenijs, altissimis'que animis & existit maximè, & apparet facilimè.
Animus robustus, & excelsus omni liber est cura, & angore.

CVM SVBSTANTIVIS:
id'que in bonam partem.

Animi magnitudine, & constantia praestantissimus.
Animi altitudo quid a te flagitet, tu videbis.
Animi tui firmitudinem, grauitatem'que perspexi.
Quibus quidem temporibus haec in eo grauitas, haec animi altitudo fuit.
Quantum in cuiusque animo roboris est, atque neruorum.
Ignorant, quid grauitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valet.
Quid de singulari animi magnitudine eius, ac de incredibili virtute dicam?
Animi robore incredibili septus.
Quis hoc robore animi, atque hac indole virtutis, ac continentiae fuit, vt respueret omneis voluptates?
Animi, & consilij vir praestanti magnitudine.
Animi amplitudo, & quasi quaedam exaggeratio quàm altissima vna est omnium rerum pulcherrima.
Animi celsitas, & magnitudo est secundum naturam.

CVM VERBIS: ID'QVE
in bonam partem.

Animum afferre.
Animum efferre.
Animos tollere.
Animum erigere.
Animum redintegrare.
Animum reficere.
Animum releuare.
Animum reuocare.
Animum renouare.
Animum expedire.
Animum firmare.
Animum dare.
Animum addere.
Animum augere.
Animum accedere alicui.
Animum fortem habere.
Animo forti esse.
Animo stare.
Animum adhibere, *Pro animo esse,*

CVM ADIECTIVIS:
id que in malam partem.

Ita Romam erat nuntiatum, ita persuasum omnibus, cum paucis inermibus perterritis metu, fracto animo fugisse Antonium.
Illud pusilli animi, & ipsa maleuolentia ieiuni, atque inanis est.
Animo humili, & imbecillo suos dolores ferre visus est.
Animo humili non id faciam.
Animi afflicti, & fracti id non fuit.
Sæpe in quibusdam est animus abiectior, & spes amplificandæ fortunæ fractior.
Animo sum perculso, & abiecto.
Consul paruo animo, & prauo.
Animus mollis, demissus, humilis, eneruatus, languens.
Animus, qui in dubijs rebus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus est.
Animo teneriore mihi videbare.
Animo fracto, & demisso eum fuisse dictitant.
Nulla vnquam fuit liberis amissis tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit.
Animum tuum minimè imbecillum esse et audio, et spero.
Si quis existimat me aut debilitata virtute, aut animo fracto esse, errat vehementer.
Non modò non fracto animo est propter calamitatis magnitudinem, sed confirmato, atque renouato.
Me animo nimis fracto esse, atque afflicto loquebantur.
Non tam parui animi esse videmur, vt, &c.
Animi angusti, & demissi erat, triumphi honorem contemnere.
Vt quosdam nimis ieiuno animo, & angusto monerem.

CVM SVBSTANTIVIS:
id que in malam partem.

Ridicula est illa animi debilitas.
Si humanitas appellanda est in acerbissima iniuria remissio animi, ac dissolutio.
Turpis est, & indignus homine langor tantus animi.
Animi imbecillitatem fac diligenter vites.

CVM VERBIS:
id que in malam partem.

Animum frangere.
Animum minuere.
Animum effœminare.
Animum adimere.
Animum contrahere.
Animum inflectere.
Animum demittere.
Animis cadere, vel concidere.
Animo deficere.
Animo consterni.
Animum deesse.
Animum despondere.

ANNALES.

ANNALES *appellant Latini memoriam publicam, monumenta uetustatis.*
Annales conficere.
Annales conscribere.
Annalibus mandare.
In annales redigere.

ANNONA.

ACCEDIT *annona ad commeatus significationem, non ea quidem parte, qua commeatus pro facultate à militia recedendi ponitur: sed ea certè, qua pro cibarijs accipitur. Quam quam nec ea quidem parte omnino cum commeatu conuenit, sed cantiòm affinis est. Nam uix annonam Exercitus dici reperias: ut raró commeatus Vrbis dicitur. Quidam uerò annonam rem frumentariam dici uolunt.*
Annonam ingrauescere.
Annonam leuare.
Annonam commutate.

ANNVLVS.

NOTAE *est significationis hoc nomen.*
Annulum induere.
Annulum detrahere.
Annulum auferre.

ANNVS.

ANNVS *spacium est temporis, quo Sol suum totum conficit, & peragrat orbem.*
Annum intercedere.
Annum agere.
Annum conficere.
Annum habere: *Annum habere duplici significato Latini dicunt: ut apud Ciceronem pro Milone: Vt haberet, quod ipse dicebat, ad Præturam gerendam: hoc est, ad euertendam Rempublicam plenum annum, atque integrum. Id est, ut ei annus, uel anni spacium integrum daretur ad Rempublicam uexandam, & opprimendam. Quòd si aliud exemplum facilius habere uis, ita loqui possumus: Patris concessu duos annos habeo ad Italiam uisendam, & recolenda*

mea eloquentiæ studia. Sic uno modo annum habere ponitur. Sed aliter aliquando capitur, & dicitur aliquis annos uiginti habere, qui annis uiginti natus est.

Annus vertens: *Annus uertens dicitur, cùm ad finem inclinatus redit.*

Annum abire.

Annum exire.

Annum præterire.

Annum esse, cùm: &c. *Vbi Tertium, Quartum, Quintum, Sextum, & similia potes adiungere: ut sit. Annus nunc tertius est, cùm Tholosa propter pestium quarundam importunitatem excessi.*

ANSA.

ANSAM *propriè poni scito pro parte, qua uas, aut quiduis aliud teneri solet. Translatè uerò usurpant Latini pro caussa, uel occasione.*

Ansam habere: *Hæc locutio non actiuæ, sed paßiuæ significationis est: significat'que, unde ansa (id est, occasio, uel caussa) sumitur: non, cui data est ansa.*

Ansam dare, *Pro occasionem, uel caußam præbere.*

Ansam arripere.

Ansam retinere.

ANTIDOTVM.

ANTIDOTVM *est remedium, compositio ex uarijs medicinis, quæ datur contra uenena, alioqui nocitura. Et perinde sonat, ac si dicas, contra datum.*

Antidotum dare.

Pro antidoto dare.

ANTIQVVS.

ANTIQVVM *pro uetere uulgò poni solet. Eleganter tamen pro charo sumitur.*

Antiquum habere.

Antiquius nihil habere.

APPARATVS, us.

APPARATVS, *us, ui, est apparatio, instrumentum, magnificentia.*

Apparatum habere: *Id est, apparatu diligentiore instrui. Cice. in Bruto: Præcepta, quæ maiorem apparatum habent.*

Apparatu magno aliquem accipere.

APPETENTIA.

APPETENTIA *est nomen formatum ab appetens. Idem quod appetitus: sed appetitus frequentius est: et in quibusdam uidentur habere usum diuersum. Nam cibi appetentiam potius dixeris, quàm appetitum.*

Appetentiam efficere.

Appetentiam mouere.

Appetentiam excitare.

APPETITVS, us.

APPETITVS, *us, ui, est immensa, et immoderata cupiditas. Quod Nomen corporis, et animi est: id est, cibi capiendi: aut animi affectuum.*

Appetitum dare.

Appetitum habere.

Appetitum contrahere.

Appetitum sedare.

APPROBATIO.

APPROBATIO *est actiuæ, & paßiuæ significationis. Actiuè sumitur, cùm est approbatio, per quam id, quod breuiter expositum est, rationibus affirmatum probabilibus, & apertius fit. Paßiuè ponitur, cùm significat assensionem, uel comprobationem.*

Approbationem mouere.

Approbatione iuuare.

AQVA.

AQVA *est humor, & elementum, quo quotidie ad necessaria utimur.*

Aquam colligere.

Aquam ducere.

Aquam haurire, vel extrahere.

Aquam frigidam suffundere: *Id est, alicuius uoluntatem immutare, & alienare.*

ARA.

ARA *est altare, focus, puluinar.*

Aram dicare.

Aram consecrare.

Ad aram confugere.

Ab aris proijcere.

Pro aris, & focis certare. *Id est, omnibus uiribus: tanquam nihil ijs charius, aut antiquius debeamus habere. Aræ autem religionis cultum denotant. Foci uerò nostram in Liberos charitatem, & animum.*

ARATIO.

ARATIO *modò actionem arandi significat: modò rem ipsam: id est, agrum aratum: uel agrum ad arandum aptum, & idoneum.*

Arationes serere.

Arationes deserere.

ARATRVM.

ARATRVM *est, quo terram aramus.*

Aratrum circunducere.

Aratro terram perstringere.
Aratrum extrahere.

ARBITER.

ARBITER *idem est, quod præsens, testis, disceptator domesticus, honoraria amici opera.*
Arbitris remotis aliquid agere: *Id est, nullo præsente.*
Ab arbitris loca remota.
Arbitrum postulare.
Arbitrum capere.
Arbitrum dare.
Arbitrum statuere.
Arbitrum esse ad aliquid.
Arbitro aliquo ad aliquid vti.

ARBITRATVS, us, ui.

ARBITRATVS *idem est quod uoluntas.*
Arbitratu suo aliquid agere.

ARBITRIVM.

DE *uarijs arbitrij significationibus uide in primo Tomo nostro. Generaliter uero arbitrium pro uoluntate, uel libidine accipitur.*
Arbitrio alicuius aliquid facere.
Ad arbitrium alicuius aliquid agere.
Ad arbitrium conferre.
Ad arbitrium reuocare.
Arbitrium tuum sit eius orationis custodiendæ, aut proferendæ.

ARBOR.

ARBOR *est, quod à radice, caudice simplici, ramosum, nodosum, surculosum, haud facilè dissolubile assurgit: ut Olea, Ficus, Vitis.*
Arborem coliculum agere; *Id est, attolli.*
Arborem frondere.
Arborem luxuriare.
Arborem decorticare.
Arborem excorticare.
Arborem delibrare.
Arborem frondare. *Id est, frondes amputare.*
Arborem gemmare.
Arborem gemmas agere.
Arborem germinare.
Arborem folia agere.
Arborem florere, vel florescere.
Arborem deflorere, vel deflorescere.
Arborem fruticare. *Id est, in fruticem degenerare.*
Arborem extirpare.
Arborem serere.
Arborem metare. *Id est, disponere.*
Arbores in quincuncem disponere.
Arbores circunfodere.
Arbores ablaqueare.
Arbores aggerare.
Arbores operire, vel adobruere, pro aggerare.
Arbores surculare. *Id est, surculos arboribus adimere.*
Arbores insecare.
Arbores attondere.
Arbores interradere.
Arbores interlegere, vel manibus carpere.
Arbores decacuminare.
Arbores castrare.
Arbores disrarare. *Id est, intercidere.*
Arbores putare.
Arborem exturbare.
Arborem interlucare. *Id est, resecare.*
Arbores cædere.
Arborem detruncare.
Arbores transferre.
Arbores inserere.
Arbores inoculare. *Id est, inserere.*

ARCA.

ARCA *est armarium, uel capsa.*
Arcam ex materia aliqua facere.
In arcam Seruos conijcere.
In arca argentum ponere.
Arcæ alicuius confidere.


ARCVS.

ARCVS *est, quo sagittæ emittuntur. Ponitur etiam pro fornice. Dicitur prætereà arcus in nubibus, quam Irim Poëtæ appellant.*
Arcum intendere.
Arcum adducere.
Arcum laxare.
Arcum remittere.

ARDOR.

ARDOR *est flagrantia. Estq; tam translatæ, quàm propriæ, significationis.*
Ardore conflagrare.
Ardorem defendere: *Id est, propulsare.*
Ardorem reprimere.
Ardorem restinguere.

Argentaria



ARGENTARIA.

ARGENTARIA, *est mensa, taberna'ue Argentariorum: uel est functio, & officium Argentarij.*

Argentariam facere: *Id est, exercere.*

Argentariam dissoluere: *Id est, argentariam desinere facere, & exercere.*

ARGENTVM.

ARGENTVM *proprie est ipsum metallum. Ponitur etiam pro nummo argenteo. Vnde apud Terentium in Phor. Emunxi argento Senes.*

Argentum pastillatum, vel pustulatum: *Id est, in pastillos formatum: cuiusmodi hodie argentum Germani promercale afferunt, quas Cendreas appellant. Legendum etiam contenderim ex Tranquillo in Nerone pustulatum pro pastillato. Sic habet locus Tranquil. Exegitq; argenti fastidio, & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum obryzum, ut plerique omnem occasionem palam recusarent. Vbi pustulatum argentum pro purgatissimo, & excoctissimo posuit Tranquillus.*

Argentum factum.

Argentum signatum.

Argentum cudere.

Argento emungere aliquem.

ARGVMENTATIO.

ARGVMENTATIO *est inuentum ex aliquo genere, rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessariè demonstrans.*

Argumentationem quærere.

Argumentationem inuenire.

Argumentationem concludere.

ARGVMENTVM.

ARGVMENTVM *est indicium, rei quasi quædam nota, uel ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ, quod est dubium, per id, quod dubium non est, confirmat. Vel est probabile inuentum ad faciendam fidem, Vel est ficta res, quæ tamen fieri potuit, & quæ secundum naturam sit: hoc est, uerisimilis: qualia sunt argumenta Comœdiarum. Vnde per metaphoram argumentum aliquando pro materia ponimus. De quo nomine ita scribit Quintilianus libro quinto Capite decimo. Argumentum (inquit) plura significat. Nam Fabulæ ad actus Scenarum compositæ, argumenta dicuntur: & Orationum Ciceronis uelut thema ipse exponit Pædianus. Argumentum (inquit) tale est. Et ipse Cicero ad Brut. ita scribit. Verius fortasse, ne nos in Catonem nostrum transferamus illinc mali aliquid: etsi argumentum simul non erat. Quo apparet, omnem ad scribendum destinatam materiam ita appellari. Nec mirum, cùm id inter opifices quoque uulgatum sit. Vnde Vergilius: Argumentum ingens. Vulgoq; paulò numerosius opus, dicitur argumentosum. Hæc Quintilianus. Nos propter tam amplam significationum uarietatem, significationum ipsarum singulatim locutiones non dabimus: sed tantùm loquendi genera annotabimus, quæ ex hoc nomine illustriora, & insigniora ducuntur.*

Argumentum componere.

Argumentum proponere.

Argumentum afferre.

Argumentum relinquere.

Argumentum dare.

Argumentum nasci.

Argumentum esse.

Argumento esse. *Dicitur res argumento esse, quæ probat, uel quæ caussam dat.*

Pro argumento esse.

Argumentum ducere.

Argumentum colligere.

Argumentum arripere.

Argumentum accipere.

Argumentum nancisci.

Argumentum habere. *Et res, & persona dicitur argumentum habere. Res, ex qua scilicet ducitur argumentum, Persona, cui argumentum suppetit.*

Argumento vti.

Argumentum dilatare.

Argumentum astringere.

Argumentum premere.

Argumento egere.

Argumentum alicui deesse.

ARGVTIA.

ARGVTIAE *sunt acutè, aut malitiosè dicta, facta'ue.*

Argutias habere: *Id est, argutum esse.*

ARMA.

NON *solùm hoc nomine bellica, sed etiam omnium ferè artium instrumenta intelliguntur: ut, Agricolarum, Nautarum, Fabrorum, Pistorum, Coquorum, & similium. Arma uerò bellica, sunt instrumenta omnia, quibus in bello utimur.*

Arma parare.

Arma facere.

Arma mouere.

Ad arma vocare.

Ad arma conclamare.

Ad arma stimulare.

Ad arma concitare.

Arma dare.

Armis instruere.

Ad arma descendere.

Ad arma venire.

Ad arma concurrere.

Arma capere.

Arma sumere.

In

In armis esse.
Arma tentare.
Arma conferre.
Arma inferre.
Armis decernere.
Armis contendere.
Ab armis discedere.
Arma proijcere.
Arma abijcere.
Arma ponere.

ARROGANTIA.

ARROGANTIA *est superbia, insolentia, intolerantia, fastidium, contumacia.*
Arrogantiam minuere.
Arrogantiam deprimere.

ARS.

ARS *est ratio, uel facultas, uel uia faciendi. Ponitur etiam pro praeceptis, uirtute, doctrina, disciplina, studio. Et poni potest tum in malam, quam in bonam partem.*
Artem à re aliqua proficisci.
Artem parere.
Artem efficere.
Ad artem reuocare.
Ad artem redigere.
Artem tradere.
Artibus aliquem inficere.
Artibus aliquem tingere.
Artibus aliquem instituere.
Artibus aliquem instruere.
Artibus praeditum esse.
Arteis percipere.
Arteis colere.
In arte versari.
Artem alicui extare.
Artem desinere: *Id est, abijcere, uel se abducere ab arte.*

ARTERIA.

ARTERIA *est receptaculum sanguinis rarioris, & purioris commixti cum spiritu, natura pulsatilis.*
Arteriam laedere.
Arteriam palpitare.
Arteriam acquiescere.

ARTICVLVS.

ARTICVLVS *diminutiuum est artus. Et dicuntur articuli nodi membrorum. Per translationem dicuntur & sarmentorum, & segetum, & montium, & temporis, & orationis.*
Articulorum dolores habere.

ARTIFICIVM.

ARTIFICIVM *est opus, uel opera in arte posita. Sumitur etiam interdum pro ipsa arte.*
Artificium excogitare.
Artificium componere.
Artificium tenere.
Artificio praeesse.
Artificium tueri.
Artificio simulationis erudiri.
Artificium tollere.

ARTVS, us, ui.

ARTVS *extremae corporis partes sunt.*
Artubus omnibus contremiscere.
Artus dolore ardere.
Artus alicui vehementer laborare.

ARVSPICINA.

ARVSPICINA *est Hetruscorum disciplina, ars Extispicum.*
Aruspicinam colere.
Aruspicinam facere. *Eo modo dicunt Latini Aruspicinam facere, quo Piraticam facere, Argentariam facere.*

ARX.

ARX *est castellum, uel receptaculum.*
Arcem munire.
Arcem retinere.
Arcem recipere.

ASCENSVS, us, ui.

ASCENSVS, *est ascendendi actus.*
Ascensum alicui ad aliquid esse.
Ascensu prohibere.
Ab ascensu repellere.

ASPECTVS, us, ui.

ASPECTVS *tum actiue, quam passiue, significationis est: ut sit uel eius, qui aspicitur: uel eius, qui aspicit.*
Ad aspectum pulcher.
Ad aspectum praeclarus.
Aspectu primo voluptatem capere.
Aspectu alicuius curam omnem considere.
In aspectum adducere.
In aspectum proferre.
Aspectum contorquere.
Aspectum referre.
Sub aspectum venire.
Sub aspectum cadere.
Aspectum vitare.
Aspectu priuare.
Aspectum amittere.

Assensio,

ASSENSIO.

ASSENSIO *est approbatio, uel applausus.*
Assensionem captare.
Assensionem fieri.

ASSENTATIO.

ASSENTATIO *est adulatio, blanda uanitas, blandum mendacium.*
Ad assentationem eruditus.
Assentationibus, & blandicijs in alicuius consuetudinem se immergere.
Assentatione gratiam alicuius aucupari.

ASSENTATOR.

ASSENTATOR *est ad alterius uoluntatem loquens.*
Assentatoribus aures patefacere.

ASSESSOR.

ASSESSOR *est quasi secundarius Iudex, qui iuris dicendi caussa principi Iudici assidet.*
Assessorem dare.

ASSEVERATIO.

ASSEVERATIO *est affirmatio.*
Asseueratione omni affirmare.

ASSIDVITAS.

ASSIDVITAS *est opera quotidiana.*
Assiduitatem præbere.
Assiduitatem rei alicuius vitare.

ASSIGNATIO.

DE *huius nominis significatione uide multa in primo Tomo nostrorum Commentariorum.*
Assignationes ratas esse velle.

ASTRVM.

ASTRVM *idem est, quod stella.*
Astrorum cognitione excellere.
Astrum nasci.
Astrum redire.
Ex astris cadere, vel decidere: *Id est, de gradu dignitatis deijci.*

ATRAMENTVM.

ATRAMENTVM *ab ipso colore atro dicitur: cuius duplex est genus: scriptorium scilicet, & sutorium.*
Atramentum temperare.
Atramentum aspergere.

ATRIOLVM.

ATRIOLVM *est atrium minus.*
Atriolum facere.

ATROCITAS.

ATROCITAS *est crudelitas, uel immanitas.*
Atrocitatem habere. *Res dicitur atrocitatem habere, quæ est, uel uidetur atrox.*
Atrocitatem facti augere.
Atrocitatem facti leuare.

ATTENTIO.

ATTENTIO *est uerbale attendendi.*
Attentionem captare.

ATTENTVS.

ATTENTVS *est diligens, diligentiam adhibens.*
Attentus ad aliquid.
Attentus in re aliqua.
Attentum facere.
Attentum tenere auditorem.
Attentum se præbere.
Attentum animum suum ad aliquid tenere.

AVARITIA.

AVARITIA *est impotens auiditas, sordes, inhumanitas. Vel, auaritia est opinatio uehemens de pecunia, quasi ualde expetenda sit, inhærens, & penitus insita. Vel, est iniuriosa appetitio alienorum.*
Auaritia ardenti esse.
Auaritiâ bona aliorum deuorare.
Auaritiam tollere.

AVCTIO.

AVCTIO *est uenditio, quæ in publico loco fit.*
Auctionem constituere.
Auctionem facere.

AVDACIA.

AVDACIA *est confidentia, uel impudentia.*
Audaciam dare.
Audacia armatus.
Audacia fretus.
Audacia efferri.
Audaciam comprimere.

AVDIENTIA.

AVDIENTIA *est ipsa, ut ita dicam, auditio.*
Audientiam sibi facere: *Id est, conciliare.*
Audientiam a Præcone fieri: *Id est, perfici per Præconem.*

Præconem, ut populus præstet aureis.

AVDITIO.

AVDITIO *est actus ipse audiendi: uel rumor, & sermo dissipatus.*

Auditione, *Pro ex auditu. Apud Cice. in Verr. Act. 6. Hoc solum auditione expetere cœpit, cum id ipse non uidisset.*

Auditione rei alicuius duci, *Pro oblectari.*

Auditione rei alicuius moueri.

Auditionem de re aliqua accipere.

Auditione, & fama aliquid accipere.

Auditionem leuem pro re comperta habere. *Id est, temere rumori credere, uel fidem habere.*

De auditione dicere.

AVDITOR.

AVDITOR *est is, qui audit, discipulus: is, apud quem agitur.*

Auditorem conciliare.

Auditorem erigere.

Auditorem se præbere attentum.

Auditores multos habere.

AVDITVS, us, ui.

AVDITVS *idem est quod auditio, uel sensus audiendi.*

Auditu percipere.

Auditu intelligere.

De re aliqua nihil habere præter auditum: *Id est, præter dissipatum sermonem.*

AVGVRIVM.

AVGVRIVM *est auspicium, autoritas rei bene gerendæ.*

Augurium agere.

Augurium dissoluere.

AVIDITAS.

AVIDITAS *est cupiditas, uel desiderium.*

Auiditatem aliquem tenere.

Auiditatem esse in aliquo.

Auiditate rapi.

Auiditatem augere.

Auiditatem tollere.

AVRIS.

AVRES *in Temporum terminis sitæ sunt. Latini pro aurium sensu sæpe usurpant cum quadam uelut translatione.*

Aureis arrigere.

Aureis erigere.

Aurem patefacere.

Aurem admouere.

Aurem præbere.

Aureis dare, uel dedere alicui.

Aureis patêre.

In aureis susurrare.

Aureis complere, uel implere.

Auribus inculcare.

Ad aureis oggannire.

In aureis immittere.

Aureis obtundere.

Ad aureis peruenire.

Auribus æquissimis alicuius uti: *Id est, libenter audiri.*

Auribus accipere.

Aureis calere re aliqua.

Aureis lædere.

Aureis offendere.

Aureis alicuius ab aliquo abhorrere.

Aureis claudere rei alicui.

Aureis peregrinari: *Id est, animo præsenti non audire.*

Auribus dare: *Id est, assentari.*

Auribus Lupum tenere. *Dicitur hoc prouerbium in eos, qui eiusmodi negotio inuoluuntur, quod neque relinquere sit integrum, neq; tolerari possit.*

AVRVM.

AVRVM *noti est nomen metalli.*

Aurum habere.

Aurum factum. *Dicitur aurum factum, ut argentum factum: quo commodè possumus uti.*

Aurum cœlare, vel signare.

AVSPICIVM.

AVSPICIVM, *inquit Festus, ab aue spicienda, nam quod nos cum præpositione dicimus aspicio, apud Veteres specio dicebatur. Valla libro 6. Auspicium est uel à pastu auium, uel ab inspectione.*

Auspicium agere.

Auspicium facere.

Auspicium habere.

AVSPICATO.

AVSPICATO *idem est quod bono auspicio. Cui opponitur uitio.*

Auspicatò aliquid gerere.

AVTOR.

AVTOR *multas significationes habet. Aliquando enim totus in consilio dando uersatur: & tunc pro suasore, impulsore, hortatore, monitore, consiliarioq; ponitur. In qua significatione uel absolutè, uel cum genitiuo, uel cum datiuo in orationem uenit. Interdum ponitur pro machinatore, architecto, inuentore, duce, adiutore, principe, effecto-*

re: & usu eodem est, quo superior significatio. Interdum pro Præceptore, uel scriptore est. Interdum pro eo, cuius autoritatem, & fidem sequimur.
Autorem esse alicui alicuius rei.
Autorem habere idoneum rei alicuius faciendæ.
Autorem sequi.

AVTORITAS.

AVTORITAS idem est quod pondus, momentum, uis, fides, ius possessionis, opinio, iudicium.
Autoritatem facere.
Autoritatem afferre.
Autoritatem dare.
Autoritatem tribuere.
Autoritatem constituere.
Autoritatem alicui accedere.
Autoritatem habere.
Autoritatem alicuius magnam esse apud aliquem.
Autoritatem esse in aliquo.
Autoritatem residere in aliquo.
Autoritatem tenere.
Autoritatem obtinere.
Autoritatem alicuius excellere.
Autoritate florere.
Autoritatem amplificare.
Autoritatem violare.
Autoritatem frangere.
Autoritatem imminuere.
Autoritatem vincere.
Autoritatem exterminare.
Autoritatem abijcere.
Autoritatem hebescere.
Autoritatem hærere, Pro manere.
Autoritatem recuperare.
Autoritatem adiungere.
Autoritatem ponere.
Autoritatem interponere.
Autoritatem intercedere.
Autoritatem perscribere.
Autoritatem suscipere: Id est. opinionem sequi.
Autoritatem sequi.

AVXILIVM.

AVXILIVM est subsidium, præsidium, adiumentum, adminiculum.
Auxilium petere.
Auxilium implorare.
Auxilium efflagitare.
Auxilium ostendere.
Auxilium mittere.
Auxilium ferre.
Auxilium adiungere.
Auxilio esse.
Auxilium ab aliquo habere.
Auxilio spoliare.
Auxilio orbare.

B

BALBVS.



ALBVS dicitur linguâ hæsitans, cuius lingua hæret ita, ut ægrè loqui possit.
Balbum esse.

BALNEVM.

BALNEVM est lauatio, ubi quisque priuatim domi suæ lauabatur.
Balneum calefacere.
E balneo exire.

BARBA.

NON est barba tantùm Hominum: neq; barbæ tantùm Quadrupedum: quin & barba Quadrupedum, & barbæ Hominum utiq; multorum dicuntur.
Barbam tondere.
Barbam demere.
Barbam radere.
Barbam ponere: Pro deponere.

BARBARIA, vel Barbaries.

BARBARIA, uel barbaries dicitur morum asperitas, uel duritas, crudelitas, immanitas. Ponitur etiam pro uitio, quod malè loquentes admittunt: ut si dicas: Apuleius barbaria totus scatet, uel fœdus est. Præterea memineris, barbariem quoq; pro Regione externa, & longinqua dici.
Barbarie infuscari.
Barbariem ex alicuius moribus delere.

BASILICA.

BASILICA est locus amplus: in quo & consilia priuata, & iudicia, & arbitraria conficiuntur: in quo expectant aliquando Salutatores, & conuiuia maxima fiunt, & saltationes, & Ludi.
Basilicam texere.

BASIS.

BASIS est sustentaculum, & inferior columnæ pars: sicut epistylium, superior.
Basim facere.

BELLICVM.

BELLICVM est ad bellum pertinens.

Bellicum

Bellicum canere: *Id est, belli signum dare.*

BELLVM.

BELLVM *est dißensio hostilis, per quam arma mouentur. Et significat tempus, quo sunt hostes in militia: uel prælium, & certamen ipsum. Vergi. Infantem fugiens media inter prælia belli. Et Liuius refert, Pop. Romanum nullo bello, multis uerò prælijs esse uictum. Sæpe tamen bellum pro ipso prælio, & certamine ponitur. Sall. In eo bello trecenti milites desiderati sunt. Dictum bellum (ut Priscianus sentit) ab eo, quod est bonum, per antiphrasim, diminutiuum, quòd minimè bonum sit. Alij non per contrarium à bono deducunt, sed quòd boni gratia bella olim susciperentur: nec ad inferendam, sed ad propulsandam iniuriam, pacem'que parandam. Festus à beluis deriuat. Sed tu nihil has Grammaticorum interpretationes curato, quandoquidem significatio nota est. Vsum uerò, & loquendi modos, qui ab hac uoce ducuntur, sequentia declarabunt. Præmittam autem, in quibus tantùm Adiectiuorum elegantiam, proprietatemq; obseruabis. Posteà sequentur, quæ nonnihil præcipui ornatus habent propter Verborum accersitorum coniunctionem.*

CVM ADIECTIVIS.

Bellum teterrimum.
Bellum maximum.
Bellum pestiferum.
Bellum crudele.
Bellum exitiosum.
Bellum acerbum.
Bellum durißimum.
Bellum periculosum.
Bellum formidolosum.
Bellum difficile.
Bellum fœdum.
Bellum calamitosum.

CVM VERBIS.

Bellum mouere.
Bellum commouere.
Bellum suscitare.
Bellum excitare.
Bellum concitare.
De bello cogitare.
Ad belli cogitationem sese recipere.
Ad bellum animum intendere.
In bellum mente, & animo insistere.
Belli consilium quærere.
De bello consilium inire.
Belli initium capere.
Belli initium facere.
Bellum conflare.
Bellum moliri.
Bellum parare.
Bellum comparare.
Bellum instruere.
Bellum inchoare.
Bellum inire.
Bellum incipere.
In bellum incumbere.
Bello lacessere.
Bello tentare.
Bellum inferre.
Bellum intendere.
Bellum denunciare.
Bellum indicere.
Bello premere.
Bellum suscipere.
Bellum sumere.
Bellum impendêre.
Bellum imminere.
Bellum nasci.
Bellum oriri.
Belli initium nasci.
Bellum exardescere.
Bellum esse.
Bello ardere.
Bello flagrare.
Bellum dare.
Bellum mandare.
Bello præficere.
Bellum administrare.
Bellum gubernare.
Bellum patrare.
Bellum facere.
Bellum gerere.
Bellum ducere.
Bellum componere.
Bellum attenuare.
Bellum imminuere.
Bellum depellere.
Bellum propulsare.
Bellum dirimere.
Bellum restinguere.
Bellum extinguere.
Bellum delere.
Bellum profligare.
Bellum conficere.
Bellum senescere.
Bellum ponere.
Bellum pace mutare.
Belli reliquiæ.
Belli scintilla.
Belli consilium renouare.
Bellum instaurare.
Bellum renouare.

Bellum redintegrare.
Bellum ex bello serere.
Bellum prorogare.
Bellum trahere.
Bellum alere.
Bellum inflammare.
Bellum renasci.
Bellum redire.

BENEFACTVM.

BENEFACTVM *idem est quod beneficium.*
Benefacta rectè collocare.

BENEFICENTIA.

BENEFICENTIA *est benignitas, uel liberalitas.*
Ad beneficentiam conferri bona, vel pecuniam.
Beneficentiæ parere.

BENEFICIVM.

BENEFICIVM *idem significat, quod benefactum, benignitas, liberalitas, meritum, promeritum, officium, gratia, munus.*
Beneficio, vel beneficio tuo: *Frequens est hæc Latinis locutio: & pro eo ponitur, quod uulgò dicimus, tua opera.*
In beneficij loco petere.
In beneficij loco deferre.
Beneficium deferre.
Beneficium dare.
Pro beneficio dare.
Beneficium conferre.
Beneficium tribuere.
Beneficia serere.
Beneficium ponere.
Beneficium collocare.
Beneficium figere.
Beneficium inire.
Beneficijs ornare.
Beneficijs afficere.
Beneficijs aliquem complecti.
Beneficijs augere.
Beneficium augere.
Beneficijs deuincire.
Beneficijs obstringere.
Beneficijs alligare.
Beneficijs obligare.
Beneficia accipere.
Beneficia habere.
Pro beneficio habere.
In beneficij loco ponere.
Beneficia debere.
Beneficia sustinere.
Beneficia tueri.
Beneficijs respondere.
Beneficium reddere.
Beneficium soluere.
Beneficium remunerare.
Beneficium fœnerari.
Beneficia comedere.
Beneficium interire.

BENEVOLENTIA.

BENEVOLENTIA *est bona uoluntas, uel amor.*
Beneuolentiam captare.
Ad beneuolentiam aliquem allicere.
Ad beneuolentiam aliquem conciliare.
Beneuolentiam mouere.
Beneuolentiam contrahere.
Beneuolentiam conciliare.
Beneuolentiam colligere.
Beneuolentiam ex aliquo loco reportare.
Beneuolentiam coniungere.
Beneuolentiam adiungere.
Beneuolentiam suscipere.
Beneuolentiam habere erga aliquem.
Beneuolentiam conferre arga aliquem.
Beneuolentia complecti.
Beneuolentiam declarare.
Beneuolentiam præstare.
Beneuolentiam nauare.
Beneuolentia esse in aliquem: *Id est, aliquem beneuolentia complecti.*
Beneuolentiam perspicere.
Beneuolentiam experiri.
Beneuolentiam tueri.
Beneuolentiam conseruare.
Beneuolentiam adimere.
Beneuolentiam delere.
Beneuolentiam extinguere.

BENEVOLVS.

BENEVOLVS *idem est quod amans, inclinatione animi in aliquem propendens.*
Beneuolum facere.
Beneuolum efficere.

BENIGNITAS.

BENIGNITAS *non, ut multi opinantur, idem utiq; est, quod clementia, lenitas, mansuetudo: sed idem est, quod beneficentia. A quo fit benignè, id est, largè. Et benignus dicitur liberalis, beneficus: unde benignam terram appellamus, fœracem, & fructus abundè reddentem. His contraria sunt, malignus, malignitas, malignè: hoc est, auarus, auaricia, auarè.*

uare. Vnde ager malignus: id est, illiberalis, & minimè ferax. Benignus tamen etiam in communi significato reperitur, poniturq́; pro leni. Et benignitas pro lenitate interdum, uel clementia.

Benignitatem conferre.
Benignitatem claudere.
Benignitatem exhauriri.

BIDVVM.

BIDVVM *est spatium duorum dierum. Quod ad usum pertinet, uarietate permagna est: uariè enim, & eleganter uel per accusatiuum, uel per ablatiuum, uel genitiuum usurpatur.*

PER ACCVSATIVVM.

HVIVS *nominis usum uarium, & elegantiam miram obserua. Pro temporis spatio uel per accusatiuum, uel per ablatiuum in oratione collocatur. Et eodem modo ponitur pro loci interuallo, uel intercapedine.*

ACCVSATIVVS TEMPORIS.

CICERO *Famil. vij. Cùm quidem biduum ita ieiunus fuissem, ut ne aquam quidem gustarem. Idem Famil xv. Biduum Laodiceæ fui.*

ABLATIVVS TEMPORIS.

CICERO *Famil. iij. Biduo factus est mihi familiaris. Idem ad Atti. ij. Scribam ad te, cùm Cæsarem uidero: qui aderit biduo.*

ACCVSATIVVS LOCI.

CICERO *Ad Att. viij. A' Brundusio absunt propius, quàm tu, biduum.*

ABLATIVVS LOCI.

CAESAR *de Bel. Gal. vij. Brutum adolescentem his copijs præficit: hunc monet, ut in omneis parteis Equites quàm latißimè peruagentur: daturum se operam, ne longius triduo à castris absit.*

GENITIVVS LOCI.

CICERO *ad Atti. v. Nos in ea castra properabamus, quæ aberant bidui: Id est, bidui itinere, uel uia. Ibidem: Hanc epistolam dictaui sedens in rheda, cùm in castra proficiscerer: à quibus aberam bidui.*

BILIS.

BILIS *à Græcis dicitur cholera.*

Bilem mouere.
Bilem commouere.
Bilem concire.

BLANDIMENTVM: Blanditia.

IDEM *significat utrumq; hoc nomen: poniturq́; pro assentatione. Et utriuis eadem loquendi genera rectè assignare potes.*

Blandicijs ad aliquid allici.
Blandimentis corrumpere.
Blandicijs ab aliquo nummos exprimere.
Blandicijs officiorum quærere hæreditates.
Blanditijs influere in aureis alicuius.

BONA.

BONA *sunt commoda, uel diuitiæ.*

Bona parare.
Bona tribuere.
Bonis cumulare.
Bona partiri.
Bona publicare.
Bona eripere.
Bona adimere.
Bona ad incertum reuocari.
Bona abligurire.
Bona dilapidare.
Bona dissipare.
Bona profundere.
Bona absumere.

BONITAS.

BONITAS, *ut bonus, significatione uaria est. Interdum enim pro æquitate, lenitate, uel liberalitate, & beneficentia ponitur. Interdum uerò pro præstantia, uel feracitate est: ut bonitas agrorum, uel prædiorum.*

Bonitate prædiorum esse.
Bonitate affluere.

BRACHIVM.

BRACHIVM *ab humero incipit: finit ad cubitum*

Brachium extendere.
Brachium proijcere, *Pro extendere.*
Brachium frangere.
Brachio leui aliquid agere.
Brachio molli aliquem obiurgare.

CVM *translatione ponunt Latini has duas locutiones. Brachio molli aliquem obiurgare, est leuiter obiurgare. Brachio leui aliquid agere, est indiligentem operam adhibere.*

BVCCA.

BVCCA *est interior Malarum pars.*

Buccas fluere: *Id est, distendi.*
Quicquid in buccam venit: *A' bucca dicitur*

hæc locutio: qua significatur, quicquid ex tempore cogitamus.

BVCCINATOR.

BVCCINATOR *idem est, quod præco, uel prædicator.*

Buccinatorem existimationis alicuius esse.

BVSTVM.

BVSTVM *propriè dicitur locus, in quo mortuus est combustus, & sepultus: diciturque combustum, quasi bene ustum. Hæc Festus. Seruius autem in Duodecimum Aeneidos ita scribit. Pyra est lignorum congeries. Rogus, cùm ardere cœperit, dicitur. Bustum uerò iam exustum uocatur. Ponitur etiam pro monumento.*

Bustum facere.
Bustum imponere.
Bustum violare.

C

CACHINVS.



ACHINVS *est risus solutior.*

Cachinum commouere.
Cachinum in aliquem sustollere.

CADAVER.

CADAVER *est corpus quodcunq; mortuum. Per translationem dicit cadauera oppidorum pro ruinis Seruius Sulpitius ad Ciceronem scribens Libro Fa, Epist. iiij.*

Cadauer abijcere.
Cadauer eijcere.
Cadauer proijcere.

CAECITAS.

CAECITAS *est propriè priuatio sensus oculorum. Vel est tam corporis, quàm animi, orbitas.*

Cæcitatem animi afferre.
Cæcitate animi rapi.

CAECVS.

CAECVS *est oculis captus, qui caret lumine. Extra personam aliquando euagatur: & tunc ponitur pro obscuro, uel caliginoso.*

Cæcum reddere.
Cæcum fieri.
Cæcum, & præcipitem ferri in re aliqua.
Cæca cupiditate rapi.
Cæcum crudelitate, & scelere ferri.
Cæcum cupiditate, atque auaritia esse.
Cæcum, atque amentem furore esse.
Cæcum amentia esse.

CAEDES.

CAEDES *est occisio. Vel cædes est mors non fatalis, sed ferro, aut ligno, aut saxo, similibusue illata: præsertim occidere, aut ferire, aut percutere uolentis. Inde dicimus aliquem commisisse cædem: uel aliquem de cæde accusari.*

Cædem moliri.
Cædem quærere.
Cædem creare.
Cædem facere.
Cædem efficere.
Cædem committere.
Cædem perpetrare.
Cædem edere.
Cædem reprimere.
Cædem instaurare.
Cædem redintegrare.
Cædem renouare.

CALAMISTRVM.

CALAMISTRVM *est acus maior, quæ calefacta, & fronti adhibita intorquet capillos, ut ait Seruius. Varro calamistrum interpretatur: quo calefacto in cinere capillus ornatur.*

Calamistrum adhibere.
Calamistris inurere.

CALAMITAS.

CALAMITATEM *(inquit Donatus) propriè grandinem Rustici dicunt, quòd calamum, & segetem comminuat. Plin. Libro. xviij. naturalis Historiæ. Hordeum ex omni frumento minimè calamitosum, quia tollitur, antequàm triticum occupet rubigo. Vnde Cicero metaphoricè in Verr. Act. ij. ita inquit: Eademq; ui, & iniuria cùm pecunias maximas cogeres, per omneis parteis Prouinciæ te tanquam aliquam calamitosam tempestatem, pestemque peruasisse demonstro. Idem alibi de eodem: Quicunq; iter fecit, eiusmodi fuit, ut non Legatus Pop. Roma. sed ut quædam calamitas peruadere uideretur. Non potuit Cicero significantiùs Verris Prætoris furta, ac rapinas, & iniurias exprimere. Teren. in Eunuch. Sed ecca ipsa egreditur nostri fundi calamitas. Calamitas etiam in ludis scenicis dicebatur, cùm fabula exigebatur: ut in Prologo Hecyræ apud Terentium est: Hecyra, inquit, est huic nomen fabulæ. Hæc cùm data est noua, nouum interuenit uitium, & calamitas, ut neq; spectari, neq; cognosci potuerit. Calamitas sic proprijs quibusdam modis loquendi nonnunquam à Latinis ponitur. Verùm generaliter est pro aduersa, uel incommoda fortuna, aut pro incommodis rebus, aut ærumna, uel pernicie.*

Calamitatem

Calamitatem afferre.
Calamitatem importare.
Calamitatem machinari.
In calamitatem trahere.
Ad calamitatem depellere.
Calamitate afficere.
Calamitate affligere.
Calamitatem accidere.
Calamitatem incidere.
In calamitatem incidere.
In calamitatem venire.
Calamitatem capere.
Calamitatem accipere.
Calamitatem subire.
Calamitatem haurire.
Calamitatem tolerare.
Calamitatem ferre.
In calamitate tabescere.
Calamitatem serpere.
Calamitate prohibere.
Calamitatem leuare.
Calamitate leuare.
Calamitatem detrahere.
Calamitate liberare.
Calamitatem abesse ab aliquo.

CALAMVS.

CALAMVS *propriè est frutex aquaticus: qui & arundo dicitur. quamuis arundo propriè sit, quæ crassior, ac longior est, seritur'que ad usum præcipuè uinearum. Calamus, gracilis, tenuisq;, & tibijs ferè, ac scripturæ aptus. Calamum igitur ponunt Latini pro instrumento, quo scribimus: quòd ex arundinum culmis fieri solebat.*
Calamum ad scribendum sumere.

CALCAR.

CALCAR *est Equorum, ac Iumentorum stimulus: quòd ad calcem alligetur.*
Calcar admouere.
Calcar adhibere.
Calcare quadrupedem agitare.
Calcaribus Equum concitare.
Calcaria Equo subdere.
Calcar currenti addere: *Pro cupiditatem, ac studium alicuius augere, atque acuere.*

CALCEVS.

CALCEVS *est indumentum pedis.*
Calceos induere:
Calceos mutare.

CALCVLVS.

CALCVLVS *est lapis breuis terræ admixtus: sic dictus, quòd sine molestia sui breuitate calcetur. Præterea est lapillus in corpore, ex quo maximus cruciatus gignitur. Porrò calculus est, quem latronem, seu latrunculum appellarunt Veteres: Iuniores scacum uocant. Et sunt orbiculi, quibus luditur in Fritillo. Calculi etiam pro rationibus accipiuntur: quòd lapillis Antiqui rationem subducere solerent.*
Calculos subducere: *Id est, rationem subducere.*
Ad calculum reducere: *Id est, ad rationem subducendam.*
Calculum reducere: *Est immutare factum, cuius te pœniteat: aut uertere consilium rei non satis cōmodè institutæ.*
Ad calculos vocare: *Id est, æstimare.*
Calculum ponere: *Id est, rationes expendere.*
Ad calculos reuerti: *Est redire ad rationem, ac respectum, consilium'que. Cicero ad Attic. Quare nunc saltem ad illos calculos reuertamur, quos tum abiecimus, ut nō solùm gloriosis consilijs utamur, sed etiam paulò salubrioribus.*
Calculo candido notare. *Solebant Thraces prosperos dies, & lætos, si qui contigissent eis, calculo albo in Vrnam coniecto, notare: infelices autem, in quibus infeliciter aliquid euenisset, atro calculo: ut scirent, anno elapso quot prosperi: & quot infelices contigissent.*
Calculum album adijcere errori alterius. *Mos erat Antiquis per album calculum in Vrnam coniectum probare aliquid, uel suffragari. Per atrum uerò, siue nigrum, condemnare.*
Calculum de se permittere: *Eundem ferè sensum habent hi loquendi modi: Mittere in consilium: censendi potestatem facere: calculum permittere: calculum porrigere: calculum proponere.*

CALENDAE.

CALENDAE *sunt primus cuiuslibet mensis dies.*
Tertio calendas.
Ad tertium calendas.
In ante diem calendas.
Ad calendas.
Calendis.

CALIGO.

CALIGO *pro tenebris sumitur. Et aliquando, ut nox, uel tenebræ, transfertur. Dicimus enim eleganter caliginem temporum.*
Caliginem offundere.
Caligine tegi.
Caliginem discutere.

CALIX.

CALIX *est genus poculi, quo bibimus.*
Calicem alicui impingere.

CALLIDITAS.

CALLIDITAS *est astutia.*
Calliditate valere.

CALLVM.

CALLVM, uel callus propriè est cutis labore uie pedibus, aut alio opere in manibus, partè'ue alia corporis densior facta: cuiusmodi est in Suis rostro, ceruice Bouis, animalium plantis Pedum.

Callum obducere. Per metaphoram elegans est hæc locutio, pro assuetum, firmum, & exercitatum reddere: sed maximè in rebus aduersis.

CALOR.

CALOR est tepor, uel ardor.

Calorem esse à re aliqua.
Calorem temperare.
Calorem se frangere.
Calorem vitare.

CALVMNIA.

CALVMNIA est calliditas, uel malitiosa interpretatio.

Calumniam adhibere.
Calumniam iurare. Iurare calumniam uulgò dicitur iurare de calumnia: quod fit ante litem contestatam.

CALVMNIATOR.

CALVMNIATOR dicitur, qui per fraudem, & frustrationem alium uexat litibus: aut qui malitiosè aliquid interpretatur.

Calumniatorem quærere.
Calumniatorem reperire.
Calumniatorem apponere.

CALX.

CALX interdum pro posteriore parte pedis ponitur. Interdum pro percußionibus pedum, uel plagis. Interdum per metaphoram pro fine, uel meta.

Calce premere.
Calcibus conscindere.
Calcibus certare.
Ad calcem decurrere: Id est, ad metam.
Ad calcem peruenire.
A calce ad carceres reuocari: Id est, à fine ad principium.

CAMPVS.

CAMPVS est planities siue agrestis, siue urbana. Translatè pro argumenti, & materiæ ubertate eleganter accipitur.

Campum dare.
Campum habere.
In campum descendere

CANCELLI.

CANCELLI propriè significant opus subtili materia in transuersum compacta, ad similitudinem retis factum: quod frequentia foramina habet: qualia sunt, quæ in corpore efficit cancer morbus. Propria ea est cancellorum significatio. Cum translatione ponuntur cancelli pro terminis, uel limitibus.

Cancellos circundare alicui.
Cancellos sibi circunscribere.
Cancellis certis scientiam aliquam circunscribere.

CANON.

CANON est uox Græca: Latinè regula dicitur.

Canonem esse alicuius scriptorum.

CANTILENA.

CANTILENA à Latinis ponitur pro sermone dissipato, aut sæpius usurpato, sed eo tamen ridiculo, & inani: qui uel publicus esse potest, uel inter priuatos.

Cantilenam alicui insusurrare.
Cantilenam ex re aliqua pendêre.

CANTVS.

CANTVS est symphonia, uel uocis inflexio.

Cantus fundere.
Cantus moderari.
Cantus flectere.
Cantus remißiores facere.
Cantus mutare.
Cantibus ædes personare.
Cantibus incitari.
Cantibus pelli.
Cantibus aures teneri.

CAPILLVS.

CAPILLVS est quasi capitis pilus: quamuis & pro omni pilo ponitur.

Capillum componere.
Capillum comere.
Capillum tondere.
Capillum defluere.
Capillum profluere.

CAPTIO.

CAPTIO est deceptio, uel argutia.

Captionem habere. Res habere captionem dicitur, quæ captione implicita est: uel captionem tendit.
Captionibus abundare.
In captiones inducere.

Captione

Captiones refellere.

CAPVT.

CAPVT *dicitur tota ea pars, quæ supra collum est. Ponitur item translatè pro existimatione. Pro uita, & salutis discrimine. Pro eo, quod Barbari dicunt principale. Pro parte diuisa. Pro causa, fonte, uel autore. Pro eo, quod rem continet: quod Barbari dicunt punctum, uel punctum principale: De his tam uarijs capitis significationibus uide bene multa in primo Tomo nostro.*

Caput aperire: *Id est, salutare capite aperto.*
Caput tegere: *Quod fit post salutationem.*
Caput operire.
Caput abscindere.
Caput obtruncare.
In iudicium capitis aliquem vocare.
In discrimen capitis adducere.
Capitis condemnare.
Capite mulctare.
De capite detrahere. *Id est, de summa præcipua.*
De capite remittere
Quod caput est: *Id est, quod est præcipuum, uel potissimum, uel punctum rei, ut Vulgus loquitur.*
Nec caput, nec pedes habere. *Rem nec caput, nec pedes habere dicimus, cùm ita impedita, & implicata est, ut non eat, id est, ut expediri non possit: uel ut illi nullum possit afferri remedium.*

CARCER.

CARCER *tam in singulari, quàm in plurali numero apud Latinos repagula significabat: unde in stadijs cursus initium erat. Cicero de Amic. Maximè quidem optandum, ut cum æqualibus possis uiuere: cum quibus tanquam è carceribus emissus sis, cum isdem ad calcem (ut dicitur) peruenire queas. Idem de Senect. Quòd si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, & in cunis uagiam, ualde recusem: nec uerò uelim, quasi decurso spacio, à calce ad carceres reuocari. Idem ad Herenn. iiij. Quasi si quis ad Olympiacum cursum uenerit, & steterit, ut emittatur, impudentes'que illos dicat esse, qui currere cœperint, ipse intra carcerem stet. Idem in Bruto: Nec enim in quadrigis eum secundum numerauerim, aut tertium, qui uix è carceribus exierit, cùm palmam iam primus acceperit: nec in Oratoribus, qui tantum absit à primo, uix ut in eodem curriculo esse uideatur. Vna est igitur illa carceris significatio. Altera autem est, cùm pro loco ponitur, ubi continentur criminis alicuius accusati.*

In carcerem mittere.
In carcerem ducere.
In carcerem deducere.
In carcerem contrudere.
In carcerem compingere.
In carcerem conijcere.
In carcerem condere.
Carcere emittere.

CARITAS.

CARITATEM *à carendo deriuari uolunt Grammatici. Itaque caritatem pro penuria, & inopia accipere tradunt Latinos. Sed frumenti quidem, & annonæ caritatem dicimus. Penuriam uerò uini, aquæ, pabuli, pecorum, pecuniæ, uirorum, cæterarum'que eiusmodi rerum. Vel penuria est, ut sic dicam, carentia omnium rerum. Hæc cum Grammaticis, maximè cum Laurentio Valla, tibi tradimus: tamen, ut liquidiùs rem tractemus, scito penuriam, & caritatem nihil inter se commune habere. Nam penuria in paucitate, & inopia posita est: caritas uerò in precio. Atque licet ea, quorum paucitas est, apud Mortaleis cara esse soleant: tamen si id, quod paucum est, & rarum, is, qui id habeat, uili pretio uendere uelit, quis tum publicam penuriam caritatem interpretabitur? Quanquam non negare uelim, caritatem ex penuria nasci: sed tamen non concedam, penuriam, & caritatem idem significare: diuersa enim significatione sunt, ut ratione modò probauimus.*

In caritate annum esse.
Ex caritate vilitatem nasci.

CARMEN.

CARMEN *dicitur, quicquid certa lege, & mensuris compositum est: cuiusmodi sunt Opera Vergilij: quæ magis cantui accommoda sunt, quàm quæ prosa oratione scribuntur. Ponitur etiam carmen pro incantatione. Vergil. Carmina uel Cœlo possunt deducere Lunam.*

Carmen condere.
Carmen componere.
Carmen texere.
Carmen scribere.
Carmen fundere.
Carmen canere.

CARNIFICINA.

CARNIFICINA *dicebatur locus publicus, in quo iussu Magistratus rei capitis condemnati occidebantur. Pro immanitate posuit eleganter Cicero in Oratione pro Sestio: Non ea est (inquit) medicina, cùm sanæ parti corporis scalpellum adhibetur: carnificina est ista, & crudelitas.*

Carnificinam subire.

CASTELLVM.

CASTELLVM *est paruum castrum, uel paruum oppidum. Castella etiam sunt deriuacula quædam laxiora certis spacijs emodulata: ex quibus aqua per fistulas in uaria loca distribuitur, id est, in uillas, & Prætoria nobilium, in multis*

principali

principali: ut docet Frontinus in Lib. de aquæ ductibus. Vitruuius Lib. viij. Ductus aquæ fiunt generibus tribus, riuis per canales structileis, aut fistulis plumbeis, seu tubulis ductilibus: quorum hæ rationes sunt. Si canalibus, ut structura fiat quàm solidissima, solum'que riui libramenta habeat fastigiata: ne minus in centenos pedes semipede. Eæ'que structuræ confornicentur, ut minimè sol aquam tangat: cum'que uenerit ad mœnia, efficiatur castellum, & castello coniunctum ad recipiendam aquam triplex immissarium.

Castellum munire.
Castellum defendere.
Castellum expugnare.
Castellum capere.
Castellum diruere.

CASTRA.

CASTRVM *in singulari numero Locus est muris munitus, & septus. In plurali uerò ponitur pro exercitu: uel pro loco, in quo milites tentoria figunt.*

Castra metari.
Castra facere.
Castra ponere: vel posita habere.
Castra disponere.
Castra constituere.
Castra locare.
Castra habere.
Castra contrahere.
Castra mouere.
Castra promouere.
Castra proferre.
Castra opponere.
Castra obijcere.
Castra castris conferre.
Castra cum castris iungere.
Castra tentare.
Castra inuadere.
Castra circunuenire.
Castra capere.
Castris exuere.
Castra occupare.
Castris potiri.

CASVS.

CASVS *dicitur sors, fortuna, euentus, ruina. Et id per translationem. Propriè enim dicitur casus, cùm quid cadit, & in terram fertur. Præterea casus dicimus non modò ea, quæ fortuitò hominibus accidunt, sed etiam uocabulorum formas.*

CVM ADIECTIVIS:
id'que in malam partem.

Casus grauissimus.
Casus anceps, vel varius.
Casus infestus.
Casus horribilis.
Casus aduersus.
Casus præceps.
Casus miserabilis.

CVM VERBIS.

Casum habere: *Dicuntur ea casum habere, quæ casui subiecta sunt.*
Casum interuenire.
Casum incidere.
Ad casum obijcere.
In casum demittere.
In casum impellere.
In casum venire.
In casum incidere.
In casu esse. *Variam significationem habet hæc locutio. In casu enim aliquid dicitur esse, quod in fortunæ potestate positum est. Dicitur etiam aliquis in casu esse, qui casum subijt siue bonum, siue malum.*
Casu affligi.
Casum releuare.
Casum sustentare.

CATHENA.

CATHENA *est uinculum ferreum, quo uel seruos, uel captiuos, uel animalia irretimus, ne effugiant.*

Cathenam alicui inijcere.
Cathena constringere.
Ex cathenis soluere.

CAVEA.

CAVEA *est septum, in quo aues, & bestiæ includuntur. Dicebatur etiam locus, ubi populus sedens ludos spectabat.*

In cauea includere.
E cauea mittere.
Cauea liberare.

CAVPO.

CAVPO *dicitur tabernarius.*

Ad cauponem diuertere.

CAVSA.

VT VERBA *sunt quædam magnæ admodum in Lingua Latina ditionis: ita etiam eadem Lingua quædam nomina habet, quorum significatio latè admodum patet: ut certè est hoc nomen. Cuius significatio uel ad forum pertinet: uel extra forum est.*

CVM AD FORVM
pertinet.

CAVSA, *cùm ad forum pertinet, significat controuersiam forensem, iudicij conflictationem, litigationem.*
Causa inferior, uel superior: *Superiorem causam Antiqui dicebant, pro eo, quod nunc dicimus causam iure communi fundatam, uel iure apparentius. Cuius contrarium inferiorem causam uocabant.*
Causam facere.
Causam nasci.
In causam se demittere.
In causam descendere.
In causam ingredi.
Hebetem'ne me usque adeo putas, ita ignauo, inerti'que ingenio, uel sic potius negligenter in Cicerone uersatum, ut treis proximos loquendi modos non de causa forensi, sed de communi rerum statu, aut publico officio dici posse non intelligam? intelligo quidem planè: sed quoniam similes ad causam forensem pertinere possunt, illos huc traduxi: quorum similitudine ad rem tuam, si quando opus erit, utaris: à causa enim forensi non abhorrent.
Causam vocari in iudicium.
Causam deferre ad aliquem.
Causam accipere
Causam recipere.
Causam suscipere.
Causam sustinere.
Causam tutari.
Causam defendere.
Causam tractare.
Causas versare.
Causam agere.
Causam actitare.
Causam dicere.
Causam dicere ex vinculis.
Causam informare.
Causam orare.
Causam perorare
Causas declamare.
Causam obtinere.
Causa cadere.
Causam amittere.
Causam aduersarijs tradere: *Id est, cedere.*
Causam componere: *Id est, controuersiam sedare.*
Causam iudicare.
Causam alicui adiudicare.

CVM EXTRA
forum est.

VIDE *in secundo Tomo nostro, quæ diligenter de huius nominis significatione extra forum posita tradidimus. Extra forum autem cùm est causa, idem est quod occasio, caput, origo, fons, radix, principium, seminarium (scilicet cùm seminarium translatè accipitur) semen, uel stirps, status, conditio, partes.*
Causam quærere.
Causam inuenire.
Causam capere.
Causam afferre.
Causam dare, *Pro occasionem dare.*
In causa esse.
Causam esse alicui.
Causam habere: *Id est, occasionem habere, uel ratione aliqua probabili niti ad aliquid faciendum.*
Causam conferre.
Causam explicare.
Causam adimere.
Causam deesse.
Causæ nihil dico, *Pro non renuo, uel recuso.*
Causæ nihil est, quin, cur, quare.

CAVTIO.

CAVTIO *& actiuè, & passiuè ponitur. Cùm passiuæ est significationis, de cautione promissoria, uel stipulatoria intelligitur. Cùm actiuæ est, denotat prudentiam quandam, & diligentiam.*
Cautionem habere. *Dicitur res habere cautionem, uel in qua cautioni relictus sit locus: uel in qua multa cauenda sunt. Quæ significatio si quibusdam fortè passiua uideatur, equidem nihil pugno: actiuus tamen est effectus.*
Cautionem adhibere.
Cautionem adiungere.

CELEBRITAS.

CELEBRITAS *uel ad locum, & hominum frequentiam pertinet: uel ad honorem, & dignitatem, existimationem'que refertur.*
Celebritatem habere. *Celebritatem habere dicitur locus, qui celebris est.*
Celebritate refertus.
Celebritate lætari.
Celebritatem assequi.
Celebritate florere.
In celebritate viuere.
Celebritate iudiciorum distineri.
Celebritatem tollere.
Celebritate funeris spoliare.

CELERITAS.

CELERITAS *est corporis uelocitas: sed extra propriam significationem ad multa transfertur, opponitur'que tarditati.*
Celeritatem adhibere.
Celeritatem suscipere.
Celeritatem morari.
Celeritatem incitare.

Census,

CENSVS, us.

CENSVS, *est prouentus bonorum: uel fortunæ, & copiæ: uel æstimatio rerum, ac bonorum. Vnde census tributum dicebatur.*
Censum habere: *Id est, æstimationem facere.*
Sine censu esse.
Censu liberare.

CERA.

CERA *est, quæ fit expressis fauis.*
Cera oblinere.
Cera notare.

CEREBRVM.

CEREBRVM *notæ est significationis dictio.*
Cerebrum excutere.
Cerebrum dispergere.
Cerebrum diminuere.

CERIMONIA.

CERIMONIA *est sacrorum religio. Nonnulli cæremoniam dicunt. Et cæremoniarum causam alij ab oppido Cære dictam existimant: alij à caritate dictam iudicant. Tit. Liuius ab Vrbe cond. Lib. v. de L. Albino quodam ex plebe Romana homine loquitur, qui uirgines, sacraque Cære plaustro peruexit: unde quidam cæremonias dictas existimant. Sabinus apud Aul. Gellium Lib. iiij. cap. ix. à carendo deducit. Vtcunque est, uocamus ceremonias ritus sacros.*
Ceremoniam afferre.
Ceremonijs præesse.
Ceremoniam polluere.

CERTAMEN.

CERTAMEN *ad rem bellicam pertinet: uel extra rem bellicam est.*

EXTRA REM BELLICAM:

CVM *extra rem bellicam est, pro priuata contentione, uel concertatione ponitur.*
In certamen venire.
In certamen descendere.
Certamen instituere.
Certamen esse alicui cum aliquo.
Certamen esse inter aliquos.

CVM AD REM BELLI*cam pertinet.*

AD REM *bellicam pertinens hoc nomen, poni solet pro prælio, pugna, dimicatione.*
Certamen instare.
Certamen oriri.
Ad certamen accendi.
Certamen serere.
Certamen tentare.
Certamen experiri.
Certamen inijcere.
Certamen præbere.
Certamen miscere.
Certamen facere.
Certamen anceps facere.
Certamen extrahere.
Certamen abnuere.
Certamen sedare.
Certamen renouare.

CERTATIO.

CERTATIO *est contentio.*
Certationem esse alicui cum aliquo.

CERTVS.

CERTVS *idem est quod non dubius, compertus, exploratus, definitus, ratus.*
Certiorem facere aliquem rei alicuius.
Certiorem facere de re aliqua.
Certum esse aliquid alicui facere: *Id est constitutum, & deliberatum.*
Pro certo aliquid dicere.
Pro certo aliquid habere.
Certò scire: certum scire: certè scire.

CERVIX.

CERVICEM, *uel ceruices uocant Latini posteriorem partem colli: Medici nonnulli tendines appellant. Variè uerò transfertur, & ponitur aliquando pro audacia: ut apud Cic. in Ver. Act. v. Bene agis: tamen si qui erunt tantis ceruicibus Recuperatores, qui audeant in Prouincia, cum Prætor adsit, non solùm contra uoluntatem eius, sed etiam contra fortunas iudicare, &c.*
In ceruicibus imponere.
In ceruicibus collocare.
Ceruices dare, vel subijcere.
Ceruicibus sustinere.
A' ceruicibus auertere.
A' ceruicibus repellere.
A' ceruicibus depellere.

CESSATIO.

CESSATIO *est otium.*
Cessationis furtum quærere.
Cessationem dare.

CESSATOR.

CESSATOR *dicitur otiosus, qui cessat, qui nihil agit.*

Cessatorem esse in re aliqua.

CHARITAS.

CHARITAS *idem est, quod amor.*
Charitatem gignere.
Charitatem conciliare.
Charitatem esse inter aliquos.
Charitatem retinere.
Charitatem adimere.
Charitatem dirimere.

CHARTA.

CHARTA *papyrus est appellata, quòd scilicet ex papyro fieret. Posteà uerò, id genus chartæ inuentum est, quo nunc passim utimur: fit'que ex linteolis contritis.*
Chartam suppeditare.
Chartam obsolescere.

CHARVS.

CHARVS *significat acceptum, gratum, iucundum, antiquum.*
Charum habere.
Charum esse.

CHIROGRAPHVM.

CHIROGRAPHVM *est cautio manu alicuius subscripta, annulo'ue obsignata: quem ipse inficiari nequit.*
Chirographum alicuius imitari; *Id est, quod uulgò dicitur, contrefacere signum.*
Chirographo conuincere.

CHORDA.

CHORDA *alio uocabulo dicitur fides, is.*
Chordas intendere.

CIBARIA.

CIBARIA *sunt omnia, quibus animantes uescuntur, & aluntur.*
Cibaria petere.
Cibaria dare.
Cibaria præbere.

CIBVS.

CIBVS *est esca, pastus, epulæ.*
Aliquid in cibo esse homini; *Id est, hominem eo uti pro cibo.*
Cibum suppeditare.
Cibum capessere.
Cibum capere.
Cibum sumere.
Cibo famem depellere.
Cibo nimio onustum esse.
Cibum concoqui.
Cibum modificari.

CICATRIX.

CICATRIX *est signum, quod ex uulnere, siue ulcere remanet.*
Cicatricem excipere.
Cicatricem obduci.
Cicatricem coire.
Cicatricem refricare.

CIRCVLVS.

CIRCVLVS *idem est, quod orbis, forma plana in orbem acta, gyrus, rotundus ambitus, corona hominum colloquentium.*
Circulos consectari.
A circulo se subducere.

CIVIS.

CIVIS *idem est, quod municeps, uel popularis. Tu caue, Conciuem tuum dicas, sed ciuem. Conciuis enim barbara est dictio.*
Ciuem designare.
Ciuem facere.
Ciuem esse.

CIVITAS.

CIVITAS *est ciuium multitudo unum in locum congregata.*
Ciuitatem constituere.
In aliquam ciuitatem se dicare.
Ciuitatem dare; *Id est, ius ciuitatis.*
Ciuitatem largiri.
Ciuitatem impertiri.
Ciuitate donare.
In ciuitatem suscipere.
In ciuitatem recipere.
In ciuitatem venire.
Ciuitate mutari.
Ciuitatem amittere.
Ciuitatem perdere.

CLADES.

CLADES *est cædes, uel calamitas.*
Cladem afferre.
Cladem inferre.
Cladem facere.
Cladem accipere.
Cladem reddere.

CLAMOR.

CLAMOREM *propriè dici uolunt Grammatici ea lamorum sonum, quasi calamorem. Etenim uento agitatæ*

arundines non paruam uocem emittunt.
Clamorem mouere.
Clamorem excitare.
Clamorem facere, vel efficere.
Clamorem edere.
Clamorem profundere.
Clamorem tollere, *Pro sustollere, uel extollere.*

CLANGOR.

CLANGOR *dicitur propriè sonus tubæ. Dicitur tamen & Aquilæ, & Anserum clangor.*
Clangorem fundere.

CLARITAS.

CLARITAS *est splendor, amplitudo: splendor nominis, altitudo fortunæ, & gloriæ.*
Claritatem aucupari.
Claritatem assequi.
Claritate celebrem esse.

CLARVS.

CLARVS *non minorem elegantiam habet cum translatione, quàm cũ proprietate. Propriè hoc nomine sic utitur Cicero: illustri, & claro quodam loco Carthaginem ostendebat. Idem: Clara uoce, ut omnes exaudire poßint, dicere aliquid. Idem: Clara uoce imperare aliquid alicui. Idem: Clara res est, toto'que Orbe celeberrima, atque notißima. Idem: Ego, quæ clara sunt consuetudine, diutius dicere non debeo. Idem: Plurimis nostris exemplis usus est, & iis quidem claris, & illustribus. Translatè sic idem Cicero hac uoce utitur:*
Clarus, & nobilis ex doctrina.
Clarus vir gloria, & autoritate grauis.
Claram fore alicuius virtutem, & insignem Posteris.
Clarus, & honoratus vir.
Clarissimus, & amplissimus vir.
Clarissimi, & amplissimi Philosophi.

CLASSIS.

CLASSIS *significatio aliquantum uaria est, spectatq; ad rem nauticam: uel extra rem nauticam uersatur. Extra rem nauticam, ponitur pro ordine. Certum est enim ex Tit. Liuio, & aliis rerum Romanarum Scriptoribus, Populum Romanum in classes quinque ex censu fuisse distributum. Inde dicebantur primæ claßis alij: alij secundæ: alij superioris: alij inferioris. Sic igitur ponitur claßis pro ordine. Ad rem nauticam pertinens ponitur pro naui: uel pro nauium multitudine. Id uerò fac diligenter recordere, omnia loquendi genera, quæ naui posteà attribuemus, claßi etiam conuenire posse.*
Classem comparare.
Classem instruere.
Classem frangere.
Classem deprimere.

CLAVSTRVM.

CLAVSTRVM *est clausura, siue quo aliquid clauditur.*
Claustra reuellere.
Claustra refringere.

CLAVVS.

CLAVI *præcipua est elegantia, cùm pro nauis gubernaculo ponitur.*
Clauum tenere in naui: *Id est, nauem ipsam regere.*
Clauum Imperij tenere: *Id est Imperium tractare.*

CLEMENS.

CLEMENS *est lenis, mitis, mansuetus, uel humanus. Et tam de rebus, quàm de personis, dicitur: ut, clemens seruitus, clemens castigatio, clemens uita.*
Clementem esse.
Clementem se præbere.

CLEMENTIA.

CLEMENTIA *est animi lenitas, humanitas, mansuetudo, misericordia, animaduertendi moderatio: per quam scilicet animi temere in odium alicuius inuectionis concitati comitate retinentur.*
Clementiæ plenum esse.
Clementiæ specie aliquem sibi deuincire.

CLIENS.

CLIENS *propriè litigatorem significat, cuius causam defendimus: dictus quasi colens: quemadmodum & qui causam eius agit, appellatus est patronus, quasi pater. Moris autem fuit apud Antiquos, ut Prouinciales, & Socij populi Romani in clientelam sese darent Proceribus Romanis, quos patronos sibi adoptabant non modò publicè, sed etiam priuatim: ij'que ut clientes eorum dicerentur: inter se uerò hospites. Ferebat autem id huiusmodi neceßitudo, ut clientes perpetuó patronorum suorum patrocinio caput, ac fortunas suas tuerentur: uicißim'que ipsi patronos suos omni obseruantia, atque obsequio colerent, & uenerarentur. Quos uerò hac ætate uulgus uassallos uocat, clientes latinè appellare soleo: & clientelam obseruantiam ipsam, & obsequium, quod Homagium dicunt: clientelaris scilicet officij sponsionem, agnitionem'que. Cliens etiam ponitur pro sectatore, & qui sub tutela alterius, & quasi famulus est.*
Clientes habere.
Clientem alicuius esse.

CLIENTELA.

CLIENTELA *est clientum multitudo, qui potentem aliquem ciuem, principem'ue fauore prosequuntur, & cuius*

cuius dignitatem, factionem'que tutantur, ducti aliqua mercede, uel beneficio. Clientela est etiam, quam saluangardiam dicimus.
In clientelam alicuius se dare.
In clientelam alicuius se conferre.
Clientelæ alicuius se committere.
In clientelam recipere.
Clientelam ad se traducere.
In clientela, & fide alicuius esse.

CLITELLAE.

CLITELLAE *dicuntur, autore Festo, quibus sarcinæ colligatæ Mulis portantur.*
Clitellas imponere.
Clitellas detrahere.

CODEX.

CODEX *significat tabulas accepti, & expensi. Vel erat codex, in quo acta publica scribebantur.*
In codicem referre.
In codice aliquid digestum habere.
Codicem obsignare.
Ex codice delere.

COELVM.

COELVM *modò pro Orbe signifero est: modò pro Aëre ponitur.*
Cœli grauitas: *Grauitatem cœli, & loci dicebant Antiqui eo modo loquendi, quo nunc nonnulli dicunt malum aërem.*
De cœlo animam ducere.
Cœlum adimere. *Id est, priuare lucis usura.*
De cœlo seruare. *Id quod Augurum est.*
Cœlum discedere. *Dicitur cœlum discedere, cùm in cœlo apparet quidam uelut hiatus insolito fulgore, splendoreq; circumlucens: uel cùm cœlum diuidi uidetur.*
E cœlo lapsus, vel delapsus: *Si quis uirtute præstanti, & eximia morum integritate floreat, nullis'que sit uitijs deformatus, è cœlo lapsus, uel delapsus dicitur: id est, è Deorum cœtu in terram missus: à quibus nihil fieri uulgus credit, nisi eximium, & planè diuinum.*
In cœlum laudibus aliquem ferre, vel efferre, vel tollere.
In cœlo esse: *Dicitur in cœlo esse, qui autoritate, gratia, atque potentia plus omnibus ualet, uel rebus omnibus felix est. Est etiam interdum locutio plena Letitiæ, & triumphi: id'que significat, quod omnia assecutum esse: uel letitia exultare.*
Cœlum digito attingere. *Accedit ad proximam loquendi formam hæc etiam locutio, tota exultanti, & gestienti animo efferuescens.*
De cœlo detrahere: *Id est, de gradu deijcere, & statu mouere, atque deprimere.*

COEMPTIO.

COEMPTIO *est uerbale coëmendi.*
Coëmptionem facere.

COENA.

NVLLA *indiget expositione hoc nomen: per se enim totum patet.*
Ad cœnam vocare.
Cœnam condicere.
Ad cœnam perducere.
Cœnam dare.
Cœnam facere.
Cœna aliquem accipere.

COENVM.

COENVM *est lutum. Per metaphoram appellamus aliquem cœnum, qui uitio omni, & uitæ labe sit coopertus.*
Cœno oblinere.

COETVS, us, ui.

COETVS *est concilium, conuentus, congregatio.*
Cœtus hominum sociare.
Cœtus ludorum inire.
Cœtum dimittere.

COGITATIO.

COGITATIO *est mentis agitatio, meditatio, commentatio, uel recordatio.*
In cogitationem cadere. *Passiuam significationem habet hæc locutio. Cadit enim in cogitationem, quod cogitatione comprehendi potest.*
Cogitationem inijcere.
Ad cogitationem deducere.
Cogitationem suscipere.
In cogitationem venire.
Cogitationem habere.
In cogitatione versari.
Cogitationem in re aliqua ponere.
Cogitationem locare.
Cogitationem figere.
Cogitationem in rem aliquam abijcere.
Cogitationem: vel cogitatione complecti: *id est, cogitationem suscipere: uel in cogitatione uersari.*
Cogitatione percurrere.
Cogitatione depingere.
Cogitatione percipere.
Cogitatione comprehendere.
Cogitationem debilitare.
Cogitationem conuellere.
Cogitationem auertere.
Cogitationem auocare.

A' cogitatione traducere.
Cogitationem abijcere.
Cogitationes explicare.
Cogitationum summam facere.

COGITATVM.

COGITATVM, cum substantiuum est, nihil à cogitatione differt.
Cogitata mentis praeclarè eloqui.

COGNATIO.

COGNATIO modò naturae est: modò uerò rerum aliarum.
Cognatione aliquem attingere.
Cognatione cum aliquo coniungi.
Cognationem habere cum aliquo.
Cognationem esse alicui cum aliquo.

COGNITIO.

COGNITIO est agnitio, intelligentia, inspectio, cura, prudentia, notio, iudicium, scientia, indicatio.
Cognitionem dare.
Cognitionem facere: Id est, cognoscendi causam dare, uel in cognitionem adducere.
Cognitionem habere: Id est, in cognitione positum esse. Et sic ad ea refertur haec locutio, quae in cognitionem cadunt.
Cognitionem capere, vel accipere: Id est, in rei alicuius cognitionem uenire, uel ipsam cognitionem assequi.

COGNITOR.

COGNITOR est, qui cognoscit, qui alium in iure defendit, procurator.
Cognitorem dare.
Cognitorem fieri.
Cognitorem esse.

COGNOMEN.

COGNOMEN dicitur, quod ab euentu aliquo imponitur alicui.
Cognomen addere.
Cognomen trahere à re aliqua.
Cognomen inuenire à re aliqua.
Cognomen sumere.
Cognomen sibi parere.
Cognomen reportare.

COHORS.

COHORS non modò de numero militari dicitur, sed etiam de alia hominum multitudine: ut de familia primarij alicuius uiri.
Cohorteis contrahere.
Cohorteis conscribere.
Cohorteis complere.
Cohorteis instruere.

COHORTATIO.

COHORTATIO idem est quod hortatio.
Cohortationem suscipere.
Cohortatione incitare.

COITIO.

COITIO est arcana pactio, & factiosa: quod nomen criminosum est.
Coitionem facere.

COLLEGIVM.

COLLEGIVM est concilium.
In collegium cooptare.

COLLOCVTIO.

COLLOCVTIO significat colloquium.
In collocutionem venire.

COLLOQVIVM.

COLLOQVIVM est sermonis communicatio, uel congressus.
Ad colloquium euocare.
Ad colloquium venire.
Colloquium facere.
Colloquium habere.

COLLVM.

COLLVM idem est quod ceruix.
In collum inuadere: Id est, amplecti, uel complecti.
Collum in laqueum inserere.
Collum secare.
Collum abscindere.

COLONIA.

DICEBANTVR coloniae minores urbes, ad quas habitandas ex maioribus Vrbibus quasi quaedam examina populorum mittebantur. Colonia etiam interdum agricolationis locum, aratoris'que officinam, & domicilium significat.
In coloniam mittere.
Coloniam deducere.
Coloniam collocare.
Coloniam constituere.
Coloniam lustrare.

Coloniam renouare.
Coloniam reficere.

COLOR.

COLOR *idem est quod pigmentum. Ponitur item pro prætextu. Colores rhetorici apud Ciceronem uocantur ornamenta orationis: id est, figuræ: quæ à Græcis schemata appellantur: ut cùm de Pompeio loquens, ad Att. Lib. ij. ita inquit. Sic ego hunc omnibus à me pictum artis coloribus subitò deformatum non sine magno dolore uidi. Colores autem illos intelligit, quibus usus est in Oratione de Imperio Cn. Pompeij. Sic enim uocat orationis ornamenta, & lumina, quibus detractis, res simpliciter indicata, non magnopere suapte natura, uel conditione placeret.*

Colorem diffundere.
Colorem dare. *Quintilianus: Dandus deformibus color: Id est, causa facti speciosa exquirenda est.*
Colorem ducere. *Quintil. Lib. x. Sed dum assequemur firmam, ut dixi, facilitatem, optimis assuescendum est: & multò magis, quia multorum lectione formanda mens, & ducendus color est: id est, phraseos genus comparandum.*

COMA.

COMA *est cæsaries: uel dicitur coma capillus cum aliqua cura compositus.*

Coma calamistrata.
Coma vnguentis delibuta.
Coma vnguentis madens.

COMES:

RARIORES *quasdam, & elegantiores comitis significationes in primo Commentariorum nostrorum Tomo uideto. Vulgarem hic tantùm tradimus. Est autem comes, qui alterum sequitur, assectator, asseclа.*

Comitem se præbere.
Comitem se adiungere.
Comitem aliquem ad aliquid habere: vel rei alicuius.
Comitem alicui rei alicuius esse.

COMIS.

COMIS *significat urbanum.*

Comem se præbere.

COMITAS.

COMITAS *idem est, quod facilitas.*

Comitatem cum grauitate coniungere.
Comitate grauitatem condire.
Comitatem grauitati aspergere.
Comitatem sermonis habere.
Comitate aliquem sibi conciliare.
Comitate aliquem retinere.

COMITATVS, us, ui.

COMITATVS *dicitur clientela sequens dominum: uel generaliter ponitur pro quibusuis assectatoribus.*

Comitatu sepiri.
Comitatu stipari.
Comitatu vallari.
Comitatum hospitio recipere.

COMITIA.

COMITIVM *in singulari numero locum significat, quò conueniebat populus ad comitia. Comitia uerò erant populi conuentus ad creandos magistratus, & publica officia, uel ad promulgandas leges. Vnde comitiales dies, qui comitijs habendis dicati erant, in quibus cum populo agi licebat, & quibus pop. Romanus conuenire solebat ad suffragia ferenda.*

Comitia edicere.
Comitia habere.
Comitia gerere, *Pro habere.*
Comitia obire.
Comitia intercalare.
Comitia differre.
Comitia detrudere.
Comitia extrahere.
Comitia largitione inquinare.

COMMEATVS, us.

PONITVR *commeatus in singulari numero tantùm pro facultate ad tempus à militia recedendi, quam præbet militi Imperator, præpositus'ue inferiori, eundi, quò uelit, ad præscriptum diem reuersuro. In plurali tamen ita usus est Liuius: Magna pars sine commeatibus dilabebatur. In utroque numero pro cibarijs est ad alimoniam Reipublicæ, aut exercitus, aut alicuius multitudinis. Ac ferè nihil aliud continet, quàm annonam, & quicquid annonæ uicem habere potest. Quanquam priuatorum etiam commeatus est.*

Commeatum parare.
Commeatum locare.
Commeatum parêre.
Commeatus copiam subministrare.
Commeatum sustinere.
Commeatum mittere.
Commeatum subuehere, vel deuehere.
Commeatum portare, vel supportare.
Commeatu iuuare.
Commeatum recipere: vel accipere.
Commeatu abundare.
Commeatu prohibere.
Commeatus intercludere.

A' commeatu intercludere.

COMMENDATIO.

INEPTVS *uidear, si negem hoc nomen in uerbi sui significationis uarietate manere poss: scilicet, ut pro fiducia committentis ponatur: & pro actione probantis, uel laudantis. Veruntamen sæpius poni uideo pro laude, quàm pro concredentis actione. Sed semel hoc dictum sit, pro utraque rectè, & Latinè posse accipi.*

Commendatione egere.
Commendationem comparare.
Commendationem ducere.
Commendationem habere.
Commendationem euertere.
Commendationem renouare.

COMMENTARIVS: vel Commentarium.

COMMENTARIVS, *uel Commentarium Liber est, quem sibi quisque nostrum priuatim facere consueuit, quasi quoddam memoriæ promptuarium eorum, quæ agimus: id est, Diarium, & Ephemeris actionum nostrarum. Vel aliter sic exponi potest. Commentarius, uel Commentarium dicitur, quicquid ita conficimus, ut memoriæ tantùm gratia, non plenæ narrationis, facere uideamur: in quo scilicet capita tantùm, & summas rerum annotare solemus. Inde Commentarij Cæsaris dicti, in quibus res eius in Gallia, & bello ciuili gestæ non latè, & plenè enarrantur, sed breuiter perstringuntur. Id quod ex Cicerone in Bruto, & Tranquillo in Cæsare apparet. Commentarios quoque actis opponere possumus: nimirum ut Commentarij priuatam designent memoriam. Acta uerò sint memoria publica testata: quæ in ærario publico esse solebant. Ponuntur etiam nunc Commẽtarij pro Libris, quibus Scriptorem aliquem exponimus: ut sunt Commentarij Seruij in Vergilium: Donati in Terentium, & huiusmodi Interpretum lucubrationes. Sed tu in hoc nomine, quod tradit Valla Libro quarto, Capite uigesimo primo, uide: scilicet Commentarium in plurali numero esse masculini generis: in singulari uerò, neutri. Etenim tam in singulari, quàm in plurali numero indifferenter uel masculini, uel neutri generis est. Leue item est, & ridiculum, quod tradit idem Valla. Si plures, primus, & secundus Commentarius dicetur, non primum, & secundum Commentarium: ut Hircius, siue Oppius, qui adiecit Cæsaris Commentarijs: aut proximus, alter'ue Commentarius, nunquam Commentarium. Hallucinatur certè Valla: cuius opinionem sequendam non puto, sed promiscuè utendum Commentarij significatione & in masculino, & in neutro genere. Quare cum in his, tum in alijs Scriptorum potiùs exempla sequere, quàm leueis Grammaticorum traditiones.*

In commentarium referre: *Id est, quod Barbari dicunt, registrare.*

Commentarios conficere.
Commentarios scribere, vel conscribere.

COMMENTATIO.

COMMENTATIO *est cogitatio, uel meditatio.*

Commentationibus quotidianis se exercere.
In commentationibus multum operæ ponere.
Commentatione multa aliquid expeditum, & paratum habere.
Commentationem rei alicuius abijcere.

COMMERCIVM.

COMMERCIVM *à merce fit: & est quasi contrectatio quædam mercium. Alia tamen significatione eleganter sæpe à Latinis accipitur pro usu, & consuetudine.*

Commercium habere cum aliquo.
Commercium esse alicui cum aliquo.

COMMODITAS.

COMMODITAS *interdum pro opportunitate, aptitudineq́; & conuenientia quadam ponitur. Interdum utilitatem designat. Vnde dicitur amicitia multas commoditates continere: uel dicimus commoditatem ex re aliqua percipi.*

Commoditatem continere.
Commoditatem creare.
Commoditatem ex re aliqua percipere.

COMMODVM.

COMMODVM *est utilitas, uel bonum.*

Commodo tuo. *Modus hic loquendi est aliquid faciendi optionem relinquentis, in hunc modum: Quod commodo tuo fiat. Aliæ sunt locutiones plurimæ persimiles, scilicet: Si tibi commodum est: Quod commodè facere possis: uel: Si commodè facere poteris: Si tibi non est molestum: Quod sine tua molestia fiat: Quoad eius facere poteris: Quantum in te est.*

Commodum comparare.
Commodum adipisci.
Commodis seruire.
Commodis consulere.
Commoda capere.
Commoda prætermittere.
Commoda oppugnare.
Commoda impedire.
Commoda labefactare.
Commodis officere.

COMMVNICATIO.

COMMVNICATIO *est rei alicuius gerendæ, uel gestæ*

gestæ cum aliquo collatio, uel societas. Vel est cum iis ipsis, apud quos aut dicas, aut agas, deliberatio.
Communicationem intermittere.

COMMVNIO, onis.

COMMVNIO *est denominatiuum à communi.*
Communione rei alicuius aliquos inter se coniungere.
In communione manere.

COMMVNITAS.

COMMVNITAS *idem est quod communio, societas, ius, iustitia.*
Communitate cum aliquo iungi.
Communitatem esse alicui cum aliquo.

COMMVTATIO.

COMMVTATIO *est conuersio, uel uicißitudo.*
Commutationem rei alicuius afferre, *Pro gignere.*
Commutationem fieri.

COMPARATIO.

COMPARATIO *ponitur pro collatione, contentione, similitudine, apparatu.*
Comparationem habere: *Id est, ita esse aliquid præstans, ut cum alio comparari poßit.*
Comparationem facere.
Ad comparationem rei alicuius se conferre: *Id est, ad apparatum.*
Comparationem adornare.
De comparatione diminuere.

COMPEDES.

COMPEDES *sunt instrumenta, quibus pedes uinciri, ac irretiri solent: ut sunt ligneæ soleæ.*
Compedes imponere.
Compedes indere.
Compedes alicui inducere.
Compedes impingere.
In compedibus custodire.

COMPENDIVM.

COMPENDIVM *lucrum est temporis, pecuniæ, operæ, uel uiæ: cui opponitur dispendium.*
Compendium facere.

COMPERTVS.

COMPERTVS *idem est quod certus.*
Compertum habere.
Compertum esse alicui.

COMPLEXVS, us, ui.

NOTA *est uulgaris complexus significatio. Præter uulgarem significationem ponitur pro amore: ut complecti pro amare. Accedit etiam interdum ad subsidij, uel præsidij speciem.*
Ad complexum alicuius currere.
In complexum alicuius venire.
Complexu aliquem recipere.
E complexu dimittere.
E complexu abstrahere.

COMPOS.

COMPOS *dicitur, qui fruitur.*
Compotem rei alicuius facere.
Compotem esse.

COMPROBATIO.

COMPROBATIO *est approbatio.*
A comprobatione abhorrere; *Id est, non comprobari.*

COMPROMISSVM.

COMPROMISSVM *dicitur ipsa facultas arbitro data: tractum ab eo, quòd uterq; litigans simul promittat, se arbitri sententiæ pariturum.*
Compromissum facere.

CONATVS, us, ui.

CONATVS *est incumbens in aliquid studium: uel animi, aut corporis impetus. Etenim tam de animo, quàm de corpore, intelligitur.*
Conatum habere ad aliquid.
Conatum suum in aliquid parare.
Conatum refutare.
Conatum prohibere.
Conatibus obuiam ire.
A conatu repellere.
Conatum comprimere.
Conatum frangere.

CONCENTVS.

CONCENTVS *dicitur plurium uocum concordantium. Dicitur etiam quasi consensus.*
Concentum efficere.
Concentum seruare.

CONCILIATIO.

CONCILIATIO *est adiunctio, uel coniunctio.*
Conciliatione coniungi.
Conciliationem colere.
Conciliationem tueri.
Conciliationem seruare.

CONCILIVM.

CONCILIVM *est conuenticulum, uel coetus: multitudo diuersorum populorum in unum locum, consulendi gratia, congregata. Deriuatur autem non à consilio, siue à consensu (ut Festus existimat) sed à concalando, hoc est, conuocando, quòd omnes in unum locum conuocentur.*
Concilium indicere.
Concilium vocare.
Concilium conuocare.
Concilium habere.
In concilium vocare.
In concilium adducere.
In concilium mittere. *Mittere, uel dimittere in concilium, est Iudices in concilium ad sententiam dicendam mittere.*
In concilio fuisse.
Concilium dimittere. *Id est, sententijs dictis, aut ampliato reo, aut non liquere pronuntiato à Iudicibus, concilium missum facere.*
E concilio secludere.
E concilio descendere.

CONCINNITAS.

CONCINNITAS *est condecentia.*
Concinnitatem efficere.

CONCIO.

CONCIO *significat locum, unde habetur oratio, scilicet scenam, uel suggestum. Aliquando ponitur pro conuentu, & multitudine hominum congregata uel ex Magistratus iussu, uel ex publici Sacerdotis, uel interdum sua autoritate, & sponte. Postremum concionis significatum est, cùm ponitur pro oratione.*
In concionem ascendere.
Concionem habere.
Concionem aduocare.

CONCLAVE.

CONCLAVE *est cubiculum, uel triclinium.*
Conclaue corruere.
Conclaue concidere.

CONCORDIA.

CONCORDIA *est consensus, uel conspiratio.*
Concordiam gignere.
Ad concordiam adducere.
Concordiam constituere.
Concordiam conglutinare.
Concordia coniungi.
Concordiam confirmare.
Concordiam dirimere.
In concordiam reducere.
Concordiam reconciliare.
In concordiam redire.

CONCVRSVS.

CONCVRSVS *ponitur pro motu, effusione, conflictione, uel contentione.*
Concursum facere.

CONDITIO.

CONDITIO *idem est, quod modus, ratio, lex, pactio, pactum, fortuna, status, locus, ius, causa.*
Conditionem postulare.
Conditionem impendere.
Conditionem statuere.
Conditionem instituere.
Conditionem constituere.
Conditionem proponere.
Conditionem imponere.
Conditionem ferre.
CONDITIONEM *ferre idem est, quod proponere. Et conditionem ferre esse uolunt uictoris, & superioris. Accipere uerò conditionem, uicti esse.*
Conditionem offerre.
Conditionem dare.
Conditionibus onerare.
In conditionem vocare.
Ad conditionem adducere.
Ad conditionem perducere.
In conditione ponere.
Conditionibus astringere.
Ad conditionem venire.
Ad conditionem accedere.
Ad conditionem descendere.
Conditionem capere.
Conditionem accipere.
Ad conditionem depacisci.
Conditionem sequi.
Conditione vti.
Conditionem habere.
Conditione esse.
In conditione manere.
Conditione stare.
Conditionem alicui manere.
Conditionem omittere.
Conditionem recusare.
Conditionem repudiare.
Conditionem respuere.
A conditione fugere.

CONFECTOR.

CONFECTOR *dicitur, qui rem conficit, & peragit.*

Confector belli.
Confector negotiorum.

CONFESSIO.

CONFESSIO *uerbale est confitendi: nota satis significationis nomen.*
In confeſsionem adducere.
Confeſsione conuinci.
Confeſsione vrgeri.
Confeſsione teneri.
Confeſsione alicuius aliquid patefieri.

CONFIDENTIA.

CONFIDENTIA *ferè semper in malam partem sumi solet: & arrogantis est.*
Confidentiam ſumere;
Confidentiam habere;

CONFVSIO.

CONFVSIO, *& perturbatio idem designant.*
Confuſionem habere: *Id est, confusionis causam dare. Cice. de Legib. Suos Deos, aut nouos coli, confusionem habet religionum.*

CONGRESSIO.

CONGRESSIO *significat colloquium.*
Ab alicuius congreſsione aliquem prohibere.

CONIECTVRA.

CONIECTVRA *est opinio, suspicio, diuinatio, prouisio, auguratio, existimatio, signum, sensus.*
In coniectura poſitum eſſe.
Coniecturam afferre.
Coniectura duci.
Coniecturam ducere.
Coniectura augurari.
Coniectura proſpicere.
Coniectura pendere.
Coniecturam capere.
Coniecturam facere.
Coniectura percipere.
Coniectura aſſequi.
Coniectura conſequi.
Coniectura aberrare.
Coniectura falli.

CONIVGIVM.

CONIVGIVM *est matrimonium.*
Coniugio deuincire.

CONIVNCTIO.

CONIVNCTIO *est copulatio, necessitudo, affinitas, cognatio, societas, consociatio, congregatio, conuenientia, continuatio, quasi concentus, atq; consensio.*
Coniunctionem conciliare.
De coniunctione imminuere.
Coniunctionem perfringere.
Coniunctionem labefactare.
Coniunctionem dirimere.
A' coniunctione auocare.

CONIVRATIO.

CONIVRATIO *ut in bonam, uel malam partem à Latinis capiatur, uide in Primo nostrorum Commentariorum Tomo. Coniuratio uerò est conspiratio, uel consensio.*
Coniurationem habere.
Coniurationem facere.
Coniurationem aperire.
Coniurationem depræhendere.

CONQVISITIO.

CONQVISITIO *uox est in re bellica frequens: soletq; delectum praecedere: ut in Secundo Tomo nostro uidebis.*
Conquiſitionem habere.
Conquiſitionem facere.

CONSCIENTIA.

CONSCIENTIA *est certa quedam rei à se gestæ recordatio, uel memoria in animo perpetuò insistens: uel cognitio, & intelligentia: & tum in bonam, quàm in malam partem, ponitur.*
Ex conſcientia aliquid metiri.
Conſcientia cruciari.
Conſcientia impediri.
Conſcientia teneri.
Conſcientia aſtringi.
Conſcientia conuinci.
Conſcientia opprimi.
Conſcientia ſuſtentari.
Conſcientia recreari.
Conſcientia refici.
Conſcientia ſe conſolari.
Conſcientiam remoueri: *Aliorum est in hac locutione conscientia. Cice. de Finibus: Epicurus in magnis interdum uersatur angustijs, ut, hominum conscientia remota, nihil tam turpe sit, quod non uoluptatis causa uideatur esse facturus.*
A' conſcientia diſcedere.

CONSECRATIO.

CONSECRATIO *est dedicatio.*
Conſecrationem facere.

CONSECVTIO

CONSECVTIO.

CONSECVTIO *uerbale est consequendi.*
Consecutionem afferre. *Cice. de Finib. j. Ipsa detractio molestiæ consecutionem affert uoluptatis.*

CONSENSIO.

CONSENSIO *est conspiratio, uel consensus: poniturq́; tam in malam, quàm in bonam partem.*
Consensionem fieri.
Consensionem extare.

CONSILIARIVS.

CONSILIARIVS *est, qui consilium dat: uel est autor, aut præscriptor rei alicuius.*
Consiliarium dare.
Consiliarium sibi adhibere.
Consiliario aliquo uti.

CONSILIVM.

CONSILIVM *est aliquid faciendi, uel non faciendi excogitata ratio.*

CVM ADIECTIVIS.

Consilium callidum.
Consilium sapiens.
Consilium prudentiæ plenum.
Consilium fidele.
Consilium fidelitatis plenum.
Consilium salutare.
Consilium periculo vacuum.
Consilium puerile.
Consilium imbecillum.
Consilium periculosum.
Consilium difficile.
Consilium dissolutum.
Consilium perditum.
Consilium plenum sceleris.
Consilium plenum audaciæ.

EXTRA ADIECTIVORVM *ornatum præcipuum.*

Consilij hæc sunt: *Id est, consilium de his iniri, & capi potest.*
Consilij magni res.
Consilium tuum est. *Tota est concedentis hæc locutio, scilicet cùm rei deliberationem alicui concedimus, & tribuimus: uel cùm designamus alicui esse potestatem, ut, quo uelit, iudicio utatur.*
Consilij tui est: *Id est, deliberare potes.*
Consilio aliquem esse. *Per hanc locutionem dicitur aliquis temerario, uel repentino consilio esse, qui temerarium, & repentinum consilium inire solet.*
Consilij, uel consilio egere.
Consilium petere.
Consilium exquirere.
Ad consilium adducere.
Consilij autorem esse.
Consilij adiutorem esse.
Consilij ducem esse.
Consilij moderatorem esse.
Consilij ministrum esse.
Consilio iuuare.
Consilium dare.
Consilij copiam facere.
Adesse alicui in consilio.
Consilio instruere.
Consilium confirmare.
Consilium probare.
Consilium probari alicui.
Consilium sequi.
De consilio alicuius aliquid facere: *Id est, consilium alicuius in re aliqua sequi.*
Consilio assentiri.
Consilio parêre.
Consilijs uti.
Consilium repudiare.
A' consilijs discrepare.
Consilium capere.
Consilium inire.
Consilium suscipere.
Consilium instituere.
Consilium nasci.
Consilium habere.
Consilio abundare.
Consilium exponere.
Consilium narrare.
Consiliorum rationem repetere.
Consilium indicare.
Consilij fontes aperire.
Consilium promere.
Consilium enunciare.
Consilium notum, vel cognitum.
Consilium patêre.
In consilium adhibere.
Consilium impertire.
Consilium conferre.
Consilium coniungere.
Consilium accommodare ad.
Consilium spectare in, vel ad.
Consilijs interesse.
Consilij participem esse.

Consilia

Consilia clausa habere.
Consilij expers.
A consilio remouere.
Consilium ponderare.
Consilium repræhendere.
Consilium mulctare.
Consilium frangere.
Consilium impedire.
Consilium præuenire.
Consilium anteuenire.
Consilijs occurrere.
A consilio reuocare.
Consilium extorquere.
Consilij aliquem pœnitere.
Consilium labare.
Consilium mutare.
Consilio desistere.
Consilium abijcere.
A consilio abesse, *Pro consi ium abijcere.*
In consilio manere.
Consilio labi.
Consilijs præceps.
Consilium exequi.
Consilium explicare.
Consilium explere.

CONSOCIATIO.

CONSOCIATIO *est coniunctio, uel communitas.*
Consociationem dissoluere.

CONSOLATIO.

CONSOLATIO *est leuamen, medicina, uel confirmatio.*
Consolationem afferre.
Consolationem adhibere.
Consolatione lenire.
Consolatione mulcere.
Consolationem suscipere.
Consolationem habere.
Consolatione aliqua vti.
Consolatione sustentari.

CONSPECTVS, us.

CONSPECTVS *est aspectus, uel præsentia.*
In conspectum dare se alicui.
In conspectu ponere.
In conspectu esse.
In conspectum cadere.
In conspectum venire.
In conspectum prodire.
Conspectum fugere.
Conspectum vitare.
Conspectu priuare.
Ex conspectu discedere.
Ex conspectu euolare.
Ex conspectu amittere.

CONSPIRATIO.

CONSPIRATIO *est consensus, uel coniuratio.*
Conspirationem conflare.
Conspirationem facere.
Conspirationem restinguere.

CONSTANTIA.

CONSTANTIA *est firmitas, grauitas, æquabilitas, uel perseuerantia.*
Constantiam afferre.
Constantiam seruare.
Constantiam retinere.

CONSVETVDO.

CONSVETVDO *modò pro intima quadam familiaritate ponitur. Modò pro more, instituto, usu, exercitatione, uel uita communi accipitur. Sic ad amicitiam pertinet: uel extra amicitiam est.*

AD AMICITIAM PERTINENS.

In consuetudinem alicuius se dare.
In consuetudinem alicuius se insinuare.
In consuetudinem alicuius se immergere.
Consuetudinem cum aliquo iungere.
Consuetudine implicare.
Consuetudine deuincire.
Consuetudinem facere maiorem.
Cõsuetudinem intercedere alicui cum aliquo.
Consuetudinem esse alicui cum aliquo.
Consuetudine iungi.
Consuetudinem intermittere.
A consuetudine refugere.
Consuetudine priuare.
In, vel ad consuetudinem reuocare.
Ad consuetudinem redire.
In consuetudine permanere.

EXTRA AMICITIAM.

Præter, vel contra consuetudinem.
Consuetudinem asciscere.
Consuetudinem excitare.
Consuetudinem aperire.
Consuetudinem afferre.
In consuetudinem inducere.
Consuetudinem introducere.
Consuetudinem capere.
In consuetudinem venire: *Duplicis significationis ista locutio est: actiuæ scilicet, uel passiuæ. Cum autem actiuæ*

actiuæ significationis est, ponitur pro consuetudinem capere, uel asciscere. Cùm passiuæ, idem est, quod introduci, uel induci in consuetudinē. ACTIVAE *significationis exemplum. Cicero in Pison. Senatus in eam iam benignitatis consuetudinem uenit, ut eos, qui bene Rempubl. gesserint, nouis honoribus afficiat.* PASSIVAE *significationis exemplū. Cic. de Inuen. Quędam ex utilitatis ratione in consuetudinem ueniunt.*

Consuetudinem nancisci: *Id est, in consuetudinem uenire, cùm actiuæ significationis est.*

Consuetudinem esse.

Consuetudinem serpere.

Consuetudinem increbrescere.

Consuetudine uti.

Consuetudinem tenere.

Consuetudinem retinere.

Consuetudinem seruare.

Consuetudinem præstare.

Consuetudinem manere.

Consuetudinem immutare.

E consuetudine recedere.

Consuetudinem referre.

Ad consuetudinem reuocare.

Ad consuetudinem reuertere.

Ad consuetudinem redire.

CONSVL.

CONSVL *dicebatur tutor annuus Reipublicæ.*

Consulem facere.

Consulem designare.

Consulem renuntiare, vel pronuntiare.

CONSVLATVS.

CONSVLATVS *est Consulis officium, dignitas, potestas.*

Consulatum alicui mandare.

Consulatum gerere.

Consulatu deijcere.

CONSVLTATIO.

CONSVLTATIO *est deliberatio.*

Consultationem proponere.

In consultationem venire. *Dicitur res in consultationem uenire, de qua fieri potest consultatio.*

CONTAGIO.

CONTAGIO *est genus morbi, qui ex contactu contrahitur. Per metaphoram eleganter dicunt Latini contagionem culpæ, contagionem conscientiæ: uel contagionem belli, cùm uno bello confecto subinde alia belli occasio oritur.*

Contagionem à re aliqua proficisci.

Contagionem serpere.

Contagionem latè patêre.

Contagionem ad aliquem pertinere.

Contagione contaminari.

CONTEMPTIO.

CONTEMPTIO *significat despicientiam, uel despectionem.*

In contemptionem aliquid adducere: *Id est, perficere, ut contemnatur.*

CONTENTIO.

CONTENTIO *aliquando uenustè ponitur pro comparatione, uel collatione, ut ostendimus in Secundo nostrorum Commentariorum Tomo, colum. 775. Vulgariori uerò significato solet accipi pro cōtrouersia, certatione, pugna, rixa.*

Contentionem impendêre.

In contentionem vocare.

In contentione ponere.

Contentionem excitare.

Contentionem facere.

In contentionem venire.

Contentionem esse alicui cum aliquo.

Contentionem esse inter aliquos.

Contentionem habere cum aliquo.

Contentionem diiudicare.

A contentione abesse.

CONTINENTIA.

CONTINENTIA *est temperantia, uirtus uoluptati resistens: per quam scilicet cupiditas consilij gubernatione regitur.*

A continentia deducere.

CONTROVERSIA.

CONTROVERSIA *non solùm in litibus est, sed ad omnem disceptationem, & contentionem pertinet.*

Controuersiam oriri.

Controuersiam existere.

Controuersiam facere.

In controuersiam vocare.

Controuersiam intendere.

In controuersiam adducere.

In controuersiam deducere.

In controuersiam venire.

In controuersia esse.

In controuersia versari.

Controuersiam habere.

Controuersiam vsque ad noctem ducere.

Controuersiam alere.

Controuersiam diiudicare.

Controuersiam transigere.

Controuersiam sedare.

Controuersiam dirimere.

Controuersiam tollere.

A controuersia

A' controuersia abesse.
Sine controuersia. *Locutio est ista frequens bonis Scriptoribus, & clasicis, tum maximè, cùm rem certam proponit*

CONTVMACIA.

CONTVMACIA *est superbia.*
Contumacia efferri.

CONTVMELIA.

CONTVMELIA *paulò durior est, & asperior, quàm iniuria: fit'que & re, & uerbis.*
Aculeos contumeliarum in re aliqua inesse.
Ad contumelias descendere.
Contumeliam iacère in aliquem.
Contumeliam dicere.
Contumeliam facere. *Ob hunc loquendi modum Cicero Antonium repræhendit Philip. iij. tanquam uerbis nouis utentem: Quid est, inquit, porrò facere contumeliam? quis sic loquitur? non'ne fatius est, mutum esse, quàm, quod nemo intelligat, dicere? Vt Antonium Cicero repræhendit, ita posteà à nonnullis insolenter repræhensus est, uelut nimium superstitiosus, & à receptis etiam uocibus nimiùm religiosè abstinens. Id qui faciunt, næ intelligendo faciunt, ut nihil intelligant. Nam quo modo Ciceronem ut superstitiosum, & nimiæ in loquendo religionis damnabunt, cui suam ubertatem, & copiam, quantam quantam habet, Lingua Latina acceptam refert? Sed qui iudicio carent, quæ Cicero desita, & obsoleta uitauit, ne teretes, & delicatiores suorum æqualium aures offenderet: uel quòd uerborum splendoris, & mundiciei plus cæteris studiosus esset, ab illo superstitiosè uitata putant. An uerò dubitabat ille Terentij asiduus lector, & amator amantißimus Terentium illo loquendi genere antea usum esse? Terentium, & Plautum usos esse non ignorauit. Sed quia rudiusculum hoc loquendi genus suo tempore haberi uideret, minus audacter usus est: neque id Ciceroni ut mundiciei peramanti, & suo tempori seruienti parte ex aliqua uitio uertendum docti arbitrantur. Ego uerò, quoniam & Plauti, & Terentij, sicut Ciceronis, eloquentia constat Linguæ Latinæ dignitas, hanc loquendi formam à Plauto, & Terentio usurpatam, quòd ea minus usus sit Tullius, uitandam non censeo: dicetur'que eo modo contumeliam facere, quo iniuriam facere.*
Contumelijs onerare.
Contumelijs operire.
Contumelijs lacerare.
Contumelia vexare.
Contumeliam intorquere.
Contumeliam imponere.
In contumeliam vertere.
Contumeliam accipere.
Contumeliam pati.
Contumeliam lenire.

CONVENTVM.

CONVENTVM, *uel conuentus, us, ui, ponitur pro pacto.*
Conuentis stare.

CONVENTVS, us, ui.

CONVENTVS *(inquit Festus) quatuor modis intelligitur. Vno, cùm quemlibet hominem ab aliquo conuentum esse dicimus. Altero, cùm significatur multitudo ex compluribus generibus hominum contracta in unum locum. Tertio, cùm à Magistratibus, iudicij causa, populus congregatur. Erant enim in Prouincijs statuti conuentus per rectores earum ad iudicia facienda. Quarto, cùm aliquem in locum frequentia hominum supplicationis, aut gratulationis causa colligitur.*
Conuentum facere.
Conuentum agere.
Conuentum peragere.
Conuentum habere.
Conuentum celebrare.
Conuentum dimittere.

CONVICTOR.

CONVICTOR *Latinis est, qui uulgò commensalis dicitur.*
Conuictore aliquo vti.

CONVITIVM.

CONVITIVM *significat contumeliam, maledictum, probrum, crimen, opprobrium.*
Conuitium facere.
Conuitio iactari.
Conuitium sustinere.

CONVIVIVM.

CONVIVIVM *est epularis Amicorum accubatio.*
Conuiuium parare.
Conuiuium apparare.
Conuiuium ornare.
Conuiuium instruere.
Conuiuium concelebrare.
Conuiuium agere.
Conuiuium inire.
Conuiuio aliquem accipere.

COPIA : COPIAE.

COPIA *est rei cuiuslibet abundántia, uel ubertas. Aliquando pro facultate ponitur. Interdum pro manu militari: id'que in plurali numero frequentiùs.*

CVM DIVITIARVM EST.

Copias suppeditare.
Copijs ditare.
Copijs abundare.
Copijs affluere.

Copijs locupletem esse.
Copijs magnis præditum esse.
Copias habere.

PRO FACVLTATE, VEL *abundantia.*

Copiam gignere.
Copiam sui facere. *Facit sui copiam Meretrix, cùm se prostituit, uel cùm uenereos admittit.*

AD REM BELLICAM SPECTANTES.

Copias parare.
Copias comparare.
Copias contrahere.
Copias cogere.
Copias habere.
Copijs abundare.
Copias educere.
Copias traducere.
Copias producere.
Copias exponere.
Copias instruere.
Copias armare.
Copias minuere, uel imminuere.
Copias profligare.

COR.

COR *uiscus est ad uitam omnium præcipuum, & pulsuum origo.*
Cordi esse: *Id est, placere.*

COROLLARIVM.

COROLLARIVM *usurpant Latini pro accessione, additione, & quasi lucro.*
Corollarium addere.

CORONA.

CORONA *est diadema, insigne Regium. Vel est per metaphoram circulus hominum audientium.*
Coronam imponere.
Coronam habere in capite.
Coronam ferre.
Coronam ponere, *Pro deponere.*
Corona cingi. *Id est, hominum turba.*
Corona sepiri.

CORPVS.

CORPVS *est truncus hominis totus: uel est corporis ipsius caro.*
Corporis infirmitas.
Corporis imbecillitas.
Corpus amittere.
Corpori tempus dare.
Corpori seruire.
Corpus alleuari.
Corpus reuocare.
Corpus confirmare.
Corpus conduplicare.
Corpus vulgare, vel euulgare. *Id quod facit Meretrix, dum se prostituit.*

CORRVPTELA.

CORRVPTELA *appellatur, quod corrumpit.*
Corruptelam iudicij moliri.
Corruptelarum illecebris aliquem irretire.
Corruptela deprauare.

CREDITOR.

CREDITORVM *appellatione non ij tantùm accipiuntur, qui pecuniam crediderunt: sed omnes, quibus ex qualibet causa debetur, sicuti ex empto, ex locato, uel ex ullo alio contractu.*
Creditores fraudare.

CREDITVM.

CREDITVM *est res credita.*
Creditum abiurare.

CRIMEN.

CRIMEN *quandoq; pro quadam quasi calumnia, siue accusatione ponitur: quandoq; pro genere peccati: interdum pro delicto ipso.*
Crimen in aliquem quærere.
Crimini dare aliquid alicui.
Crimen conflare.
In crimen vocare. *In crimen rem, & personam uocamus. Rem autem in crimen uocare, est rem crimini dare, uel uitio uertere. Cic. in Verr. Act. v. Auaritiam in crimen, & iudicium uoco. Idem. Hoc tu igitur in crimen uocas, quòd cum ijs fuerit. Sed aliquem in crimen uocare, accusare est. Cice. pro Sylla: Adsunt pari studio Pompeiani, qui ab illis etiam in crimen uocantur.*
Crimen in aliquem conijcere.
Crimen in aliquem conferre.
Crimen afferre, uel inferre alicui.
Crimen ascribere.
In crimine ponere aliquid alicui.
Crimine accersire, vel acersere.
In crimen incurrere.
In crimen venire.
In crimine esse.
Crimen hærere in aliquo.
Crimen dissoluere.
Crimen refellere.

Crimen ponderare.
Crimen extenuare.
Crimen deriuare.
Ex crimine eripere.
Crimen effugere.
Ex crimine elabi.
A crimine abesse.
Crimine carere.
Crimen condonare.

CRVCIATVS.

CRVCIATVS *tam ad animum, quàm ad corpus, pertinet: generaliter'que ponitur pro tormento, pœna, uel supplicio.*
Cruciatum edere in aliquem.
Cruciatum admouere.
Cruciatum ciere.
Cruciatu afficere.
Cruciatu conficere.
In cruciatum agere.
In cruciatum dare.

CRVDELITAS.

CRVDELITAS *est morum acerbitas, inhumanitas, importunitas, sæuitia, atrocitas, uel immanitas.*
Crudelitate imbui.
Crudelitate præditum esse
Crudelitatem expromere.
Crudelitatem adhibere.
Crudelitatem exercere.
Crudelitatem explere.
Crudelitatem saturare.
Crudelitatem satiare.

CRVS.

CRVS *incipit à ceruice Coxendicis: finit ad extremos pedis digitos. Eius partes sunt coxa, femur, genu, tibia, pes.*
Crura frangere.
Crura suffringere.

CRVX.

CRVX *est patibulum.*
Crucem minitari, uel proponere.
In crucem tollere.
In crucem agere.
Cruci figere.
Cruci suffigere.
Cruce afficere.
In malam crucem abire.

CVBICVLVM.

CVBICVLVM *est conclaue, cella, testudo.*
In cubiculum introducere.
De cubiculo exire.

CVBILE.

CVBILE *est lectus.*
Cubile inire.

CVLCITRA.

CVLCITRAE *generali nomine uocari possunt omne stragulum, in quo aliquid, quiescendi gratia, inculcatum sit.*
In culcitra collocare.

CVLEVS.

CVLEVS *est uter, siue saccus lino, uel canali, uel corio factus. Ideo sceleratissimi homines, ac præsertim Parricidæ cum Simia, & Gallo, & Serpente insuti culeo in mare inijciebantur ex Lege Pompeia. Culeus etiam mensura est uicenas amphoras continens, uel urnas quadragenas: qua nulla maior mensura liquoris.*
In culeum insuere.

CVLPA.

CVLPA, *inquit Donatus in Hecy. Terentij, est, si nescientes aliquid commiserimus. Opera, si scientes lęserimus. Atq; alterum stultitiæ est: alterum sceleris.*
Culpam commerere.
Culpam committere.
Culpam contrahere.
Culpa se contaminare.
Culpæ affinis, uel reus.
Culpam esse in aliquo.
Esse in culpa.
Culpam suscipere.
Culpam residere in aliquo.
Culpam hærere in aliquo.
Culpam consistere in aliquo.
Culpa teneri.
Culpam conferre, vel transferre in aliquem.
Culpam deriuare in aliquem.
Culpam inijcere in aliquem.
In culpam conuertere.
In culpa poni.
Culpam coarguere.
Culpam sustinere.
Culpam præstare. *Culpam præstare eo modo dicunt Latini, quo etiam dicimus præstare uitium, dolum, damnum, periculum: & cætera huiusmodi. Est autem culpam præstare, culpam ipsam redimere: uel sarcire, quicquid damni à culpa proficiscitur.*
Culpam redimere.
Culpam dimouere.
Ex culpa eximere.

Culpa liberare.
A' culpa abesse.
Culpam esse procul ab aliquo.
Culpam abesse ab aliquo.
Extra culpam esse.
A' culpa abhorrere: *Id est, remotum esse.*
Culpa vacare.
Culpa carere.

CVLTVRA.

CVLTVRA *est cultus, uel cultio.*
Culturam adhibere.

CVLTVS, us, ui.

CVLTVS *modò ad rem rusticam pertinet: modò extra rem rusticam est. Cùm uerò est extra rem rusticam, passiuam, uel actiuam significationem habet.*
Cultum adhibere.
Cultum tribuere.
Ad ciuilem, & humanum cultum deducere.

CVMVLVS.

CVMVLVS *pro accessione ponitur.*
Cumulum afferre.
Cumulum accedere.
In cumulum accedere.
Cumulum diruere.

CVNCTATIO.

CVNCTATIO *est mora, uel tarditas.*
Cunctationem abijcere.

CVNICVLVS.

CVNICVLVS *est foramen occultum sub terra.*
Cuniculos agere: *Id est, quod Barbari dicunt, facere minas sub terra.*
Cuniculis opprimi.

CVPIDITAS.

CVPIDITAS *dicitur auiditas, libido, desiderium, studium, ardor mentis, & impetus animi ad aliquid.*
Cupiditatem erigere.
Cupiditati suffragari.
Cupiditatem incitare.
Cupiditatem inijcere.
In cupiditatem impellere.
Cupiditate afficere.
Cupiditate incendere.
Cupiditate inflammare.
Cupiditatem tenere aliquem.
Cupiditatem aliquem rapere.
Cupiditatem habere.
Cupiditate ardere.
Cupiditate flagrare.
Cupiditatem refutare.
Cupiditatem tenere, *Pro cohibere.*
Cupiditatem frangere.
Cupiditatem imminuere.
Cupiditatem debilitare.
Cupiditatem comprimere.
Cupiditatem restinguere.
Cupiditatem coërcere.
Cupiditatem abijcere.
A' cupiditate remotum esse.
Cupiditate carere.

CVRA.

CVRA *est diligentia, solicitudo, studium, angor, cogitatio, meditatio, metus, molestia, acerbitas.*
Curæ esse.
Curæ esse de.
Curæ esse vt.
Curæ habere.
Esse in cura.
Esse curâ, pro in cura.
In cura versari.
Curam afferre.
Curam inijcere.
Curam dare.
Curam nasci.
Curam aliquem tangere, vel attingere.
Cura afficere.
Cura conficere.
Curam deferre.
Curam suscipere.
Curam sustinere.
Cura complecti.
Conferre se ad curam.
Curam conferre ad, vel in.
Curam adhibere.
Curam in re aliqua ponere.
Curam figere, vel defigere.
Curam infigere.
Curam configere.
Curas consumere.
In curam incumbere.
Curam excubare apud aliquem.
Curam alicuius in re aliqua uersari.
Curam deriuare.
A' cura abducere.
A' cura traducere.
Curas adimere.
Curam leuare.
Cura leuare.

Cura, vel à cura soluere.
Cura laxare.
Cura liberare.
Curam dimittere.
Curam deponere.
Curam abijcere.
Curam considere.
Cura vacuum esse.
Esse sine cura.

CVRATIO.

CVRATIO est, in qua uersatur cura: uel est munus à nobis susceptum, ad quod exequendum curæ nostræ conferuntur. Est etiam Medicorum.

Curationem rei alicuius deferre ad aliquem.
Curationem adhibere.
Curationem afferre, *Pro adhibere.*
Curationem admouere.
Curationem præscribere.
Curationem suscipere.
Curatione vacare.

CVRATOR.

CVRATOR appellatur, cui mandatur rei alicuius curatio.

Curatorem constituere.
Curatorem præficere.

CVRIOSITAS.

CVRIOSITAS est denominatiuum curiosi. Et curiosus dicitur à nimia cura: quoties plus diligentiæ, quàm oportebat, impendimus rebus uel nostris, uel alienis. Nostris, cùm minima quæque disquirimus, ut nullius frugis. Alienis, cùm de rebus cæterorum occultioribus non satis cum pudore perscrutamur, aut interrogamus.

In curiositate esse rei alicuius.

CVRRENS.

CVRRENS dicitur, qui currit.

Currentem hortari.
Currentem incitare. *Id est, satis per se incitatum,*
Currentem excitare. *& ad rem agendam alacrem, obnixéq; incumbentem instantiùs hortari, uel impellere. Ducta est metaphora ab ijs, qui in curriculo certant cursu, quibus acclamatio solet addere uelocitatem, & animos alacriores facere.*

CVRRICVLVM.

CVRRICVLVM significat spacium, quo curritur: aut cursum, uel currum. Tota uerò huius nominis elegantia in translatione consistit.

Curriculum dare.
Curriculum circunscribere.
Curriculum suæ industriæ habere.
In curriculum descendere.
Curriculum conficere.
Curriculum elaborari. *Cice. in Philip. Omne curriculum industriæ nostræ in Foro, in Curia, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est.*
De curriculo deflectere.
De curriculo decedere.

CVRSVS.

CVRSVS idem est quod curriculum, lapsus, uel iter: & ad Terram, Mare, Cœlum indifferenter pertinet. Nonnunquam extra hæc ad alia transfertur.

Cursum petere. *Cice. ad Atti. Ille incertus alium cursum petiuit.*
In cursu esse.
Cursum tenere. *Cursum tenere translatè ad rem nauticam pertinet: & dicitur nauis cursum tenere, cùm intentis uelis longiùs fertur. Cicero de Natu. Deor. Dionysius cùm secundissimo uento cursum teneret, ridens uidetis'ne inquit: & cætc. Idem in Philipp. Quem cursum industria tenere potuisset sine forensibus causis, sine iudicijs?*
Cursum conficere.
De cursu reuocare.

CVSTODIA.

CVSTODIA ponitur & pro eo, cui rem in custodiam damus: & pro fide eius, qui rem custodit. Sumitur etiam pro carcere.

In custodia collocare. *Cicero. Philip. vij. Idcirco in hac custodia, tanquam in Specula, collocati sumus, ut uacuum metu Popul. Romanum nostra uigilia, & prouidentia redderemus.*
In custodia ponere: *Id est, custodiæ præficere. Cice. pro Mure. Cùm in eiusdem anni custodia te, atq; L. Murenam fortuna posuisset.*
Custodia contineri. *Cice. in Philip. Id signum Cœlo delapsum Vestæ custodijs continetur.*
De custodia deturbare.
In custodiam dare.
In custodiam tradere.
In custodia includere.
Custodia septum tenere.
Custodijs munire.
In custodia esse.
In custodijs haberi: *Id est, quod Barbari dicunt, habere Vrbem pro carcere. Vel est, cùm aliquis alicui custodiendus datur, non in carcere, sed domi.*
In custodijs teneri, vel retineri.
E' custodia emittere.
E' custodia educere.
E' custodia eripere.

D

DAMNATIO.



DAMNATIO *est sententia lata in reum.*
Damnationem remorari.

DAMNVM.

DAMNVM *est incommodum, detrimentum, pœna.*
Damnum dare.
Damnis afficere.
Damnum contrahere.
Damnum facere.
Damnum resarcire.
Damnum præstare.

DEBITVM.

DEBITVM *significat id, quod debetur.*
Debita consectari.
Debitum soluere.
Debitum retribuere.
Debito fraudare creditorem.

DECESSIO.

DECESSIO *accessioni contraria est. Et ut accessio dicitur id, quod capiti accedit: ita decessio appellatur id, quod capiti detrahitur.*
Decessionem facere.

DECIMAE.

DECIMAE, *uel decumæ significat decimam partem quarumcunque rerum: quæ soluitur Principibus, uel Sacerdotibus. Inde uocantur Decumani, scilicet Publicanorum Principes, à quibus decumæ exigebantur.*
Decumas conducere.
Decumas exigere.
Decumas dare.
Decumas accipere.
Decumis defraudare.

DECISIO.

DECISIO *est determinatio, uel diremptio litium mutuo consensu æstimatarum.*
Decisionem facere.

DECLARATIO.

DECLARATIO *est significatio, uel demonstratio.*
Declarationem habere. *Cice. Fami. xv. Liber iste, quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui?*

DECOR.

DECOR *est quasi pulchritudo quædam ex decentia rerum, personarum'que in locis, temporibus, siue in agendo, siue in loquendo.*
Decôre spoliare.

DECORVM.

DECORVM *significat non tam ipsum honestum, quàm quod hominibus, & communi opinioni honestum uidetur, & pulchrum.*
Decorum seruare.

DECRETVM.

DECRETVM *significat interdictũ, consultũ, uel scitũ.*
Decretum facere.
Decretum interponere.

DECVS.

DECVS *est honor, honestas, laus, dignitas, ornamentum.*
Ad decus natum esse.
Decus conseruare.
Decus minuere.
Decôre orbare.

DEDECVS.

DEDECVS *decôri est contrarium. Est igitur idem quod turpitudo, nota, labes, macula, ignominia, probrum, opprobrium.*
Dedecori esse.
Dedecus concipere.
Dedecus admittere.
In dedecus incurrere.
In dedecore volutari.
Dedecus imprimere.
Dedecus suscipere.

DEDITIO.

DEDVNT *se, qui se permittunt alienæ uoluntati: ut fit in bello, extrema inopia consilij, & præsidij urgente.*
Ad deditionem inuitare.
Ad deditionem impellere.
Ad deditionem subigere.
In, uel sub deditionem redigere.
Deditionem significare.
In deditionem venire.
In deditionem concedere.
Deditionem facere.
Deditionem subire.
In deditionem accipere, vel recipere.
Deditionem omittere, vel deserere.

DEDVCTIO.

DEDVCTIO *est aliquando detractio. Dicitur tamen etiam deductio aquæ, & deductio Coloniæ.*
Deductionem facere.

DEFATIGATIO.

DEFATIGATIO *est lassitudo.*
Defatigatione ingrauescere, vel retardari.

DEFECTIO.

DEFECTIO *est eius, qui ab aliquo recedit: ut est recessio aut militum, aut ciuitatis à domino, uel à superiore. Vel dicitur defectio, quam alij eclipsim appellant. Nos planè Latinè diminutionem, uel imminutionem, aut interitum uocare possumus.*

Ad

Ad defectionem sollicitare.
Ad defectionem trahere.
Defectionis initium oriri.
Ad defectionem spectare.
Defectionis tempus circunspectare.
Defectionem parare.
Defectionem moliri.
Defectionem attentare.
Defectionem inire.
Defectionem facere.
In defectione esse.
A' defectione abstinere.

DEFENSIO.

DEFENSIO *ponitur pro patrocinio, uel propugnatione.*
Defensionem dare. *Cic. pro Mil. Qui non pœnam confeßioni, sed defensionem dedit.*
Defensionem suscipere.
In defensione suscepta permanere.

DEFENSOR.

DEFENSOR *dicitur propugnator, tutor, patronus, aduocatus, adstipulator, qui aliquem in fidem suam recipit.*
Defensorem sibi adoptare.

DEIECTIO.

DEIECTIO *est expulsio, uel deturbatio.*
Deiectionem facere. *Cic. pro Cecin. Qui illam uim, deiectionem'que fecerit.*

DELATIO.

DELATIONEM *pro accusatione sumito.*
Delationem dare.

DELECTATIO.

DELECTATIO *est iucunditas, uel fructus iucunditatis: uel est uoluptas suauitate sensus animum deliniens.*
Delectationem afferre.
Delectationem habere. *Duplici significato est hæc locutio. Interdum enim significat delectationem afferre, uel subministrare. Interdum uerò est delectatione frui, aut delectationem percipere.*
A' delectatione impediri.
Delectatione priuari.
Ad delectationem reuocare.

DELECTVS, us, ui.

DELECTVS *nomen generale est: & inter res ipsas, quas perpendimus, uel examinamus, uersatur: ut delectus officiorum: delectus uerborum: delectus dignitatis: & rerum similium. Præcipuè uerò ad rem bellicam pertinet: & conquisitionem militum delectus sequitur.*

Delectum mandare.
Delectum instituere.
Delectum decernere.
Delectum edicere.
Delectum conficere.
Delectum habere.
Delectum intermittere.

DELIBERATIO.

DELIBERATIO *est consultatio, uel consilium.*
Deliberationem introducere.
In deliberationem cadere. *Cic. Offic. 1. Id quod in deliberationem cadit.*
Deliberationem habere. *Et actiuè, & paßiuè ponitur hæc locutio. Habet enim res deliberationem, scilicet quæ in deliberationē cadit: & id paßiuum est. Habemus etiam rei deliberationē, cùm de ea deliberamus: idq; totū actiuū est.*
Deliberationem capere.

DELIBERATVM.

DELIBERATVM *idem est, quod certum, uel constitutum.*
Deliberatum aliquid alicui esse.
Deliberatum aliquid cum animo habere.

DELICIAE.

DELICIAE *sunt oblectamenta, quæ nobis uoluptati esse solent. Interdum etiam pro importuna quadam curiositate accipiuntur.*
Deliciæ, meæ, tuæ, nostræ, vestræ. *Deliciæ sic aliquando per appositionem ad personas referuntur: ponunturq; pro re nobis maximè chara, & iucunda: re scilicet, qua maximè oblectamur, quæq; nobis uelut in delicijs est. Cic. Famil. vij. Deliciæ tuæ noster Aesopus eiusmodi fuit, ut ei desinere per omneis liceret. Idem ad Att. xvj. Pyliæ salutem dices, & Atticæ delicijs, atque amoribus meis.*
In delicijs habere: *Id est, charum habere.*
In delicijs esse.
Delicias facere: *Est uelut submorosum se præbere: aut uelut alicui illudere nimiæ cuiusdam facilitatis specie. Dixerunt etiam Antiqui delicias aliquē facere, pro ridere aliquem.*

DELICTVM.

DELICTVM *idem est quod peccatum.*
Delictum committere.
Delictum admittere.
Delictum comprimere.

DEMOLITIO.

DEMOLITIO *est euersio.*
Demolitionem facere.

DENARIVS.

DENARIVM *nunc appellamus Caroleum nummum argenteum, qui antiquum sestertium ualet.*

Denarij ſpem eſſe.
Ad denarios peruenire.
Ad denarium ſoluere.

DENS.

DENS *generaliter id omne dicitur, à quo aliquid teneri, uel extrahi poteſt. Dentes uerò peculiariter ſunt, qui cibum conterunt.*
Dentes in ore conſtructi.
Dentes candiduli.
Dentes putridi.
Dentium crepitus.
Dentes labefactare.
Dentes euellere.
Dente maledico carpere: *Id quod faciunt Obtrectatores.*

DEPOPVLATIO.

DEPOPVLATIO *eſt uaſtatio, uel direptio.*
Depopulationem inferre.

DEPOSITVM.

DEPOSITVM *eſt alicui cōmendatum, uel creditum.*
Depoſitum reddere.
Dopoſito aliquem fraudare.
Depoſitum denegare.

DEPRECATIO.

DEPRECATIO *eſt obteſtatio, uel deteſtatio. Vel eſt deprecatio, in qua non defenſio facti, ſed ignoſcendi poſtulatio continetur.*
Deprecationē alicui afferre: *Id eſt, ſubminiſtrare.*
Deprecatione vti: *Id eſt, deprecari.*

DEPRECATOR.

DEPRECATOR *ponitur pro eo, qui orat: aut pro eo, qui aliquid amolitur, & remouet.*
Deprecatorem mittere.
Deprecatorem ſe profiteri.
Deprecatorem ſe præbere.

DESIDERIVM.

DESIDERIVM *eſt cupiditas, ſtudium, uel amor: uel eſt libido eius, qui nondum adſit, uidendi.*
Deſiderium commouere.
Deſiderium relinquere.
Deſiderio afficere.
Deſiderio moueri.
Deſiderio incendi.
Deſiderium tenere aliquem.
Deſiderio teneri.
In deſiderio eſſe. *Duplici ſignificato hæc locutio à Latinis uſurpatur: actiuo ſcilicet, & paſſiuo. Etenim in deſiderio eſſe dicimur, cùm deſideramus. Vel res nobis dicitur eſſe in deſiderio, quæ à nobis deſideratur.*
Deſiderio angi.
Deſiderio premi.
Ex deſiderio laborare.
Deſiderio æſtuare.
Deſiderio flagrare.
Deſiderio exardere.
Deſiderio oblanguere.
Deſiderio tabeſcere.
Deſiderio mori.
Deſiderium ferre.
Deſiderium lenire.
Deſiderium minuere.
Deſiderium ponere.
Deſiderium renouare.
Deſiderium augere.

DESIDIA.

DESIDIA *eſt inertia, ignauia, languor.*
Deſidiæ plenum eſſe.
Deſidiæ ſe dedere.

DESPECTVS, us, ui.

DESPECTVS *idem eſt quod contemptus.*
Deſpectui eſſe.
Deſpectui aliquid habere.

DESPERATIO.

DESPERATIO *eſt ægritudo ſine ulla rerum expectatione meliorum: opponi quę poteſt ſpei bonæ.*
Deſperationem afferre.
Deſperatione afficere.
In deſperationem venire.
Deſperationis plena eſſe omnia.
A' deſperatione ad ſpem reuocare.

DESPERATVS.

DESPERATVS *ſignificat ab omni ſpe derelictum, deſtitutum, depoſitum.*
In deſperatis, & perditis negotium aliquod habere.

DESPICATVS, us, ui.

DESPICATVS *pro contemptu accipitur.*
Deſpicatui aliquid ducere: *Id eſt, deſpicere, uel contemnere.*

DETRIMENTVM.

DETRIMENTVM *idem eſt quod damnum.*
Detrimentum iniungere
Detrimentum inferre.
Detrimentum importare.
Detrimentum inuehere.
Detrimentum imponere.
Detrimento afficere.

Detrimentum

Detrimentum capere.
Detrimentum accipere.
Detrimentum facere: *Id est, accipere.*
Detrimentum sarcire.
Detrimentum resarcire.
Detrimentum reconcinnare.

DEVS.

DEVS *ipse, qui intelligitur à nobis, non alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam, & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, & mouens, ipsa'que prædita motu sempiterno.*
Deo dignum est: *Id est, nemo id, nisi Deus, facere potest. Vel in Dei tantùm potestate positum est. Cicero De Diuinat. Nec frustra, & sine causa quid facere, dignum Deo est.*
Deos testari.
O Dij.
Dij boni. *Locutio est admirantis.*
O Dij boni.
Per Deos. *Cic. in Off. Quid est per Deos optabilius sapientia?*
Si Dijs placet.
Dijs iuuantibus.
Dijs approbantibus, & iuuantibus.
Dijs, hominibus'que plaudentibus.
Deus aliquis hæc viderit.
Deus hæc aliquis gubernabit.
Deus hæc quisquam vix iam possit.
Deum esse in re aliqua: *Id est, præstantissimum esse, uel principem. Cic. de Orat. In quo tu mihi semper Deus uideri soles.*
Deum esse salutis alicuius. *Cic. pro Sest. Cuius patrem Deum, ac parentem statuo fortunæ, ac nominis mei.*
In Deos aliquem referre.

DEXTERA.

DEXTERA *intelligitur manus.*
Dexteram tendere.
Dexteram porrigere.

DIADEMA.

DIADEMA *est insigne Regis.*
Diadema imponere:
Diadema ponere. *Id est, deponere.*

DIALOGVS.

DIALOGVS *est collocutio, uel disputatio de re aliqua inter aliquos.*
Dialogum de re aliqua cum aliquo habere.

DICA.

DICA *est actio, uel iudicium.*
Dicam sortiri.
Dicas ex vrna educere.
Dicam alicui scribere.
Dicam alicui impingere.

DICTATOR.

DICTATOR *erat apud Romanos magister populi.*
Dictatorem dicere.
Dictatorem efficere.

DICTATVM.

DICTATVM, *quod Præceptor pueris describendum dictauit. Nec in literis solùm, sed in alijs quoque artibus dictata dicuntur.*
Dictata perdiscere.
Dictata reddere.
Dictata decantare.

DICTATVRA.

DICTATVRA *est dignitas Dictatoris.*
Dictaturam gerere.

DICTIO.

DICTIO *ponitur pro sermone, uel uerbis: uel pro elocutione, et facunda oratione, aut forensi exercitatione, aut pro causæ pronunciatione. Solet etiam à Grãmaticis poni pro uocabulo, uel uoce, quæ per casus flectitur, aut nõ flectitur.*
Dictionem causæ denuntiare.
Dictionem causæ in certas parteis diuidere.

DIES.

MVLTA *diligenter in primo nostrorum Commentariorum Tomo de hac uoce scripsimus, quæ tu illic quæres. Hic tantùm faciliores quasdam locutiones ex hac dictione manantes cumulabimus. Tu tamen antea id habeto, diem pro luce, tempore, uel temporis cursu poni.*
Diem illucescere.
Diem inclinare.
Diem præcipitare.
Diem abire.
Diem ponere.
Diem degere.
Diem consumere.
Diem conterere.
Diem sumere.
Diem ascribere.
Diem commutare.
Diem statuere.
Diem constituere.
Diem præstituere.
Diem præfinire.

Diem destinare.

Diem dare. *Diem dare duplici significato dicimus. Interdum est enim permittentis: interdum consumentis. Permittentis sic. Cicero de Nat. Deor. iij. Sed quoniam aduesperascit, dabis diem nobis aliquem, ut contra istum dicamus. Consumentis sic. Cicero: Nam Vestorio dandi sunt dies. Id est, aliquot dies apud Vestorium nobis commorandum est.*

Diem aduentare.

Diem appetere.

Diem obrepere.

Diem instare.

Diem venire.

Diem intercedere.

Diem cedere.

In diem incurrere.

In diem incidere. *Cic. ad Attic. vj. Facies me certiorem, in quem diem Romana incidunt mysteria: id est, quo die mysteria celebrentur.*

Diem videre.

Diem agere.

Diem celebrare.

Diem sustinere.

Diem differre.

Diem proferre.

In alium diem differre.

Diem ducere.

Diem producere.

Diem prorogare.

Diem prolatare.

Diem diffundere, vel diffindere.

Diem extrahere.

Diem eximere, vel tollere.

Diem auferre.

Diem intermittere.

DIFFICVLTAS.

DIFFICVLTAS *aliquando speciem molestiæ, & incommodationis habet. Aliquando pro labore est, uel negotio, & operis ardua ratione, uel extremis quibusdam rerum gerendarum finibus, quibus anxiè includimur, ut uix exitus appareat optatus, uel in uiribus humanis positus.*

Difficultatem afferre.

In difficultatem incurrere.

In difficultatem delabi.

Difficultatem habere. *Difficultatem habere dicitur persona: uel res.* RES. *Cic. pro Cluent. Prospicio, quantum in agendo difficultatis, & quantum laboris sit habitura altera pars.* PERSONA. *Habet persona difficultatem, cùm difficultate implicatur. Cic. ad Att. xiij. De nomine tu uidebis cum Cuspio: sed, si Plancus destinat, tum haberes difficultatem: id est, uix ad id, quod speras, uel conaris, peruenires.*

DIGITVS.

DIGITOS *à digerendo quidam deriuari putant, quòd Natura miro, decentíque ordine digitos digesserit: id est, disposuerit.*

Digitum tollere; *De hac locutione uide multa in secundo nostrorum Commentariorum Tomo.*

Digitis primis aliquid attingere: *Id est, leuiter.*

Digitum latum, vel transuersum discedere à re aliqua.; *Id est, quàm minimo spacio.*

DIGNATIO.

DIGNATIO *est dignitas, uel amplitudo collecta ex Magistratus alicuius functione: uel ex facta uirtutis significatione.*

In dignationem venire, vel peruenire.

DIGNITAS.

DIGNITAS *est alicuius honesta autoritas, quæ & cultu, & honore, & uerecundia digna est. Vel est dignitas gradus honoris, splendor, amplitudo, locus, decus, ornamentum, pulchritudo uirilis, liberalis species.*

Dignitatem quærere.

Dignitatem colligere.

Dignitatem conciliare.

Dignitatem afferre.

Dignitatem tribuere.

Dignitatem concedere.

In dignitate locare.

Dignitati esse.

Dignitatem adiungere.

In dignitate ponere.

Dignitatem reperire.

Ad dignitatem peruenire.

Dignitatem acquirere.

Dignitatem consequi.

Dignitatem habere. *De re intelligitur.*

Dignitate præditum esse.

Dignitate esse.

Dignitate florere.

Dignitatem tueri.

Dignitatem defendere.

Dignitatem sustinere.

Dignitatem tenere.

Dignitatem obtinere.

Dignitatem retinere.

Dignitatem seruare.

Dignitati consulere.

Dignitati seruire.

Dignitatem ornare.

Dignitati fauere.

Dignitati suffragari.

Dignitatem augere.

Dignitatem amplificare.

Ad dignitatem aliquid accedere.

Dignitati deesse.
Dignitatem oppugnare.
Dignitatem impugnare.
Dignitatem violare.
Dignitatem frangere.
Dignitatem diminuere.
Dignitatem deformare.
Dignitatem labefactare.
Dignitatem attingere contumelia.
De dignitatis gradu dimouere.
Dignitatem detrahere.
Dignitate spoliare.
Dignitatem amittere.
Dignitatem deponere.
A' dignitate discedere.
Dignitatem reddere.
Dignitatem restituere.
Dignitatem recipere.
Dignitatis reliquiæ.
Dignitatis imago: *Id est, reliquiæ.*
Ex dignitate aliquid facere, vel statuere.

DILIGENTIA.

DILIGENTIA *est sedulitas, uel assiduitas.*
Diligentiam adhibere.
Diligentiam conferre ad rem aliquam.
De diligentia remittere.

DIMICATIO.

DIMICATIO *est discrimen, uel contentio.*
Dimicationem quærere.
In dimicationem venire.
Dimicationem subire.
Dimicationem defugere.
A' dimicatione continere.

DIMINVTIO.

DIMINVTIO *accretioni opponitur.*
Diminutionem facere.

DISCEPTATIO.

DISCEPTATIO *est contentio, uel controuersia.*
In disceptationem vocare.
In disceptationem cadere.
In disceptationem venire.
In disceptatione versari.

DISCEPTATOR.

DISCEPTATOR *pro iudice ponitur.*
Disceptatorem deposcere.
Disceptatore aliquo vti.
Disceptatorem recusare.

DISCESSIO.

DISCESSIO *contraria est accessioni.*
Discessionem facere in alicuius sententiam.

DISCIPLINA.

DISCIPLINAM *pro arte, uel institutione, more, consuetudine'ue Latini accipiunt: & ponitur actiuè, uel passiuè, ut sit tradentis, uel accipientis.*
In disciplinam aliquem alicui tradere.
Disciplinam tradere.
Disciplinam dare.
Disciplinam accipere.
Disciplinam percipere
Disciplinam colere.

DISCORDIA.

DISCORDIA *est dissidium, dissensio, seditio, odium.*
Discordiam inducere.
Discordiam concitare.
Discordiam impendêre.
Discordiam oriri.
Discordiam placare.
Discordiam sedare.
Discordiam dissipare.
Discordiam tollere.

DISCREPANTIA, æ.

DISCREPANTIA *idem est quod discordia, uel differentia.*
Discrepantiam habere.
Discrepantiam in aliquid conferre.

DISCRIMEN.

DVPLEX *est maximè huius uocis apud Latinos significatio. Ponitur enim interdum pro periculo. Ponitur etiam pro separatione, delectu, uel differentia.*
Discrimen positum esse in re aliqua.
In discrimen vocare.
In discrimine ponere.
In discrimen adducere.
Discrimen inferre.
In discrimen offerre se.
In discrimen se conferre.
In discrimen incidere.
In discrimen venire.
In discrimen deuenire.
Discrimen habere.
In discrimine versari.
In discrimine esse.

Disiunctio

DISIVNCTIO.

DISIVNCTIO *est separatio.*
Disiunctionem facere.

DISPENSATIO.

DISPENSATIO *est distributio, distinctio, uel directio.*
Dispensationem alicui dare.
Dispensationem committere.
Dispensationem suscipere.
Dispensationem eripere.

DISSENSIO.

DISSENSIO *est discordia.*
Dissensionem commouere.
Dissensionem facere.
Dissensionem extinguere.

DISSIDIVM.

DISSIDIVM *pro dissensione, & diuortio ponitur.*
Dissidium facere.

DISSIMILITVDO.

DISSIMILITVDO *est uarietas, uel distantia.*
Dissimilitudinem habere: *Cic. Famil. ij. Genus institutorum meorum habet dissimilitudinem cum illius administratione. Idem de Orat. Ius ciuile hanc habet ab illis rebus dissimilitudinem.*
Dissimilitudinem esse rei alicui cum aliqua.

DISSIMVLATIO.

DISSIMVLATIO *idem est quod ironia, uel dissimulantia.*
Dissimulationem esse in aliquo.
Dissimulatione uti.
Dissimulationis integumentis euolui.

DITIO.

DITIO *idem est quod Imperium.*
In ditionem redigere.
Sub ditionem subiungere.
In ditione tenere.
Sub ditionem cadere.
In ditione esse.

DIVERTICVLVM.

DIVERTICVLVM *est flexio uiæ.*
Diuerticulum quærere.
Diuerticulum reperire.
Diuerticulum dare: *Cic. in Part. Ne diuerticula peccatis darentur.*

DIVITIAE.

DIVITIAE *sunt ampl[a]e fortun[a]e, uel magn[a]e copi[a]e, opulentia, uel rerum affluentia, ea'que ad omnia patens. Vt enim rerum sunt diuitiæ: ita etiam animi, ingenij, orationis: ubi diuitiæ pro ornamentis, uel felici quadam ubertate capi solent.*
Diuitias expetere.
Diuitias quærere.
Diuitias parare.
Diuitijs aliquem augere.
Ad diuitias peruenire.
Diuitijs affluere.
Diuitijs circumfluere.

DIVORTIVM.

DIVORTIVM *generali significatione accipitur pro separatione omnium rerum: nec magis ad coniugij dissidium pertinet, quàm ad alia. Dicimus enim eleganter aquarum diuortia, & doctrinarum diuortia. Cic. Famil. ij. Qui mons mihi cum Bibulo communis est, diuisus aquarum diuortijs. Idem ad Att. Amanus Syriam à Cilicia aquarum diuortio diuidit. Idem de Orat. ij. Sic ex communi sapientum iugo sunt doctrinarum facta diuortia.*
Diuortium facere. *Tu diligenter obserua, tam uxorem, quàm uirum, diuortium facere dici.*

DIVTVRNITAS.

DIVTVRNITAS *est longinquitas temporis, dierum numerus.*
Diuturnitate temporis aliquid confirmari.
Diuturnitati rei alicuius modum statuere.
Diuturnitate aliquid vanescere.
Diuturnitate aliquid tolli.

DOCTRINA.

DOCTRINA *est eruditio.*
Doctrinam percipere.
Doctrina aliqua institutum esse.
Doctrina ornatum esse.
In doctrina aliqua versari.
Doctrina animum relaxare.
Doctrinam redolere. *Cic. de Orat. Id redolet exercitationem, doctrinam'que penè puerilem.*
Doctrinæ studium intermittere.

DOCVMENTVM.

DOCVMENTI *significatio cum docendi significatione conuenit ea, quam p nunc Latini pro monere, uel certiorem facere. Est igitur documentum admonitio, praeceptum, exemplum, uel monumentum.*

Documentum

Documentum dare.
Documentum statuere.
Documento esse.
Documentum capere.
Documento habere.
Documentum habere.

DOLOR.

DOLOR *tum de animo, quàm de corpore, dicitur. Et generaliter idem est, quod cruciatus, sensus acerbus, moeror, lachrymæ.*

AD ANIMVM RELATVS.

Dolorem facere.
Dolorem afferre.
Dolorem dare.
Dolorem efficere
Dolorem incutere.
Dolorem inurere.
Dolorem alicui incedere; *Id est, inuadere.*
Dolorem incursare.
Dolori esse.
Dolore esse.
In dolore esse.
Dolorem habere, *Pro esse in dolore.*
Dolorem impertire.
Dolore tangi.
Dolorem capere.
Dolorem accipere.
Dolorem percipere.
Dolorem haurire.
Dolorem suscipere.
Dolorem sustinere.
Dolore angi.
Dolore impediri.
Dolore intercludi.
Dolore ardere.
Dolore disrumpi.
Dolore tabescere.
Dolori seruire.
Dolori parêre.
Dolori succumbere.
Dolorem vlcisci.
Dolorem insidere.
Dolorem fouere.
Dolorem augere.
Dolorem amplificare.
Dolorem refricare.
Dolorem tegere.
Dolorem tenere: *Id est, comprimere.*
Dolorem emergere.
Dolori resistere.
Dolorem castigare.
Dolorem consolari.
Dolorem mollire.
Dolorem lenire.
Dolorem mitigare.
Dolorem minuere.
Dolorem frangere.
Dolorem leuare.
Dolorem detrahere.
Dolorem abstergere.
Dolorem exhaurire.
Dolorem eripere.
Dolore liberare.
Dolore priuare.
Dolorem deponere.
Dolorem depellere.
Dolorem abijcere.
À dolore aberrare: *Id est, dolorem intermittere.*
Dolorem obliuisci.
Doloris obliuionem ex re aliqua petere.

CVM AD CORPVS *pertinet.*

Dolorem facere.
Dolorem efficere.
Dolore afficere.
Dolorem habere.
Dolore premi, uel opprimi.
Dolores remittere se.

DOLVS.

DOLVS *est fraus, siue machinatio, quæ fit ad fallendum aliquem. Quo uocabulo nunc tantùm in malis utimur. Antiqui autem etiam in bonis rebus utebantur. Vnde adhuc dicimus sine dolo malo: nimirum quia solebat dici & bonus.*

Dolum commoliri.
Dolos consuere.
Dolum adhibere.
Dolis ludere, vel deludere aliquem.
Dolis circunuenire.
Dolos aperire.

DOMICILIVM.

DOMICILIVM *est habitatio, sedes, uel tectum. Volunt tamen nonnulli habitationem esse longi temporis: unde mutare domicilium dicuntur, qui migrant, ut aliam Vrbem habitent, tanquam illius ciues futuri. Nam qui ad tempus habitat, mox inde discessurus, domum quidem potest habere, quam conduxit: domicilium autem non habet. Ista est quorundam iurisconsultorum expositio, non tamen huic nomini perpetua. Nam domicilium est Latinis sedes, uel habitatio siue longæ, siue breuis commorationis. Transfertur etiam nonnunquam eleganter.*

DISIVNCTIO.

DISIVNCTIO *est separatio.*
Disiunctionem facere.

DISPENSATIO.

DISPENSATIO *est distributio, distinctio, uel directio.*
Dispensationem alicui dare.
Dispensationem committere.
Dispensationem suscipere.
Dispensationem eripere.

DISSENSIO.

DISSENSIO *est discordia.*
Dissensionem commouere.
Dissensionem facere.
Dissensionem extinguere.

DISSIDIVM.

DISSIDIVM *pro dissensione, & diuortio ponitur.*
Dissidium facere.

DISSIMILITVDO.

DISSIMILITVDO *est uarietas, uel distantia.*
Dissimilitudinem habere: *Cic. Famil. ij. Genus institutorum meorum habet dissimilitudinem cum illius administratione. Idem de Orat. Ius ciuile hanc habet ab illis rebus dissimilitudinem.*
Dissimilitudinem esse rei alicui cum aliqua.

DISSIMVLATIO.

DISSIMVLATIO *idem est quod ironia, uel dissimulantia.*
Dissimulationem esse in aliquo.
Dissimulatione vti.
Dissimulationis integumentis euolui.

DITIO.

DITIO *idem est quod Imperium.*
In ditionem redigere.
Sub ditionem subiungere.
In ditione tenere.
Sub ditionem cadere.
In ditione esse.

DIVERTICVLVM.

DIVERTICVLVM *est flexiouie.*
Diuerticulum quærere.
Diuerticulum reperire.
Diuerticulum dare: *Cic. in Part. Ne diuerticula peccatis darentur.*

DIVITIAE.

DIVITIAE *sunt ample fortunæ, uel magnæ copiæ, opulentia, uel rerum affluentia, eaque ad omnia patens. Vt enim rerum sunt diuitiæ: ita etiam animi, ingenij, orationis: ubi diuitiæ pro ornamentis, uel felici quadam ubertate capi solent.*
Diuitias expetere.
Diuitias quærere.
Diuitias parare.
Diuitijs aliquem augere.
Ad diuitias peruenire.
Diuitijs affluere.
Diuitijs circunfluere.

DIVORTIVM.

DIVORTIVM *generali significatione accipitur pro separatione omnium rerum: nec magis ad coniugij dissidium pertinet, quàm ad alia. Dicimus enim eleganter aquarum diuortia, & doctrinarum diuortia. Cic. Famil. ij. Qui mons mihi cum Bibulo communis est, diuisus aquarum diuortijs. Idem ad Att. Amanus Syriam à Cilicia aquarum diuortio diuidit. Idem de Orat. ij. Sic ex communi sapientum iugo sunt doctrinarum facta diuortia.*
Diuortium facere. *Tu diligenter obserua, tam uxorem, quàm uirum, diuortium facere dici.*

DIVTVRNITAS.

DIVTVRNITAS *est longinquitas temporis, dierum numerus.*
Diuturnitate temporis aliquid confirmari.
Diuturnitati rei alicuius modum statuere.
Diuturnitate aliquid vanescere.
Diuturnitate aliquid tolli.

DOCTRINA.

DOCTRINA *est eruditio.*
Doctrinam percipere.
Doctrina aliqua institutum esse.
Doctrina ornatum esse.
In doctrina aliqua versari.
Doctrina animum relaxare.
Doctrinam redolere. *Cic. de Orat. Id redolet exercitationem, doctrinamque penè puerilem.*
Doctrinæ studium intermittere.

DOCVMENTVM.

DOCVMENTI *significatio cum docendi significatione conuenit ea, quam ponunt Latini pro monere, uel certiorem facere. Est igitur documentum admonitio, præceptum, exemplum, uel monumentum.*

Documentum dare.
Documentum statuere.
Documento esse.
Documentum capere.
Documento habere.
Documentum habere.

DOLOR.

DOLOR *tam de animo, quàm de corpore, dicitur. Et generaliter idem est, quod cruciatus, sensus acerbus, moeror, lachrymae.*

AD ANIMVM RELATVS.

Dolorem facere.
Dolorem afferre.
Dolorem dare.
Dolorem efficere
Dolorem incutere.
Dolorem inurere.
Dolorem alicui incedere: *Id est, inuadere.*
Dolorem incursare.
Dolori esse.
Dolore esse.
In dolore esse.
Dolorem habere, *Pro esse in dolore.*
Dolorem impertire.
Dolore tangi.
Dolorem capere.
Dolorem accipere.
Dolorem percipere.
Dolorem haurire.
Dolorem suscipere.
Dolorem sustinere.
Dolore angi.
Dolore impediri.
Dolore intercludi.
Dolore ardere.
Dolore disrumpi.
Dolore tabescere.
Dolori seruire.
Dolori parêre.
Dolori succumbere.
Dolorem vlcisci.
Dolorem insidere.
Dolorem fouere.
Dolorem augere.
Dolorem amplificare.
Dolorem refricare.
Dolorem tegere.
Dolorem tenere: *Id est, comprimere.*
Dolorem emergere.
Dolori resistere.
Dolorem castigare.
Dolorem consolari.
Dolorem mollire.
Dolorem lenire.
Dolorem mitigare.
Dolorem minuere.
Dolorem frangere.
Dolorem leuare.
Dolorem detrahere.
Dolorem abstergere.
Dolorem exhaurire.
Dolorem eripere.
Dolore liberare.
Dolore priuare.
Dolorem deponere.
Dolorem depellere.
Dolorem abijcere.
A dolore aberrare: *Id est, dolorem intermittere.*
Dolorem obliuisci.
Doloris obliuionem ex re aliqua petere.

CVM AD CORPVS *pertinet.*

Dolorem facere.
Dolorem efficere.
Dolore afficere.
Dolorem habere.
Dolore premi, uel opprimi.
Dolores remittere se.

DOLVS.

DOLVS *est fraus, siue machinatio, quae fit ad fallendum aliquem. Quo uocabulo nunc tantùm in malis utimur. Antiqui autem etiam in bonis rebus utebantur. Vnde adhuc dicimus sine dolo malo: nimirum quia solebat dici & bonus.*
Dolum commoliri.
Dolos consuere.
Dolum adhibere.
Dolis ludere, vel deludere aliquem.
Dolis circunuenire.
Dolos aperire.

DOMICILIVM.

DOMICILIVM *est habitatio, sedes, uel tectum. Volunt tamen nonnulli habitationem esse longi temporis: unde mutare domicilium dicuntur, qui migrant, ut aliam Vrbem habitent, tanquam illius ciues futuri. Nam qui ad tempus habitat, mox inde discessurus, domum quidem potest habere, quam conduxit: domicilium autem non habet. Ista est quorundam Iurisconsultorum expositio, non tamen huic nomini perpetua. Nam domicilium est Latinis sedes, uel habitatio siue longae, siue breuis commorationis. Transfertur etiam nonnunquam eleganter.*

Domicilium collocare.
Domicilium habere.

DOMINATIO.

DOMINATIO *idem est quod dominatus, tyrannis, uel imperium.*
Dominationem quærere.
Dominationem sibi comparare.
Dominationem habere.

DOMINATVS, us, ui.

DOMINATVS *significat principatum: cui opponi solet seruitus.*
Dominatum dare.
In dominatu locare.
Dominatum occupare.
Dominatum habere.
In dominatu esse, *Pro dominatum habere.*
Dominatu teneri.
Dominatu premi.
Dominatu pellere, vel expellere.
Dominatu liberare.

DOMVS.

SATIS *amplum diligentiæ nostræ (quod ad hanc uocem pertinet) documentum in primo Tomo nostro dedimus. Hic ergo tantùm habe, domum pro ædibus, domicilio, uel tectis accipi. Vel pro familia, uel pro patria.*

PRO AEDIBVS, VEL patria.

Domum ædificare.
Domum facere.
Domum conuestire.
Domum euertere.
Domum reficere.
Domo exire.
Domo excedere.
Domo emigrare.
Domo exulare.
A domo abesse.
Domum reuenire.

PRO FAMILIA.

Domum exinanire.
Domum exhaurire.
Domum commendare.
Domum reconciliare.

DONATIO.

DONATIONEM *propriè dici existimat Vlpianus Iurisconsultus, cùm quis ea mente dat, ut statim uelit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reuerti: & propter nullam aliam causam facit, quàm ut liberalitatem, & munificentiam exerceat: quòd si sub conditione fiat, non est donatio.*
Donationem facere.

DONVM.

DONVM *idem est quod munus.*
Donum dare.
Dono dare.
Donum accipere.

DOS.

DICITVR *dos res ea, quæ Marito ab Vxore datur. Præter eam significationem ad alia conuertitur, appellaturq; dos, quicquid alicui datũ est uel à Natura, uel ab hominibus.*
Dotem conficere.
Dotem dicere.
Doti dicere. *Doti dicere Antiqui dicebant, pro in dotem promittere.*
Dotem dare.

DVBITATIO.

DVBITATIO *est hæsitatio, uel scrupulus.*
Dubitationem dare.
Dubitationem relinquere. *Pro dare.*
Dubitationem afferre.
Dubitationem inijcere.
In dubitationem adducere.
Dubitationem accidere.
Dubitationem in re aliqua esse.
Dubitationem habere. *Passiuè semper ponitur hæc locutio: dicitur enim res dubitationem habere, de qua dubitari possit.*
Dubitatione æstuare.
Dubitationem tollere.
Sine dubitatione vlla.

DVBIVM.

DVBIVM *idem est quod difficultas, quasi salebra, controuersia.*
In dubium vocare.
In dubium reuocare.
Dubium facere.
In dubium venire. *Venit tam res, quàm persona, in dubium. Sed alterum actiuæ significationis est: alterum passiuæ.*
Dubium habere.
Dubium aliquid esse alicui.
In dubio esse.
Sine dubio.

DVCTVS,

DVCTVS, us, ui.

DVCTVM *aquarum interdum appellamus. Preter hanc significationem ponitur sæpe pro consilio, autoritate, uel administratione.*

Ad alicuius ductum se applicare.

DVLCEDO.

DVLCEDO *propriè fructuum est, uel musti, mellis, aut aquæ saccaratæ. Translatè tamen sæpe accipitur pro lenocinio, illicio, uel illecebra, & quadam uoluptate nos blandius commouente, uel retinente.*

Dulcedine rei alicuius moueri, vel cõmoueri.
Dulcedine perfundi.
Dulcedine deprauari.
Dulcedine capi.
Dulcedinem minuere.

DVX.

DVX *dicitur Imperator, qui exercitum ducit. Sed ut Dux belli appellatur, a quo summa belli administratur, & qui exercitui præest: ita qui rei alicuius, uel negotij suscipiendi principem se profitetur, dux ille uocatur tam in malam, quam in bonam partem.*

Ducem exercitui præbere.
Ducem se præbere ad aliquid.
Ducem esse ad aliquid.
Ducem aliquem sequi ad aliquid.

E

EBRIVS.



BRIVS *est temulentus, uinolentus, uino obrutus, uino languidus, uino confectus.*

Ebrium aliquem facere. *Cic. pro Mil. Seruos Milonis apud se ebrios factos dixit.*

EDICTVM.

EDICTVM *est, quo aliquid Magistratum gerentes edicunt. Neque uerò Magistratus solum est: sed etiam priuati aliquando hominis dicitur.*

Edictum edicere.
Edictum ferre.
Edicto sancire.
Edictum alicui remittere. *Cic. in Philip. Senatus censuit, Aediles Curules edictum, quod de funeribus habent, Seruij Sulpitij funeri remittere.*
Ex edicto possidere.

EFFVGIVM.

EFFVGIVM *est fugiendi modus, facultas, uia, uel refugium.*

Effugium quærere.
Effugium alicui patêre.
Effugium consequi.
Effugium habere.

EGESTAS.

EGESTAS *est inopia, uel indigentia.*

Egestatem afferre.
In egestate esse.
Egestatem sustentare.

EGRESSVS, us, ui.

EGRESSVS *idem est quod discessus.*

Egressum alicuius ornare, uel celebrare sua frequentia. *Cic. in Piso. Qui frequentia sua egressum uestrum in Prouinciam ornauerunt, & celebrauerunt.*

ELEGANTIA.

ELEGANTIA *est uerborum, & orationis: uel rei cuiuslibet munditia, & lautitia. Sic ad eloquentiam pertinet: uel extra eloquentiam est. Cum ad eloquentiæ rationem non pertinet, significat eximiam quandam formam, & speciem rei cuiusuis: uel lautitiam, ut diximus, & munditiam.*

Elegantiam habere.
Elegantia pollere.
Elegantia affluere.
In elegantia uiuere.

ELEMENTVM.

ELEMENTA *dicuntur initia, è quibus aër, & ignis mouendi uim habent, & efficiendi: reliquæ partes accipiendi, & quasi patiendi: aquam dico, & terram. Dicuntur etiam elementa, literarum notæ, eò quòd sint principia orationis: nam ex literis syllabæ, ex syllabis dictiones, ex dictionibus orationes conficiuntur.*

Elementa tradere. *Cicero in Acad. Dialectica, quæ primo progressu tradit elementa loquendi.*

ELOCVTIO.

ELOCVTIO *est explicatio: uel est idoneorum uerborum, & sententiarum ad inuentionem accommodatio.*

Elocutionem habere.

EMBLEMA.

EMBLEMA *est uermiculatum opus ex tessellis insititijs aptum, atque consertum.*

Emblema detrahere.
Emblema auellere.

EMISSIO.

EMISSIO *est iaculatio, uel uibratio.*

Emiſsionem habere. *Cic. in Tuſcul. Tormenta eò grauiores emiſsiones habent, quò ſunt contenta, atque adducta uehementiùs.*

EMOLVMENTVM.

EMOLVMENTVM *eſt utilitas: & opponitur detrimento.*

Emolumentum afferre.
Emolumentum facere: *Id eſt, utilitatem afferre.*
Emolumento eſſe.

EMPTIO.

EMPTIO *eſt emendi uerbale.*

Emptionem facere. *Cic. pro Cecin. Hac emptione facta pecunia ſoluitur à Cæſennia.*
Emptionem contrahere.
Emptionem bene, & feliciter euenire.

EPIGRAMMA.

EPIGRAMMA *latinè dicitur inſcriptio, uel ſuperſcriptio.*

Epigramma facere.

EPISTOLA.

EPISTOLAM *uocant Latini literas, uel codicillos.*

Epiſtola longa, vel verboſa.
Epiſtola breuis.
Epiſtola puſilla.
Epiſtola inanis.
Epiſtola inanis re aliqua vtili, & ſuaui.
Epiſtolarum crebritas.
Epiſtolarum frequentia.
Epiſtolæ quotidianæ.
Epiſtola recens.
Epiſtola vetus.
Epiſtolarum faſciculus. *Vox eſt communis & epiſtolis, & literis faſciculus: diciturque ponderoſus literarum, uel epiſtolarum ſimul complicatarum numerus. Cic. ad Q. fratrem. Ille ſcripſit ad Balbum, faſciculum illum epiſtolarum, in quo fuerat & mea, & Balbi, totum ſibi aqua madidum redditum eſſe. Idem ad Atticum. ij. At ſcito eum faſciculum, quò illam conieceram, domum eo ipſo die latum eſſe, quo ego dederam, & ad me in Formianum relatum. Idem ad Atticum. v. Accepi faſciculum, in quo erat epiſtola Pyliæ: abſtuli, aperui, legi. Idem ad Atticum. viij. Conieceram in faſciculum unà cum tua uenientem ad illum epiſtolam: hanc ad me referri nolo, nec ullam aliam ob cauſam Pollucem ſeruum à pedibus Romam miſi: eò autem ad te ſcripſi, ut, ſi tibi fortè reddita eſſet, mihi curares referendam, ne in illius manus perueniret. Tu faſciculum, qui eſt M. Decurioni deſcriptus, uelim cures ad eum perferendum.*

Epiſtolam ſcribere.
Epiſtolam inſcribere.
Epiſtolam exarare.
Epiſtolam elucubrare.
Epiſtolam dictare.
Epiſtolam texere.
Epiſtolam efficere.
Epiſtola laceſcere.
Epiſtola obtundere.
Epiſtolam elicere.
Epiſtolam alicui dare.
Epiſtolam committere.
Epiſtolam mittere.
Epiſtolam afferre.
Epiſtolam reddere.
Epiſtolam expectare.
Epiſtolam requirere.
Epiſtolam venire.
Epiſtolam accipere.
Epiſtolam complicare.
Epiſtolam obſignare.
Epiſtolam reſignare.
Epiſtolam ſoluere.
Epiſtolam aperire.
Epiſtolæ reſcribere.
Epiſtolæ reſpondere.
Epiſtolæ perſoluere: *Id eſt, reſpondere.*
Epiſtolam comprimere.
Epiſtolam conſcindere.
Epiſtolam dilacerare.
Epiſtolam emanare.
Epiſtolam exire.

EPVLVM, EPVLAE.

INTER *epulas, epulum, & dapes id ferè differentiæ à Grammaticis conſtituitur, ut epulæ ſint cibi miniſterio hominum, & in noſtrum uſum comparati. Epulum ſolenniores quædam epulæ: & propriè publicum conuiuium in propatulo uniuerſis ciuibus exhibitum, ſiue in dedicationem templi alicuius, ſiue in honorem Deorum, uel in magnificentiæ oſtentationem, ſiue in funere magni alicuius uiri. Cui ſimile eſt, quod hoc tempore fit, cùm publicè paſcimus pauperes, ut in mortibus propinquorum. Dapes uolunt eſſe uel Deorum, uel noſtras in ſacrificijs Deorum. Hæc igitur eſt differentia, quæ inter ea nomina à Grammaticis conſtituitur. Elegantiæ interdum permultum habet, cùm transfertur ad alia, quàm ad cibi uſum.*

Epulum dare.
Epulis conquisitissimis mensas extruere.
Epulis saturare.

EQVITATVS.

EQVITATVS *est Equitum manus, uel actus equitandi, uel ordo equestris.*
Equitatui studere.
Equitatum facere.
Equitatum habere magnum.
Equitatu paratum esse.

EQVVS.

EQVVS *est animal notum.*
Equus nouus.
Equus intractatus.
Equus domitus.
Equus facilis.
Equum inire.
In equum ascendere.
Equum admittere.
In equum tollere.
In equo sedere.
Equo expeditum esse.
In equo vehi.
Equo proficisci.
Equo flumen transmittere.
Equo merere.
Ex equo pugnare.
Ex equo descendere.
Ex equo desilire.
Ex equo cadere.
Equis, velis'que. *Similem conatum significat, uelis, equis'que, quem omnibus neruis. Atque ad fugiendum, aut assequendum magis, quàm ad efficiendum, pertinet.*

ERGASTVLVM.

ERGASTVLVM *propriè locus est, ubi lapides, metalla'ue fodiuntur: sed quoniam ad hæc opera damnati ad ergastula mitti solebant, ut illic metalla eruerent, ergastulum usurparunt Latini pro carcere. Interdum etiam pro ipsis damnatis, seruis'ue fodientibus: quemadmodum seruitia pro seruis dici usitatum est.*
In ergastulo esse apud aliquem.
Ergastula soluere. *Id est, eos, qui in ergastulo sunt, liberare carcere: uel ex ergastulo educere: ut faciunt Reges primo suo in Vrbes ingressu.*

ERRATVM.

ERRATVM *est mendum, uel error.*
Erratum est meum: erratum est tuum: erratum est commune.
Erratum suum agnoscere.
Errato veniam petere.

ERROR.

ERROR *idem est quod erratum, erratio, peccatum, lapsio, prolapsio, fraus, falsa opinio, culpa, flagitium.*
Errorem gignere.
Errorem obijcere.
Errorem creare.
In errorem inducere.
Errorem fugere.
Errore imbui.
Errore duci.
Errore capi.
In errorem rapi.
Errore inflari.
Errore affici.
Erroris compleri.
In errore versari.
Errorem in re aliqua versari.
Errorem coarguere.
Errorem eripere.
Errorem depellere.
Ab errore auertere.
Ab errore deducere.
Errore leuare.
Errorem extorquere.
Errore exoluere.
Errorem tollere.
Errorem deponere.
Errore carere.

ERVMNA.

ERVMNA *est ægritudo laboriosa.*
Erumnam proponere.
Erumnis onerare.
In erumnas incidere.
Erumnis premi.
Erumnas perpeti.
Erumnis exolui.

ERVPTIO.

ERVPTIO *est exitus cum impetu.*
Eruptionem facere.
Eruptionem sustinere.
Eruptionem repellere.

ESCA.

ESCA *pro cibarijs humanis, aliorum'que animalium*

lium ponitur. Escam etiam Antiqui accipiebant pro eo, quod dabatur auibus, piscibus'ue ad decipiendum.
Escam obijcere.
Escam spargere.
Escis frui.
Escis affici: *Id est, oppleri.*
Escis capi. *Cicero de Senect. Plato escam malorum uoluptatem appellat, quòd ea uidelicet homines capiantur, ut hamo pisces.*

EVENTVS.

EVENTVS *generis masculini, & declinationis quartæ est: cuius plurali sæpißime in neutro genere, & declinatione secunda utuntur Latini. Vsitatus tamen etiam est pluralis numerus quartæ declinationis. Et dicitur euentus alicuius negotij exitus.*
Euentum habere. *Euentum habere, idem est, quod exitum habere. Cælius Cic. Famil. viij. Mea Comitia quem euentum sint habitura, nescio.*
Euentu esse bono, vel malo.

EVERSIO.

EVERSIO *est uerbale euertendi.*
Euersionem moliri.
Euersionem inferre.

EXANIMATIO.

EXANIMATIO *est metus subsequens, & quasi comes pauoris.*
In exanimationem incidere.

EXCEPTIO.

EXCEPTIO *est adiunctio.*
Sine exceptione aliquid polliceri.
Sine exceptione laudare.
Sine exceptione legem aliquam tollere.
Cum exceptione aliquid dicere, interdicere cauere, statuere.
Exceptionem dare.
Exceptionem habere.
Exceptione excludi.

EXCVRSIO.

EXCVRSIO *est incursio, uel latrocinium.*
Excursionem facere.
Excursionem reprimere.

EXCVSATIO.

EXCVSATIO *est purgatio, satisfactio, uel causa.*
Excusationem quærere.
Excusationem parare.
Excusationem dare.
Excusationem habere.
Excusationem afferre.
Excusatione vti.
Excusationem accipere. *Excusationem accipere, est id probare, quod in causa esse, uel fuisse aliquis dicat.*
Excusationem admittere.
Excusationem probare.
Excusationem audire.
Excusationem reijcere.
Excusationem refellere.

EXECRATIO.

EXECRATIO *pro imprecatione ponitur: id est, precibus malis.*
Execratione deuincire. *Cicero pro Sest. Hunc Pompeius omni cautione, fœdere, execratione deuinxerat, nihil contra me esse facturum.*

EXEMPLAR.

LAVRENTIVM *Vallam scio multùm discruciatum in tradenda exempli, & exemplaris differentia: quæ certè nulla mihi esse uidetur. Reperi enim & apud Ciceronem, & apud alios antiquos Scriptores eadem significatione utrumque hoc nomen usurpari, neque magis inter se differre, quàm arbor, & arbos: honor, & honos. Est igitur exemplar idem quod exemplum, codex, species, quam artifex imitatur, ad quam efficitur aliquid. Non diffitebor tamen, in quibusdam locis usitatiùs dici exemplum, quàm exemplar.*
Exemplar sibi proponere.
Exemplar intueri.
Exemplar imitari.
Exemplar sequi.
Exemplar exprimere.

EXEMPLVM.

EXEMPLVM *est res, quæ nobis aut uitanda, aut imitanda proponitur. Vel est exemplum ipsa res, quam imitamur: aut (si ita fors tulerit) deuitamus in aliquo. Ille autem, in quo sunt uirtutes, uel uitia, etiam exemplar dicitur. Vel est exemplum idem, quod imago, fictum, autoritas, documentum, specimen, clarißimis monimentis testata, consignata'que Antiquitas. Ponitur uerò aliquando pro eo, quod uulgus dicit copiam, uel formam: ut cùm dicimus literarum exemplum: uel binas literas eodem exemplo acceptas. Dicuntur prætereà exempla graues pœnæ, quæ poßint alijs esse exemplo. Dicitur etiam exemplum, quod adhibetur rei aut probandæ, aut ornandæ causa. Ponitur item pro eo, quod uulgus monstrum uocat.*

PRO SVPPLICIO, VEL *animaduersione.*

Exemplum edere.
Exemplum prodere.
Exemplum ſtatuere.

EXTRA EAM SIGNI- *ficationem.*

Exempli cauſa. *Hoc loquendi genere ſolent uti Latini, cùm rem uelut pinguiori Minerua, & familliarius tractare uolunt: uel cùm aliquid exemplo fulciunt, & confirmant.*

Fxemplo. *Reſolui poteſt hic ablatiuus in hunc modum, ut dicatur aliquis aliquid exemplo facere, tanquam exemplo utens, uel exemplum ſequens. Cic. in Famil. Quod exemplo fit, iure fit. Idem pro Sylla: Id ueteri exemplo, atq; instituto optimi cuiuſq; faciebant.*

Ad exemplum. *Ad exemplum idem eſt, quod exemplo: maximè cùm ad imitationem refertur. Cice. Offi. 2. Ad exemplum amiſsi Imperij portari in triumpho Maßiliam uidimus.*

Fxemplum petere.
Exemplum expetere.
Exemplum capere.
Exemplum ſumere.
Exemplum habere.
Exemplum ſequi.
Exemplum ponere.
Exemplum apponere.
Exemplum ſupponere.
Exemplum proponere.
Exemplum edere.
Exemplum eſſe.
Exemplum relinquere.
Exemplum præbere.
Exemplum tollere.
Exemplum renouare.

CV̀M AD LITERAS *refertur.*

Ex hac exempli ſignificatione, ea quidem elegantißima, & uſitatißima dicimus epiſtolas, uel literas eodem exemplo reddi, aut conſcribi: id eſt, eadem ratione, eadem materia, eadem ſententia: uel in eandem rem, in eandem ſententiam, in eandem materiam. Eſt id etiam (ut te principiò monuimus) quod Barbarè dicitur copia, uel forma.

Exemplum exarare.
Exemplum deſcribere, vel exſcribere.
Exemplum transferre.
Exemplum mittere.
Exemplo eodem literas, vel epiſtolas ſcribere, reddere, accipere.

EXEQVIAE.

EXEQVIAS *uocant Latini funebrem pompam, uel funebre officium: quod ſcilicet in funere alicuius exequimur.*

Exequias ducere.
Exequias celebrare.
Exequias cohoneſtare.
Exequijs ſpoliare.
Exequiarum honore priuare.
Exequiarum pompa orbare.
Exequijs carere.

EXERCITATIO.

EXERCITATIO *eſt aßiduus uſus: uel uſu, & ſtudio, commentationeq; diuturna comparata conſuetudo.*

Exercitatione delectari.
Exercitatione vti.
Exercitatione rei alicuius aſſuefieri.
Exercitatione aliquid conſequi.
Exercitationem augere.
Exercitationem rei alicuius perdere.

EXERCITVS, us, ui.

EXERCITVS *militum copiam ſignificat ab exercendo: quia (ut inquit Varro) exercendo fit melior. De quo nomine ita ſcribit Vegetius de re militari Libro ſecundo. Numerus militum exercitatur: unde & re ipſa, atque opere exercitus nomen accepit, ut ei nunquam liceret obliuiſci, quod uocabatur.*

Exercitum ſcribere.
Exercitum conſcribere.
Exercitum cogere.
Exercitum colligere.
Exercitum parare.
Exercitum comparare.
Exercitum conflare.
Exercitum facere.
Exercitum conficere.
Exercitum habere.
Exercitum luſtrare.
Exercitum recenſere.
Exercitum ducere.
Exercitum ductare.
Exercitum adducere.
Exercitum conducere.
Exercitum inducere.
Exercitum deducere.
Exercitum abducere.
Exercitum collocare.
Exercitum caſtris continere.
Exercitum diſtribuere.
Exercitum exponere.

Exercitum instruere.
Exercitum permutare.
Exercitum dimittere.
Exercitum deponere.
Exercitum dissipari.
Exercitum dilabi.
Exercitum reficere: *Id est, iterum conficere, recreare.*
Exercitum supplere.
Exercitui supplementum scribere.
Exercitum augere.
Exercitum multiplicare.
Exercitum confirmare.

EXILIVM.

EXILIVM *est proscriptio, uel exterminatio.*
Exilio mulctare.
Exilio afficere.
In exilium pellere.
In exilium eijcere.
In exilium proijcere.
In exilium proficisci.
In exilium ire.
In exilio esse.
De exilio reducere.

EXISTIMATIO.

EXISTIMATIO *est autoritas, honestas, fama, opinio, commendatio. Et tam actiuæ, quàm passiuæ, significationis est: poniturque tam in malam, quàm in bonam partem.*
Elegans ad hominum existimationem.
Existimationem colligere.
Ad existimationem dimanare.
In existimationem venire.
Existimationem accipere; *Id est, in existimationem uenire.*
Existimatione esse.
Existimationi consulere.
Existimationi seruire.
Existimationem agi.
In discrimen existimationis venire.
Existimationem oppugnare.
Contra existimationem venire.
Contra existimationem esse.
Existimationem violare.
Existimationem imminuere.
Existimationem amittere.
De existimatione deperdere.
Existimationem reconciliare.
Existimationem conseruare.
Existimationi hominum se venditare.
Existimationem suam alicui committere.

EXITIVM.

EXITIVM *est pernicies.*
Exitium dare.
Exitio esse.

EXITVS.

EXITVS *est euentus, uel casus.*
Exitum dare.
Exitum afferre.
Exitum reperire.
Exitum habere.
In exitu esse.
Exitu rem aliquam esse bono, vel malo.

EXORDIVM.

EXORDIVM *est principium, uel procemium.*
Exordium ex re aliqua ducere.
Exordium ex re aliqua capere.
Exordium a re aliqua nasci.

EXPECTATIO.

TAM *trita est huius nominis significatio, quàm uerbi, à quo ducitur. Quare nihil habet, quod diligentiùs explicandum sit. Obseruabis tantùm, actiuè, uel passiuè poni in quibusdam loquendi modis.*
Expectationem mouere.
Expectationem commouere.
Expectationem concitare.
Expectationem facere.
Expectationem dare.
Expectationem afferre.
In expectationem adducere.
Expectationem esse.
Expectationem esse in.
In expectatione esse: *Actiuè, & passiuè ponitur hæc locutio.*
Expectationem habere. *Actiuè quoq;, & passiuè hæc locutio usurpatur.*
Expectatione plenus. *Actiuæ significationis est hæc locutio.*
Expectatione teneri.
Expectatione pendêre.
Expectatione suspensam tenere.
Expectatione torqueri.
Expectatione angi.
Expectatione cruciari.
Expectationem sustinere. *Sensu duplici expectationem sustinere à Cicerone dicitur. Vno sic Officiorum tertio. Sustines, inquit, non paruam expecta-*

tionem imitandæ industriæ nostræ: magnam bonorum: nonnullam fortasse nominis: id est, magna est expectatio in te industriæ meæ referendæ, & præstandi nominis. Altero sic Fami. ij. Tanta est expectatio, inquit, uel animi, uel ingenij tui, ut ego te obsecrare, obtestari que non dubitem, sic ad nos confirmatus reuertere, ut, quam expectationem tui concitasti, hanc sustinere, ac tueri possis: id est, facta omnibus, & concitatæ de te expectationi diligenter respondeas, atq; satisfacias.

Expectationi occurrere.
Expectationem explere.
Expectationem uincere.
Expectationem superare.
Expectationem fallere.
Expectationem decipere.
Expectationem deriuare.

EXPENSVM.

EXPENSVM *contrarium est accepto. De elegantia autem, et proprietate huiusmodi locutionum, scilicet acceptum referre, & expensum ferre, uide bene multa supra in dictione, acceptus: ubi nihil omisimus, quod ad interpretationem, & usum loquendi pertineret. Itaq; superuacanea repetitione te non obtundemus. Sed quæ hic desunt, suo loco perquirito.*

Expensum ferre.

EXPLANATIO.

EXPLANATIO *est, quæ reddit rem apertam, & dilucidam.*

Explanationem adhibere.
Explanationem rei alicuius facere.
Explanationem habere.

EXVL.

EXVL *est eiectus, extorris, exilio mulctatus.*

Exulem reducere.
Exulem reuocare.
Exulem restituere.

F

FABVLA.

FABVLA *est res commentitia, scena, comœdia, tragœdia, apologus, argumentum.*

Fabulam dare, vel edere.
Fabulam agere.
Fabulam recitare.
Fabulam peragere.
Fabulam exigere.
Fabulam conficere.
Fabulam stare. *Id est, gratam esse populo: probari, non explodi, aut exsibilari.*

FACETIAE.

FACETIAS *appellant Latini iocum, salem, leporem, cauillationem, dicacitatem, urbanitatem, festiuitatem, argutiam.*

Facetijs conditum esse.
Facetijs capi: *id est, oblectari.*

FACIES.

FACIES *incipit sub fronte, & auribus: definit ad mentum. Non solùm uerò in hominum corporibus, sed etiam in rebus alijs dicitur. Nam Montis, & Cœli, & Maris facies, si tempestiuè dicatur, probè dicitur.*

Faciem habere.
In faciem rei alicuius se conuertere.
Ne de facie quidem nosse.

FACILIS.

FACILIS *modò ad personam pertinet, Modò extra personam est. Cùm ad personam pertinet, significat lenem, humanum, exorabilem, uel indulgentem. Aliquando etiam expeditum, uel explicatum: ut, Orator facilis ad dicendum: uel, facilis Poëta in uersu scribendo: id est, dilucidus, & stylo non implicato, uel perplexo. Extra personam significat minus operis, uel nihil negotij habens: uel dicitur facile, quod in nullo labore positum est.*

Facilem se præbere.
Facilem aliquem habere. *Duæ hæ locutiones ex facilis significatione sunt, quæ ad personam pertinet. Dicitur autem facilem se præbere, qui in audiendo, uel negotio suscipiendo non superbus, uel importunus est, aut morosus. Facilem autem eum habemus, qui se nobis facilem præbet.*

Facili aliquo vti: *Id est, facilem aliquem habere.*

FACILITAS.

FACILITAS *idem est, quod lenitas, uel humanitas. Extra personam etiam esse potest: ut facilitas orationis, facilitas styli.*

Facilitatem exercere. Cice. Offic. I. *Exercenda est etiam facilitas, & altitudo animi.*

FACINVS.

MVLTAE *sunt apud Latinos uoces, quæ & in bonam, & malam partem capiuntur: ut insignis, nobilis. Etenim pro nominibus, quibus iunguntur, significationem nanciscuntur. Aliæ etiam sunt uoces, quæ & obscœnè, & honestè sonant: de quibus eleganter disputat Cicer. in. ix. Episto. Fami. cùm ad Papyrium Pætum de uerecundia, & libertate loquendi scribit. Incipit autem epistola: Amo uerecundiam. Sed*

de hoc nimia. Substantiua etiam sunt, quorum duplex est usus: ut facinus: nimirum aliquando in bonam, aliquando in malam rem usurpatur: & tunc est pro scelere, uel flagitio.

Adducere ad facinus.
Impellere ad facinus.
Facinus facere.
Facinus conficere.
Facinus committere.
Facinus admittere.
Facinus suscipere.
Facinus obire.

FACTIO.

FACTIO *est facultas, uel actus faciendi.*

Factionem rei alicuius habere: *Id est, facere posse.*

FACTVM.

FACTVM *dicitur, quod fit, res scilicet gesta, uel actio.*

Factum gerere. Cic. pro Dom. *Illud pulcherrimum factum, quod ex autoritate Senatus gessi.*

FACVLTAS.

FACVLTAS *in singulari numero generaliter pro commoditate ponitur. In pluralı uerò pro copijs, uel diuitijs sæpe accipi solet.*

PRO DIVITIIS.

Facultates habere.
Facultates alicui magnas: uel tenueis esse.
Facultates augere.

PRO COMMODITATE.

Facultatem expetere.
Facultatem comparare.
Facultatem offerre.
Facultatem concedere.
Facultatem dare.
Facultatem largiri.
Facultatem suppeditare.
Facultatem adipisci.
Facultatem consequi.
Facultatem assequi.
Facultatem habere.
Facultatis alicuius esse: *Id est, facultatem in aliquo esse.*
Facultatem esse alicui.
Facultatem esse in aliquo.
Facultatem prætermittere.
Facultatem adimere.
Facultatem eripere.
Vt tulit facultas; vel quoad tulit facultas. *Eum sensum habet hæc locutio, quantum potui, uel quoad eius fieri potuit.*

FALLACIA.

FALLACIA *dicitur fraus, dolus, præstigiæ, uel deceptio.*

Fallacijs aliquem totum constare.
Fallacijs aliquem totum consutum esse.
Fallaciam intendere.
Fallacijs aliquem circumuenire.

FAMA.

FAMA *aliquando pro nominis celebritate, & existimatione capitur. Aliquando pro rumore, & disperso, disseminatoq; sermone, ac dicto quodam populari. In utrauis significatione tum in malam, quàm bonam partem, usurpari potest.*

PRO NOMINIS CELEBRITATE.

Famam expetere.
Famam desiderare.
Famam colligere.
Famam conficere: *Id est, parere.*
Famam consequi.
Famam subire.
Famam inurere.
Famæ seruire.
Famæ consulere.
Famæ parcere: *Id est, consulere.*
Famam tueri.
Famam conseruare.
Famam hærere ad metas: *Id est, deprimi.*
Famam lædere.
De fama detrahere.
Fama spoliare.
Famam depeculari.
Famam atterere.
Famam abijcere.

PRO RVMORE, VEL DISSIPATO *sermone.*

Famam dissipare.
Famam nasci.
Famam surgere.
Famam manare, vel emanare.
Famam esse.
Fama esse: *Id est celebrari.*
Fama celebrare.
Famam percrebrescere.

Famam peragrare.
Famam peruadere.
Famam venire, vel peruenire.
Fama accipere aliquid.
Famam reprimere.
Famam mori.

FAMES.

FAMES est edendi cupiditas.
Famem sustentare.
Famem tolerare.
Famem dominari in aliquo: *Id est, regere appetitum, & cogere ad uoluntatem edendi. Cic. pro Clu. Iam hoc ignoratis, Iudices, ut etiam Bestiae, fame dominante, plerunq; ad eum locum, ubi pastae aliquando sint, reuertantur?*
Fame necari.
Fame enecari.
Fame premi, vel confici.
Fame iugulari.
Fame suffocari.
Famem cibo depellere.
Famem explere.
Famem saturare.

FAMILIA.

FAMILIA est *agnatio, cognatio, gentilitas, genus, gens, nomen, stirps, locus, secta.*
Familia illustris, & vetus.
Familia ampla, honesta.
Familia fundatissima.
In familiam se conijcere.
In familiam venire.
In familiam adoptari.
In familiam recipi.
Familia antiquissima nasci.

FAMILIARIS.

FAMILIARIS *dicitur familiaritate coniunctus.*
Familiarem fieri alicuius.
Familiarem esse alicuius.
Ex familiaribus esse alicuius.

FAMILIARITAS.

FAMILIARITAS est *usus, consuetudo, necessitudo, coniunctio.*
Familiaritatem inducere.
Familiaritatem afferre.
Familiaritatem conflare.
Familiaritatem contrahere.
Ad familiaritatem alicuius applicare se.
In familiaritatem alicuius se dare.
In familiaritatem venire.
In familiaritatem intrare.
Familiaritatem consequi.
In familiaritatem recipere.
Familiaritate deuinciri.
Familiaritate implicari.
Familiaritatem habere.
Familiaritatem esse alicui cum aliquo.
In familiaritate uersari.
Familiaritatem augere.
A familiaritate disiungere.

FAMVLATVS.

FAMVLATVS est *seruitus.*
In famulatu esse.

FAS.

FAS *idem est quod ius, uel quod licet. Etenim cum dicimus aliquid fas esse fieri, id iure saluo fieri posse designamus.*
Fas omne delere.

FASTIDIVM.

FASTIDIVM est *contemptus, uel taedium. Ponitur etiam pro superbia, uel arrogantia.*
Fastidio esse.
In fastidio esse. *Passiui sunt sensus hae locutiones.*
Fastidium leuare.
Fastidium purgare.
Fastidium depellere.

FATVM.

FATVM *id appellant Latini, quod Graeci, εἱμαρμένην, id est, ordinem, seriem'que causarum, cum causa causae nexa rem ex se gignat.*
Fatum canere.
Fatum fari.
Fatum impendere.
Fatum manere aliquem.
Fatum aliquem circumstare.
Fatum venire.
Fati esse. *Cice. pro Marcel. Illud fati est: hoc consilij.*
Fatum esse alicuius; uel alicui.
Fato aliquo esse aliquem.
Fatum exequi: *Pro subire.*
Fatum flectere.
Fatum mutari.

FAVONIUS.

FAVONIVS *uentus est sic appellatus.*
Fauonium nasci. *Cic. in Acad. Mare, Fauonio nascente, purpureum uidetur.*

FAX.

FAX *idem est quod tæda.*
Faces comparare: *Id est parare.*
Faces ministrare.
Facem præferre.
Facem iacere.
Faces adhibere. *Cic. de Orat. Neq; paruis in rebus adhibendæ sunt hæ dicendi faces. Id est, ea uehementia.*

FEBRIS, VEL FEBRIcula.

FEBRIS, *uel febricula est morbi genus: dicta, ut uolunt Grammatici, à feritate, uel à feruore. Et appellatur quotidiana, tertiana, uel quartana febris, quæ quotidie, uel in diem quenque tertium, uel quartum reuertitur.*
In febrem incidere.
Febrem habere.
Febri iactari.
Febrem relinquere aliquem.
Febrem decedere, vel discedere ab aliquo.
A febre relinqui.
A febre liberari.
Febri carere.

FELICITAS.

FELICITAS *idem est quod beatitudo, prosperitas, secundæ res.*
Felicitatem dare.
Felicitate vti. *Cice. in Bruto. Perpetua quadam felicitate usus ille excessit è uita.*

FERIAE.

FERIAE *sunt dies festi, uel dies quieti Cœlestium.*
Ferias imperare.
Ferias agere.
Ferias celebrare.

FEROCIA: FEROCITAS.

FEROCIA, *Et ferocitas idem sunt: significat' que utrumq; nomen idem quod insolentia, immanitas, crudelitas.*
Ferociam reprimere.
Ferociam comprimere.

FERRVM.

FERRVM *notum est genus metalli. Ponitur etiam pro gladio.*
Ferrum è cauernis Terræ elicere.
Ferrum acuere.
Ferro, igniq; minitari alicui.
Cum ferro aliquos certis locis collocare.
Cum ferro in aliquem inuadere.

FESTIVITAS.

FESTIVITAS *est lepor, uel iucunditas.*
Festiuitatem habere. *Cice. ad Heren. Narratio debet habere sermonis festiuitatem.*
Festiuitate abuti.

FIDES, ei.

FIDES *uarijs significatis à Latinis usurpatur. Aliquando enim uelut quoddam officium denotat, quod amico maximè, aut alij cuiuis præstitum, probitatis: negatum contrà, perfidiæ, maleuoliq; animi documentum præbet. Aliquando pro constantia promissorum, uel autoritate accipitur: sicq; idem est quod iustitia in rebus creditis. Barbari etiam fidem bonum creditum appellant: quam Latini dicunt fidelitatis, equitatis, constantiæ que in re contracta seruandæ opinionem, atq; existimationem. Sed tu diligenter obseruato, tum passiuè, quàm actiuè, poni.*
Fidem facere rei alicuius.
Fidem habere alicui.
In fidem alicuius se conferre.
Fidei se committere, vel mandare.
In fidem alicuius se tradere.
In fidem accipere.
In fidem recipere.
In fide alicuius esse.
Fidem dare.
Fidem interponere.
Fidem obstringere
Fidem obligare.
In fide stare.
Fidem seruare.
Fidem tenere.
Fidem præstare.
Fidem liberare.
Fidem soluere.
Fidem colere.
Fidem uiolare.
Fidem frangere.
Fidem prodere.
Fidem infirmare.
Fidem imminuere.
Fidem derogare.
Fidem abrogare.
Fidem labefactari.
Fidem concidere.

FIDES, is.

FIDES *fidis, idem est quod Lyra.*

Fidibus discere.
Fidibus scire.
Fidibus canere.
Fides pulsare.

FIDVCIA.

FIDVCIA *est aliquando audacia: aliquando est existimatio, quam de fide, & uirtute alterius habemus. Et sæpius in bonum, quàm in malum, capitur.*

Fiduciam committere.
Fiduciam tribuere.
Fiduciam accipere. *Ne quid suspensum habeas, hic annotabis, quid sit, fiduciam accipere, id'que ex Boëtio in quarto Commentario Topicorum: Fiduciam, inquit, accepisse dicitur, cuicunq; res aliqua ea lege mancipatur, ut mancipanti aliquando remancipet: ueluti si quis tempus dubium timens, Amico potentiori fundum mancipet redditurо, cùm tempus illud dubium præterierit, hæc mancipatio fiduciaria nominatur, idcirco quòd restituendi fides interponitur. Cice. in Topicis: Si tutor fidem præstare debet: si socius: si, cui mandaris: si, qui fiduciam acceperit: debet etiam Procurator. Aliud est Cice. exemplum in Libro. 7. Famil. ad Trebatium Iurisconsultum: Sed quo'nam, inquit, modo ius ciuile defendes, cùm omnia causa tua facias, non ciuium? ubi porrò erit illa formula fiduciæ: inter bonos bene agier oportet? quis est enim, qui facit nihil, nisi sua causa? Verba sunt Cice. cum Trebatio iocantis. Itaq; si duo hæc Ciceronis exempla cum Boëtij expositione coniungamus, facilè intelligetur, fiduciam bonæ fidei contractum fuisse. Sic est intelligendus Cice. locus pro Flacco: Pecuniam Adulescentulo grandi fœnore, fiducia tamen accepta occupasti. Hanc fiduciam commissam tibi tenes hodie, & possides: cum tu testem spe recuperãdi fundi paterni uenire ad testimonium dicendum coëgisti: Id est, pecuniam fœneraticiam à te sumpsit Adolescens, ob eamq; fundum tibi fiduciarium dedit. Omnino fiduciariam mancipationem, uel uenditionem hodie uocamus uenditionem sub redimendi, redhibendi'que lege factam. Ex quo contractu nascebatur actio fiduciæ.*

FILIA.

NOTAE *est significationis nomen.*

Filiam suscipere.
Filiam habere.
Filiam spondere.
Filiam pacisci alicui.
Filiam collocare.
Filiam uiro dare, mandare, committere.

FILIVS.

NOTAE *item est significationis hæc dictio.*

Filium procreare.
Filium gignere.
Filium producere.
Filium suscipere.
Filium adoptare.
Filium supponere.
Filium exponere.
Filium efferre. *De funere intelligitur.*

FINIS.

FINIS *idem est quod exitus, modus, terminus.*

Finem afferre.
Finem statuere.
Finem præscribere.
Finem reperire.
Finem facere.
Finem habere.
Finem prorogare.
Finem dilatare.
Finem transire.
Finem prætergredi.

FIRMAMENTVM.

FIRMAMENTVM *est stabilimen, robur, uel uires.*

Firmamentum in re aliqua ponere.
Firmamentum constituere.
Firmamentum habere.

FIRMITAS.

FIRMITAS *est quasi soliditas.*

Firmitatem nancisci.
Firmitatem habere.

FIRMITVDO.

FIRMITVDO *idem est, quod firmitas.*

Firmitudinem habere.

FLAGITIVM.

FLAGITIVM *est crimen cum dedecore coniunctum.*

Flagitium esse: *Pro turpe esse.*
Flagitium facere.
Flagitium admittere.
Flagitium committere.
Flagitium suscipere.
In flagitijs versari.
Flagitijs inquinari.
In flagitijs volutari.
In flagitia se ingurgitare.
Flagitijs nobilitari.

FLAMEN.

FLAMEN *aliquando generis est neutri, & pro spi-*

ritu, uel flatu ponitur. Aliquando uerò masculini generis est, & tunc significat Sacerdotem unius alicuius Dei antistitem.

Flaminem prodere: *Id est, creare.*

FLETVS.

FLETVS *pro planctu, uel lachrimis poni solet.*

Fletum mouere.
Fletum fieri.
Præ fletu non posse loqui, aut scribere.

FLOS, VEL Flosculus.

FLOS *est ipsarum Arborum, & Plantarum gaudium, unde postea fructus oritur: est'que id, inquit Theophrastus, quod ipsis Plantis, & Arboribus à Natura accommodatur ad fructum. Per translationem à Latinis eleganter ponitur pro re maximè præstanti.*

Flosculos carpere.
Flores delibare.
Flores decidere.
Flos Italiæ.
Flos populi.
Flos Legatorum.
Flos Equitum.
Flos Iuuentutis.

FLVCTVS.

VVLGARIS *est significationis hoc nomen. Translatè positum pro perturbatione usurpatur.*

Fluctibus allui.
Fluctibus iactari.

FLVMEN: FLVVIVS.

EIVSDEM *sunt significationis hæc duo nomina: & idem significant, quod amnis, uel profluens. Per translationem uenustè utrumq; sumitur pro ubertate, magnitudine, amplitudine, diuite copia, uel exuberantia: ut, flumen ingenij, flumen orationis, flumen grauissimorum, optimorumq; uerborum.*

Fluminis natura.
Flumen secundum.
Flumen aduersum.

Fluminis natura, quid sit: quid item secundum flumen, quid quoq; flumen aduersum, primo Tomo nostrorum Commentariorum satis multis uerbis ostendimus.

Fluuium fluere.
Fluuium influere.
Fluuium pedibus transire.
Fluuium vado transmittere.
Fluuium traijcere.

FOECVNDITAS.

FOECVNDITAS *est ubertas, uel fertilitas.*

Fœcunditatem dare. *Cic. de Nat. Deo. Nos aquarum inductionibus terris fœcunditatem damus.*

FOEDITAS.

FOEDITAS *est turpitudo.*

In fœditate esse. *Cic. in Philip. Cuius scelere in hac uestitus fœditate sumus.*

FOEDVS, eris.

FOEDVS *est pactio, uel fides, aut lex: dictum à ferio, ut quibusdam placet. Quidam hoc nomen à Fecialibus: id est, Sacerdotibus deriuant, per quos fiunt fœdera. Alij à fide, quia in fœdere interponebatur fides. Alij à fœdè cadendo. Nam in utriusq; partis fœdera componentes Feciales adducebantur: & ibi firmato fœdere Porcam cædebant silice, unus dicens: Sic, ut Porca, fœdè cadat, qui fœdera ruperit. Plura de fœderis percutiendi ceremonijs uide in Secundo Tomo nostrorum Commentariorum.*

Fœdus dare.
Fœdus pacisci.
In fœdus transire.
Fœdus iungere cum aliquo.
Fœdus facere.
Fœdus agere.
Fœdus icere.
Fœdus ferire.
Fœdus sancire.
Fœdere stare.
Stare aduersus fœdus.
Fœdus violare.
Fœdus frangere.
Fœdus rumpere.
Fœdus renouare.
Fœdus confirmare.
Fœdus sacris incendijs celebrare.

FOEMINA.

FOEMINA *est mulier: & opponuntur inter se fœmina, & mas, distinguunturq; membro peculiari. Mas priapo: fœmina quidem uulua. Atq; utrumque tam de brutis dicitur, quàm de rationis participibus.*

Fœmina pulchritudine eximia.
Fœmina bona.
Fœmina præstantissima.
Fœmina primaria.
Fœmina prudentissima, & diligentissima.
Fœmina sanctissima, atq; optima.

Fœmina probatissima.

FOENVM.

FOENVM est herba arida, quæ ex Prato percipitur: dictum (ut tradunt nonnulli) quòd sine cura fœnus præbeat: uel quòd herbæ eadem manentes, quotannis nouas pariant.

Fœnum cordum: Id est, quod Autumno secatur.

Fœnum secare.

Fœnum demetere.

Fœnum furcillis uersare.

Fœnum colligere.

Fœnum construere.

Fœnum in striam coarctare.

Fœnum in manipulos colligere.

Fœni metas facere.

Fœnum in metas extruere.

Fœnum sub tectum congerere.

Fœnum in tabulata componere.

FOENVS.

FOENVS idem est quod usura. Festus uult esse propriè naturalem Terræ fœtum: ob quam causam & nummorum fœtus, fœnus est uocatum. Gellius Libro. xvj. Cap. xij. à fœtu dici tradit, & quasi à fœtura quadam pecuniæ parientis, atq; increscentis. Quidam à fundo dictum putant: quia cum o, non u, apud Antiquos scribebatur, quòd (ut ait Valla Libro. iiij.) sit naturalis Terræ fructus: posteà uerò ad usuram translatum, quasi pecunia fructum per se producat, uelut Terra.

Fœnori dare.

Fœnori sumere.

Fœnore accipere.

Fœnore trucidari.

Fœnus renouare.

Fœnus fieri. Cic. ad Atti. Fœnus ex triente Id. Quintil. factum erat bessibus.

FOETVS, us, uí.

FOETVS est partus, uel fructus.

Fœtum procreare.

Fœtum fundere.

Fœtum edere.

Fœtum reprimere.

FONS.

FONS est aqua de Terra ebulliens, & manans. Per translationem pro causa sæpe eleganter ponitur.

Fontis venas intercidere.

Fontis venas auertere.

Fontem exhaurire.

Fonteis consilij alicuius aperire.

Fonteis Philosophiæ aperire.

A fonte haurire, non riuulos consectari.

Fonteis sitire. A fonte ducitur prouerbialis ironia: scilicet fontes sitiunt: in eos uersa, qui petunt ab alijs, quod ipsis affatim suppetat domi. Cice. ad Quint. Fratrem. Tibi, quod rogas (quoniam ipsi fontes iam sitiunt) si quid habeo spatij, scribam. Significat Fratrem magis abundare uersibus, quos tamen à se petat, perinde quasi carminum indigens.

FORES.

FORES in liminibus profanarum ædium ianuæ uocantur.

Fores pulsare.

Fores aperire. Dicitur prouerbio fores aperire, qui rei cuiuspiam ingressum, initium'que patefacit: unde fores amicitiæ aperire.

Fores crepare.

Fores claudere.

Fores effringere.

Fores restituere.

FORMA.

FORMA generaliter est species, figura, notio, character. Itaq; aliquando ad corpus pertinet. Aliquando uerò à corpore abhorret. Locutiones igitur distinguemus.

AD CORPVS PERTINENS.

Forma stata. De forma, quæ ad corpus humanum pertinet, ita scribit Gellius Libro. v. Ca xj. Inter pulcherrimam fœminam, inquit, & deformissimam media quædam forma est, quæ à nimiæ pulchritudinis periculo, & à summo deformitatis odio uacat: qualis à Q. Ennio in Menalippa perquàm eleganti uocabulo stata dicitur, quæ neq; communis, neq; pœna futura sit. Quam formam modicam, & modestam Phauorinus non mehercule inscitè appellat uxoriam. Ennius autem in illa, quam dixi, Tragœdia eas ferè ait fœminas incolumi pudicitia esse, quæ stata forent. Hæc Gellius.

Forma liberalis.

Formæ dignitas.

Forma egregia.

Forma honesta.

Forma quotidiana. Id est, uilis, & spreta.

EXTRA CORPVS.

Formam Reipublicæ alicui mittere.

Formam Reipublicæ exprimere.

Formam extinguere.

Forma honestatis.

Forma dicendi.

Forma ingenij.

FORMIDO.

FORMIDO est metus permanens.

Formidinem inijcere.
Formidinem ponere.
Formidinem opponere.

FORMVLA.

FORMVLA à forma diminutiuum est: prorsus tamen à corpore abhorret, & accipitur pro præscripto, norma, uel nota.
Formulas constituere.
Formulas proferre.
Formulas exprimere.

FORS.

FORS idem est, quod fortuna.
Fors hæc viderit.
Vt fors tulerit.

FORTVNA.

FORTVNA est accidentium rerum subitus, ac inopinatus euentus, casus, temeritas. Ponitur etiam pro conditione, uel statu. Pro fortunis fortunam item poni aliquando uideas.

CVM ADIECTIVIS:
idq; in bonam partem.

Fortuna secunda.
Fortuna integra.
Fortuna prospera.
Fortuna florentissima.
Fortuna excitata.

CVM ADIECTIVIS:
idq; in malam partem.

Fortuna fluxa.
Fortuna mala.
Fortuna aduersa.
Fortuna spoliata.
Fortuna inclinata.
Fortuna propè iacens.
Fortuna infima.
Fortuna iactata.
Fortuna luctuosa.
Fortuna misera.
Fortuna perdita.
Fortuna afflicta.
Fortuna funditus euersa.

CVM SVBSTANTIVO.

Fortunæ abundantia. Cic. de Orat. In quibus summa laus est, non se prætulisse alijs propter abundantiam fortunæ.

CVM VERBIS.

Fortunam dare. Quint. Cic. de Pet. Consul. Quantò melior tibi fortuna petitionis data est, quàm C. Cælio?
Fortunæ se committere.
Fortunam tentare.
Fortunæ periculum facere.
In fortunam deuenire.
Fortunam excipere.
Fortunam subire.
Fortunæ obsequi.
Fortuna esse: Id est, fortunam subire. Cice. Fortuna optima illi esse debent.
In fortuna esse. Duplicem sensum habet hæc locutio. Dicitur enim aliquid esse in fortuna, quod positum est, & consistit in fortunæ potestate. Dicitur præterea aliquis esse in fortuna, quam subit.
In fortuna versari.
Fortunam trahere, Pro in fortuna esse.
Fortunam insectari.
Fortuna extrema stare.
Fortunam leuare.
Fortunam amplificare.
Fortunæ accessionem fieri.
Fortunam alicui suffragari.
Fortunam dilabi.
De fortuna detrahere.
De fortuna adimere.

FORTVNAE.

FORTVNAE dicuntur bona, uel diuitiæ, uel rerum status.
Per fortunas. Locutio est opem alicuius omni prece obtestantis. Cice. ad Atti. iij. Ad quæ recuperanda per fortunas incumbe.
Fortunis augere.
Fortunis cumulare.
Fortunas suas obtinere.
Fortunis frui.
Fortunas prodere.
In fortunas inuadere.
Fortunis euertere.
De fortunis deturbare.
Fortunis spoliare.
Fortunis orbare.
Fortunas amittere.
Fortunas morte dimittere.

FORVM.

FORVM pro macello aliquando ponitur. Interdum est, in quo iudicia publica exercentur. Et apud Antiquos, qui peculiari nomine Iudices uocabantur, in Curias distributi, eorum iudicum fori appellatione intelligebatur. Aliquando

quando pro ipsa iurisdictione ponitur.

Forum attingere. *Cice. Famil. xv. Postrà quàm forum attigisti, nihil fecisti, nisi plenißimum amplißimæ dignitatis.*

Forum agere: *Id est, iudicia exercere, uel ius dicere.*

Forum callere.

Forum refrigere.

FOSSA.

NOTVM *est hoc nomen.*

Fossam circundare.

Fossa circundare.

Fossa sepire.

Fossa, & uallo munire.

FOVEA.

FOVEA *idem est quod scrobs.*

In foueam delabi.

In foueam incidere.

FRAVS.

FRAVS *est deceptio, qua aliquem circunuenimus: dolus, malitia, fallacia, machina, insidiæ, error, præstigiæ, calumnia, circunscriptio, damnum, scelus, crimen.*

Fraudem creare.

Fraudi esse. *Fraudi esse apud Antiquos id significabat, quod uitio dari, unde aliqua pœna proueniret: Antiqui enim fraudem pœnam uocabant.*

Fraudem ferre. *Fraudem ferre res nobis dicitur, quæ fraudi est.*

In fraudem illicere.

In fraudem deducere.

In fraudem agere. *In fraudem agere idem est, quod conijcere in periculum.*

In fraudem impellere.

In fraudem conijcere.

In fraudem deferri.

In fraudem incidere.

Fraudem suscipere.

Fraudem concipere.

Fraudem admittere.

Fraudem facere.

FRENVM.

FRENVM *est instrumentum, quo Equus domatur, & retinetur. Nonnulli per æ scribunt. In plurali dicimus frena, & frenos.*

Frenum adhibere.

Frenum inijcere.

Frena recipere.

Frenum mordere. *Frenum mordere est repugnare: uel frenum recipere. Et rectè in utroque significato dici potest.*

FREQVENS.

FREQVENS *ponitur pro crebro, multo, pleno, celebri.*

Frequentes conuenire in aliquem locum.

Frequentem esse in aliquo loco, vel apud aliquem.

Frequentem esse auditorem alicuius.

Frequentem esse in re aliqua.

FREQVENTIA.

FREQVENTIA *dicitur crebritas, uel multitudo, qualiscunque sit, siue hominum, siue rerum.*

Frequentia epistolarum.

Frequentiam magnam rei alicuius esse in aliquo loco.

Frequentiam præbere.

Frequentia sua celebrare.

Frequentia stipari.

FRIGVS.

PER *se satis patet hoc nomen.*

Frigus impendêre.

Frigus appellere.

Frigus magnum esse.

Frigore obrigere.

Frigoris vim pellere.

Frigoris vim depellere.

Frigus vitare.

Frigus se remittere.

FRONS.

FRONS *est pars capitis anterior supercilia excedens, pilis uacua, inter utranq; aurem sita. Tu præter hæc annotato, frontem animi motibus persæpe inseruire, uel ipsorum animi motuum tabulam uelut quandam esse: in qua uel tristitiæ, uel hilaritatis, uel grauitatis, uel leuitatis signa notamus, atq; obseruemus. Vnde sunt sequentes locutiones.*

Frontem obducere.

Frontem corrugare.

Frontem contrahere.

Frontem caperare.

Frontem ferire. *Quod est irascentis.*

Frontem explicare.

Frontem porrigere.

Frontem exporrigere.

FRVCTVS.

FRVCTVS *[illegible]quam sine utilitatis, aut emolumenti specie*

ti specie est, siue in fruge, fœtu, partu: siue in delectatione, uoluptateq; positus sit.

Fructum ferre. *Fructum ferre interdum est fructum afferre, uel parěre. Interdum uerò fructum capere, aut percipere.*

Fructui esse.

Fructum reddere.

Fructum gignere.

Fructum capere.

Fructum percipere.

Fructum habere.

FRVGES.

FRVGES, *frugis: uel frux, frugis generale nomen est: & non modò frumenta, legum maq; complectitur, sed quicquid ex fructu Terræ in alimoniam uertimus.*

Fruges serere.

Fruges ad spicam peruenire.

Fruges fundere.

Fruges percipere.

Frugum copia.

Frugum vbertas.

Ad frugem bonam se recipere, vel redire. *Recipere se ad frugem bonam dicuntur, qui in uiam redeunt: Id est, qui reiectis uitijs, uirtuti se dedunt, & uitam honestam sequuntur.*

Ad frugem bonam euadere.

FRVMENTVM.

FRVMENTI *significatio per se tota patet.*

Frumentum serere.

Frumentum prouenire.

Frumentum maturare.

Frumentum metere.

Frumentum prouidere.

Frumentum imperare.

Frumentum importare. *Pro commeatu ex frumen-*

Frumentum supportare. *to in his locutionibus est.*

Frumentum conuehere.

Frumentum suppetere.

Frumentum intercludere.

Frumentum comprimere.

Frumentum corrumpere.

FVCVS.

FVCI *uariæ sunt significationes. Interdum est enim genus Apis sine aculeo: sed maior est Ape mella conficiente. Prætereà dicitur fucus marinus, herba: quæ & alga marina appellatur. Adhæc fucus unguentum dicitur, siue ornamentum, quo mulieres tinguntur, & colorantur, ut uitia corporis emendent. Per translationem ponitur pro fraude, uel deceptione.*

Fuco illinere.

Fucum facere: *Id est, fraudem comparare. Ter. in Eunuch. Deum sese in hominem conuertisse, atq; per alienas tegulas uenisse clanculum, per impluuium fucum factum mulieri.*

Sine fuco: *Id est, simpliciter, & apertè.*

FVGA.

FVGA *interdum est ipse fugiendi actus: & in ea significatione sæpius ponitur. Interdum est cursus, uel impetus: ut apud Verg. Vel qualis Equos Threïssa fatigat Harpalice, uolucremq; fuga præuertitur Hebrum. Idem: Ille uolat, simul arua fuga, simul æquora uerrit. Ita de hoc nomine Grammatici balbutiunt: sed quare istum fugiendi actum quasi ab alia significatione distinguant, non uideo, cùm perpetuò fuga sit fugiendi actus. Itaq; quando maneis istas, & ridiculas Grammatici uulgi interpretationes, aut, si ita uis, inscitiam meo more rideo potiùs, quàm attendo, & te mecum ridere uolo, in his ineptijs diutius non morabor: at alacriter Ciceronis locutiones proferam: in quibus huius uocis significationem, & usum uarium nullo negotio possis cognoscere. Antequam tamen id præstem, hoc te scire uelim, fugam cum genitiuo nonnunquam iungi: & tunc pro uitatione, uel declinatione poni, ut apud Ciceronem de Finib. 1. At uerò eos & accusamus, & iusto odio dignissimos ducimus, qui blanditijs præsentium uoluptatum deliniti, atq; corrupti, quos dolores, quas molestias excepturi sint, occæcati cupiditate non prouident: similiq; sunt in culpa, qui officia deserunt mollitia animi: id est, laborum, & dolorum fuga. Sic hac uoce uti poteris.*

Fugæ consulere.

Fugam parare.

Fugam ornare, vel adornare.

Fugam quærere.

Fugam petere.

In fugam se conferre.

In fugam conijcere. *Conijcimus nos in fugam: uel alios, cùm illos fugamus.*

Fugam facere. *Fugam facimus, cùm alios fugamus. Facimus etiam fugam, cùm fugimus.*

In fugam vertere.

In fugam dare. *Damus alios in fugam: uel nos ipsos.* NOS. *Cic. in Verr. Dant sese in fugam.* ALIOS. *Cæsar de bell. Gall. 4. Eos in fugam dederunt.*

Fugæ se dare.

Fugæ se mandare.

In fugam se conferre.

Fugam intercludere.

Fugam reprimere.

A fuga reuocare.

A fuga reducere.

Fugam in impetum conuertere.

Fugam in impressionem mutari.

Ex fuga in conflictum redire.

Ex fuga pugnam redintegrare.

FVLMEN.

FVLMEN *est, cum nubium conflictu ardor expressus se emiserit. Translatè etiam eleganter accipitur: ut cum Cicero uocat Scipiones Romani Imperij fulmina: uel cum fulmina orationis dicit: aut fulmina Fortunæ.*

Fulmen iacere.
Fulmen emittere.
Fulmine icere.
Fulmine percutere.

FVNDAMENTVM.

FVNDAMENTVM *propriè est solum, uel sedes. Per translationem pro gradu, uel aditu ponitur. Et maiorem habet in propria significatione, quàm in translata, elegantiam.*

Fundamentum iacere. *Propriè in ædificijs uel lapide structis, uel materia, fundamenta iaciuntur: super quæ, quod reliquum est operis, extruitur. Quare fundamenta iacere translatè positum, id Latinis est, quod apparatum quendam facere, uel ea parare, uel ea proferre in medium, quibus ad rem peragendam opus sit: aut ea parare, quæ rem effectura uideantur.*
Fundamentum ponere.
Fundamentum agere.
Fundamenta euertere.

FVNDVM.

FVNDVM *dicitur uasis, armarij, & similium.*
Fundum execare.

FVNDVS.

FVNDVS *est ager, prædium, possessio, regnum.*
Fundum habere.
Fundos suos obire.
Fundum populum fieri.

FVNVS.

FVNVS *est supremi diei celebritas, & pompa exequiarum: quod ponunt aliquando Latini pro morte etiam ipsa. Atque non minus translatè, quàm propriè, usurpatur. Translatè uerò usurpatum poni solet pro ruina, uel calamitate.*

Funus curare.
Funere mergi: *Id est, extingui. Quod loquendi genus planè poëticum est, & nusquam Oratoribus usitatum.*
Funus facere. *Funus facere posuerunt aliquando Latini, pro mortem inferre: ut apud Plaut. in Asinar. Acerbum funus filiæ faciet, si te carendum est. Funus uerò facere dixerunt recentiores, pro funus celebrare.*
Funeri operam dare.
Funere efferri.
Funus ducere.
Funus procedere.
Funeris pompam alicui denegare.
Funeris pompa priuare, orbare, uel spoliare.

FVRIA.

FVRIAS *antiqui Poëtæ appellarunt Deas speculatrices, uindicesque facinorum, & scelerum. Vel Deas furoris, ut sunt Megera, Alecto, Tysiphone: alio nomine appellatæ Eumenides. Furias quoque uocant Latini scelestæ mentis tormenta. Et per translationem nonnunquam furia dicitur, aliquis, qui furore percitus, & nefanius omnia perturbat, & miscet, uel furiosè agit.*
Furijs agitari.
Furijs rapi.
Furijs torqueri.
Furijs vexari.
Furijs præcipitem ferri.

FVROR.

FVROR *est impotens animi ardor, impetus, uel insania.*
Furorem facere.
Furorem aliquem inuadere.
Furore occæcari
Furorem comprimere.
Furorem sedare.
Furorem considere. *Furorem considère dicimus, cùm se remittit, & sedatur.*
Ad furorem redire
Furori cedere.

FVRTVM.

FVRTVM *Antiqui dicebant, quicquid clàm factum esset. Verg. Martisque dolos, & dulcia furta. Furtum aliter definit Paulus Iurisconsultus his uerbis: Furtum est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, uel ipsius rei: uel etiam usus eius, possessionisue: quod lege naturali prohibitum est admittere.*
Furtum facere.
Furti alligari.
Furti damnari.

FVSTIS.

FVSTIS *est lignum teres, & acutum: quod & sudes dicitur.*
Fustem alicui impingere.
Fuste aliquid comminuere.

FVTILITAS.

FVTILITAS *est uanitas, uel manitas.*

Futilitatis plenum esse. *Cic. de Nat. Deo. ij. Hæc & dicuntur, & creduntur stultissimè, & plena sunt futilitatis, summæque leuitatis.*

G

GALLINA.



GALLINA *auis est nota.*

Gallinæ oua supponere.

Gallinam oua parere.

GAVDIVM.

CVM *ratione animus mouetur placidè, atque constanter, tum illud gaudium dicitur. Cùm autem & manitèr, & effusè animus exultat, tum illa lætitia gestiens, uel nimia dici potest: quam ita definiunt, sine ratione animi elationem.*

Gaudio afficere.
Gaudio perfundere.
Gaudio complere.
Gaudio efferri.
Gaudio exilire.
Gaudio exultare.
Gaudio triumphare.
Gaudio desipere.
Gaudium cumulare.
Gaudio cumulari.
Gaudium duplicare.
Gaudium erumpere.
Gaudium contaminare.

GEMITVS.

GEMITVS *idem est quod fletus, uel planctus.*

Gemitum fieri.
In gemitu versari.
Gemitum conticescere.

GENIVS.

GENIVS *ab aliquibus dicitur uis, & Naturæ Deus hospitalis, & ipsa uoluptas.*

Genio indulgere: *Id est, animo obsequi.*

Genium defraudare: *Id est, Naturæ negare, quod appetit.*

Cum genijs suis belligerare: *Id est, genium defraudare.*

GENS.

GENS *idem est, quod natio, uel familia, uel populus aliquam regionem incolens.*

Maiorum, vel minorum gentium esse. *Prærogatiuæ, & autoritatis maioris speciem habet prior hic amoena locutio (uidelicet maiorum gentium esse) infra uerò prærogatiuæ, & autoritatis gradum est posterior locutio (scilicet minorum gentium esse) neque ad ætatem utrumq; loquendi genus refertur, sed ad autoritatem, & dignitatem quadam uelut temporis, & ordinis seu uetustate, seu præstantia quæsitam. Maiorum uerò gentium qui sunt, adscriptitijs opponuntur. Minorum autem gentium qui sunt, cum adscriptitijs conueniunt: id est, non tanta dignitate, uel autoritate sunt, quanta sunt, qui maiorum gentium appellantur.*

GENV.

GENVA *sunt femorum, ac crurum commissuræ.*

Genu terram tangere.
Genibus niti.
Genibus alicuius aduolui.
Ad genua alicuius volutari.
Ad genua alicuius iacêre.
A genibus repellere.

GENVS.

GENVS *est natura, ratio, modus, species, familia, stirps, gens: de quo nomine uide plura in Secundo Tomo nostrorum Commentariorum.*

Genus ducere: *id est, stirpem.*
Genus trahere à familia aliqua.
Genus ementiri.
Id genus similia.
Quod genus cætera.

GESTVS, us, ui.

GESTVS *est actio quædam, & quasi pronuntiatio corporis.*

Gestum agere. *Gestum agere dicuntur Histriones, fabularum Actores, uel Oratores in pronuntiando, cùm certis quibusdam corporis motibus uel ad tristitiam, uel ad Lætitiam, uel ad alios quoslibet animi affectus, impetusue designandos utuntur.*

Gestu decenti moueri.
Gestum elegantem habere.
In gestu esse nimium.
Gestu nimio vti.

GLADIVS.

DE GLADIO *ita scribit Varro: Gladius c, in g, commutato, à clade dicitur, quòd fit ad hostium cladem.*

Gladio plumbleo iugulare: *Id est, futili, leuique argumento deuincere quempiam.*

Gladio

Gladio suo iugulari. *De eo dicitur, qui suis ipsius dictis reuincitur, aut qui suopte inuento, dolo'ue capitur: denique in quem quocunque modo seu dictum, seu factum retorquetur, quod ab ipso profectum sit.*
Gladium nudare.
Gladium stringere.
Gladium distringere.
Gladium educere.
In gladium incumbere: *Id est, mortem sibi consciscere, uel inferre, ut ij faciunt, qui se gladio transfodiunt. Cic. de inuent. Ille, cuius merces erant, in gladium incubuit.*
Gladium in uaginam recondere.

GLORIA.

GLORIA *propriè est constans, & confirmata de aliquo opinio, & fama, sed cum laude, & existimatione singulari: quam ita definit Cic. Tusc. iij. Est enim (inquit) gloria solida quædam res, & expressa: non adumbrata ea est, consentiens laus bonorum, incorrupta uox bene iudicantium de excellente uirtute: ea uirtuti resonat tanquam imago gloriæ. Tu uerò, id si ignoras, etiam hoc loco obiter obserua, quod tibi res satis indicat, gloriam passiuè perpetuò apud Latinos poni.*
Gloriæ stimulus.
Gloriæ æstus.
Cursus ad gloriam.
Iter gloriæ.
Gloriæ insignia.
Gloriæ umbra.
Gloriæ seges.
Gloriæ materia. *Cic. pro Milone. Quid enim odisset Clodium Milo segetem, ac materiam gloriæ suæ?*
Gloriam appetere.
Gloriam expetere.
Gloriæ auidus.
Gloria ustus.
Gloriæ expers.
Gloriam quærere.
Gloriam acquirere.
Gloriæ parere.
Gloriam nasci.
Gloriam dare.
Gloriæ esse.
Gloriæ ducere.
In gloria aliquem ponere: *Id est, gloriam dare.*
Gloriam in se transmouere.
Gloriam comparare.
Gloria afficere.
In gloriam uenire.
Gloriam adipisci.
Gloriam consequi.
Gloriam capere.
Gloria circunfluere.
Esse in gloria, *Pro gloria circunfluere.*
Gloria florere.
Gloria præstare.
Gloriam alere.
Gloriam tenere.
Gloriam retinere.
Gloriæ seruire.
Gloriam augere.
Gloriam amplificare.
Gloriam multiplicare.
Gloriam duplicare.
Gloriam minuere.
Gloriam imminuere.
Gloriam infringere.
Gloriam cadere.
A gloria refrenare.
A gloria reuocare.
Gloriam abijcere.

GRADVS.

GRADVS *in propria significatione duo maximè significat. Sunt enim interdum gradus, quibus in aliquem locum ascendimus. Interdum pro pedum gradientium uicissitudine ponuntur. Translatè uerò ad multa conuertitur. Sed translatio huius uocis à loci significatione magis ducitur, quàm ab alia. Gradus enim cùm per translationem ponitur, planè pro existimatione, & honoris loco, uel sede, uel uia est.*
Gradum facere.
Gradum facere.
Gradum ascendere, uel ad gradum.
Gradum assequi.
Ad gradum peruenire.
In gradu locare.
In gradu collocare.
In gradu ponere.
Gradum tenere.
Gradum obtinere.
De gradu deijcere.
De gradu dimouere.

GRATIA.

GRATIA *uariam habet apud Latinos significationem. Aliquando enim concordiam, amicitiam, coniunctionem, consuetudinem'que designare uidetur. Aliquando pro grati animi fideli memoria est. Aliquando autoritatem significat: unde gratiosus, qui multùm potest autoritate. Aliquando pro causa, uel nomine sumitur.*

CVM

CVM AMICITIAE, ET CONiunctionis speciem habet.

Gratiam alicuius sequi.
Gratiam aucupari.
Gratiam conciliare.
Ponere aliquem apud aliquem in gratiam, vel in gratia.
Gratiam assequi.
Gratiam consequi.
Gratiam inire cum aliquo: vel apud aliquem.
In gratiam recipere.
Gratiam esse alicui cum aliquo.
Esse in gratia cum aliquo.
Gratiam tenere alicuius: *id est, esse in gratia.*
Gratiam retinere.
Gratiam exulcerare.
Gratiam componere inter aliquos.
Gratiam reconciliare.
In gratiam reducere.
In gratiam restituere.
In gratiam redire.

PRO GRATI ANIMI *fideli memoria.*

Gratiam debere.
Gratiam commemorare.
Gratiam habere, vel gratias.
Gratiam tribuere.
Gratiæ aliquid alicui apponere
Gratiam reddere.
Gratiam referre, vel gratias.
Gratias agere alicui apud aliquem.
Gratias agere amplissimis uerbis.
Gratias agere singularibus verbis.
Gratiam persoluere.
Gratiam capere, pro assequi. *Cic. Famil. ij. Cùm præsertim considerem, nullam esse gratiam, quam uel non capere animus meus, uel in accipiendo, uel remunerando, cumulandóque illustrare possit.*

PRO AVTORITATE.

EST *hic gratia idem quod autoritatis quidam gradus plausu, uel fauore confectus: semperque passiuè ponitur.*
Gratiæ causa: *id est, ut gratia meatur: uel est officium conferentis.*
Gratia ineptum. *Id est, minus plausibile.*
Gratiam aucupari.
Gratiam quærere.
Gratiam colligere.
Gratiam acquirere.
Gratiam afferre.
Gratiam parere.
Gratiam consequi.
In gratia esse.
Gratia excipere.
Gratiam debilitare.
Gratiam extinguere.
Gratiam effundere.

PRO CAVSA.

Gratia exempli.
Gratia oblectationis.
Gratia prolis.
Gratia quæstus.

GRATVLATIO.

GRATVLATIO *significationes uerbi sui retinet: sed ponitur etiam pro supplicatione.*
Gratulationem alicui donare.
Gratulationem decernere.
Gratulationem significare.
Gratulationem habere: *id est, celebrare.*
Gratulationem facere.
Gratulatione florere.
Gratulationem efferuescere.

GRAVEDO.

GRAVEDO *est morbus, seu humor, qui ex capite distillat, nares claudit, uocem obtundit, tussim siccam mouet.*
Grauedinem facere.
Grauedine tentari.
Grauedine laborare.
Grauedini subuenire.
Grauedinem remouere.

GRAVITAS.

GRAVITAS *est seueritas, uel pondus. Pro seueritate, personis tribui solet. Pro pondere, rebus. Sic uocamus orationis, uel sententiarum grauitatem. Loci etiam, uel Cœli, uel morbi dicitur aliquando grauitas.*
Grauitatem adhibere.
Grauitatem habere.
Grauitatem tenere.
Grauitatem seruare.
Grauitatem tueri.

GREX.

GREX *est minorum animalium congregatio, ut Ouium, Porcorum, Caprarum. Per translationem de hominibus etiam dicitur: ut grex Oratorum, grex Amicorum: idque cum contemptu, & sine contemptu.*
In gregem recipere.

In grege annumerare.
De grege esse.

GVBERNACVLVM.

GVBERNACVLVM *est nauis clauus, quo nauis gubernatur, & dirigitur. Translatè uerò ad alia refertur, ut ad Reipublicæ administrationem.*

Gubernaculum Reip. prendere.
Ad gubernaculum Reip. sedere.
Gubernaculum tractare.
A' gubernaculis repellere.
A' gubernaculis deijcere.
A' gubernaculis recedere.

GVBERNATIO.

GVBERNATIO *est curatio, uel administratio.*

Gubernationi præficere.
Gubernatione distringi.
A' gubernatione auferre.
A' gubernatione remouere.

GVLA.

GVLA *est meatus ille, per quem ingrediuntur cibi, & potus. Ponitur uerò eleganter pro eo, quod uocant gulositatem.*

Gulam stringere.
Gulam frangere.
Gulam irritare.
Gulæ indulgere.
Gulæ deditum esse.

GVSTVS.

GVSTVS *est sensus ipse, qui ex gustatione percipitur.*

Gustum habere. Cic. Philip. *ij. Vt quidam morbo aliquo, & sensus stupore suauitatem cibi non sentiunt: sic libidinosi, auari, facinorosi ueræ laudis gustum non habent.*

H

HABENA.



HABENA *est retinaculum, & frenum, quo Equus cohibetur. Translatè pro facultate, uel potestate accipitur.*

Habenas adducere.
Habenas remittere.
Habenas laxas dare.

HABITATIO.

HABITATIO *pro domo, & loco, ubi habitamus, ponitur.*

De habitatione alicui accommodare.

HABITVS, us, ui.

HABITVS *est corporis manens affectio. Vel animi constans, & absoluta aliqua in re perfectio: ut uirtutis, aut artis perceptio alicuius, aut cuiusuis scientia. Est etiam interdum cultus corporis, & uestimentum, uel forma.*

Habitu esse bono, vel malo.

HAEREDITAS.

HAEREDITAS *est pecunia, uel bona alia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenerunt iure. Vel est successio in uniuersum ius, quod defunctus habebat. Et idcirco hoc nomine etiam damnosa hereditas continetur, diuiditur'que in duodecim uncias: quæ assis appellatione continentur. Eleganter uerò aliquando translationem uidetur habere: ut cùm dicimus hereditatem gloriæ, uel rei alicuius similis.*

In partem hæreditatis vocare.
Hæreditatem tradere.
Hæreditatem alicui, vel ad aliquem venire ab aliquo, vel obuenire.
Hæreditatem capere.
Hæreditatem adire.
Hæreditatem obire.
Hæreditatem cernere: *Id est, adire.*
Hæreditatem tenere.
Hæreditatem obtinere.
Hæreditatem auertere.
Hæreditatem detorquere.
Hæreditatem auferre.
Hæreditatem eripere.
Hæreditate excludere.
Hæreditatem reuocare.

HAERES.

TRADVNT *omnes, heredem ab herendo dictum, quòd, qui heres est, heret: hoc est, proximus est ei, cuius est heres. Licet quidam heredem dictum putant, quòd dominus fiat bonorum, quæ ad eum perueniunt. Apud Veteres enim heres dominus dicebatur, autore Festo. Heredis uerò appellatione omnes significari successores, credendum est: tametsi uerbis non sint expressi.*

Hæredem instituere.
Hæredem scribere.
Hæredem facere.
Hæredem factitare.
Hæredem relinquere.
Hæredem alicui succedere.
Hæredem aliquem alicui esse.

HASTA.

HASTA *secundum Varronem ab asto dicitur, quòd stans ferri solet. Aspiratur tamen ad differentiam secundæ personæ*

personæ Verbi asto. Ad uenditionem etiam aliquando pertinet. Hastæ enim ea, quæ publicè uenundabant, subijciebant Veteres.

PRO SPICVLO.

Hastam torquere.
Hastam iactare.
Hastam abijcere. *Prouerbialis est locutio, significat'que debilitata causæ spe à contentione desistere. Ducta translatione à militia. Desperat enim, quisquis in bello arma abijcit: & aut fugam spectat, aut mortem expectat.*

PRO VENDITIONE.

Hastam ponere.
Sub hasta subire.
Ad hastam locare.
Hastam figere.
Hastæ subijcere.
Ab hasta emere.
Hastam frigere, vel refrigere.

HERBA.

HERBA *notæ est significationis nomen.*
In herba recumbere.

HILARITAS.

HILARITAS *est festiuitas, uel iucunditas.*
Hilaritatem multam esse in aliquo.
Hilaritatis plenum esse.
Hilaritate tristitiam condire.
Hilaritatem eripere.
Hilaritatem amittere.

HISTORIA.

HISTORIA *est memoria publica, commemoratio antiquitatis.*
Historiam scribere.
Historiam texere.
Historiæ aliquid mandare.

HONESTAS.

HONESTAS *est dignitas, decus, uel laus: cui opponitur turpitudo. Est uerò tam rerum, quàm personarum. Cùm rerum est, ferè accipitur pro decoro, uel quadam Virtutis norma.*
Honestatem conseruare.
Honestate spoliare
Honestate priuare.

HONOR.

PERTINET *hæc dictio aliquando ad Magistratuum functionem, uel publica officia. Aliquando uerò extra publicam functionem est: & significat laudem, gloriam, uel decus, aut ornamentum.*

AD MAGISTRATVS *pertinens.*

Honorum cursus.
Honorum gradus.
Honores affectare.
Honores petere.
Honores deferre.
Honores mandare.
Ad honores euocare.
Ad honores obrepere.
Ad honores ascendere.
Honores assequi.
Honores administrare.
Honoribus fungi.
Honoribus vti.
Honoribus florere.
Honores missos facere.

CV'M PRIVATVS EST.

Honoris mei causa. *Frequens est Ciceroni hic loquendi modus: id'que significat, quod quoniam meus honor in ea re agitur.*
Honoris causa. *Crebra etiam erat hæc Latinis loquendi forma, cùm honorem à se alicui deferri designabant.*
Honorem exquirere.
Honores decernere.
Honores instituere.
Honores constituere.
Honorem deferre.
Honorem tribuere.
In honorem adducere.
Honorem habere alicui.
In honore habere.
Honori habere.
Honoribus ornare.
Honoribus decorare.
Honorem facere.
Honori esse.
Honores adhibere.
Honorem effundere.
Honore afficere.
Honorem in aliquem confluere.
Honorem recipere.
In honorem ascendere.
Honorem consequi.
Esse in honore.
Honoribus procedere.
Honoribus abundare.
Honoribus augere.

Honori fauere.
Honori inseruire.
Honori velificari: *Id est, in honorem quaerendum totis uiribus incumbere.*
Honorem minuere.
Honorem depeculari.
Honore priuare.
Honorem praefari. *Honorem praefamur, cum aliquid obscoenum dicturi sumus, uel ex parte aliqua cuiusquam autoritatem oppugnaturi, cuius animum neque à nobis offendi, neque abalienari uolumus.*

HORA.

HORAE *sunt diei partes, & certa distincta spacia. Horas etiam posuit Cicero pro diebus, ut notat Pedianus in Verr. Act. ij.*
Horam consumere.
Horam terere.
Horam abire, *Pro consumi.*
In horam uiuere.
Hora aliquid fieri: *Id est, hore spacio.*

HORROR.

HORROR *est pauor, trepidatio, uel tremor.*
Horrore perfundi.

HORTVS.

HORTVS *est siue in Vrbibus, atque oppidis, siue in Villis, rurisque locus, in quo arbores, & olera oriuntur. Apud Veteres omnis uilla hortus dicebatur, autore Festo, quòd ibi, qui arma capere possent, orirentur. Ea autem ratione ab aliquibus aspiratur, ut differat ab ortus, quando natum, siue natiuitatem significat. In singulari, pluraliq; pro hortis olitorijs accipitur, id est, olera producentibus. Est enim olus, omnis herba satiua, qua uescimur, & cuius folijs, ut caule, in edulium utimur. Horti uerò in plurali arboribus consiti dicuntur, & uoluptatis, amoenitatis'que causa parati.*
Hortum facere.
Hortum parare.
Hortum fodere.
Hortum conserere.
Hortum instruere.

HOSPES.

HOSPES *dicitur & is, apud quem alius diuersatur: & qui ipse diuersatur apud alium.*
Ad hospitem diuertere.
Hospites admittere.
Hospites accipere.
Hospites recipere.

HOSPITIVM.

HOSPITIVM *non semper pro loco ponitur, ubi diuersamur: sed interdum pro cõsuetudine hospitali accipitur.*
Hospitium facere cum aliquo.
Hospitio iungi.
Hospitio accipere aliquem.
Hospitium esse alicui cum aliquo.
Hospitio renuntiare.
Hospitium renouare.

HOSTIA.

HOSTIA *idem est, quod uictima.*
Hostiam, vel hostia immolare.
Hostijs Deos placare.

HOSTIS.

HOSTIS *gratiosum fuit aliquando nomen, & sine inuidia. Nunc uerò inimicitias denuntiat. Nec solùm hostis dicitur, qui bellum infert: sed hostis est, quisquis nobiscum inimicitias gerit, aut qui nobis grauius aduersatur.*
Ad hostes deficere.
Ad hostes confugere.
Ad hostes transfugere.
Ad hostes transire.
Hostes dissipare.
Hostes corroborare.

HVMANITAS.

HVMANITAS *est facilitas, lenitas, mansuetudo, comitas, urbanitas, morum suauitas.*
Ad humanitatem informare.
Humanitate polire.
Humanitatem habere.
Humanitatem obtinere.
Humanitatem tribuere.
Humanitate comprahendere.
Humanitatem alicui deesse.
Humanitatis immemorem esse.
Ab humanitate derelictum esse.
Humanitatem exuere.
Humanitatem abijcere.
Humanitatis sensum amittere.

HVMERI.

HVMERI *sub ceruice utrinque prominent.*
In humeros efferre.
Humeris sustinere.

HVMOR.

HVMOR *idem est quod aqua, uel liquor.*
Humorem infundere.
Humorem extrinsecus allabi.
Humorem habere.
Humorem extenuare.

Humorem comprimere.
Humorem collidere.

HVMVS.

HVMVS est terra.
Humus leuis
Humus soluta.
Humus fatigata.
Humus effœta.
Humum marcescere.
Humum consenescere.
Humi iacêre.
Humi stratum esse.

HYBERNA.

HYBERNA sunt loca, in quibus milites hyeme stationem faciunt.
In hyberna dimittere exercitum.
In hyberna ducere.
Ex hybernis educere.

HYEMS.

HYEMS est quarta pars anni, quæ excipit Autumnum, & ad Veris aduentum desinit. Ponitur etiam pro ipsa ui frigoris.
Hyemem summam esse.
Hyeme, pro in hyeme. Cicero De Diuin. Arabes campos, & montes hyeme, & æstate peragrant.
Hyemis magnitudo.
In hyemem incîdere.
In hyemem se conijcere.
Ad hyemem se recipere.
Hyemem tolerare.
Hyemem præcipitare.
Hyemem confici.
Hyemem abire.

I

IACTATIO.



IACTATIO tum uariè usurpari potest, quàm iactare. Aliquando enim pro exagitatione ponitur: ut iactatio Equi: iactatio nauis. Aliquando pro ostentatione, uel uenditatione est.
Iactationem Equi ferre non posse.
Iactatione verborum aliquem terrere.

IACTVRA.

IACTVRA damnum est propriè, quod fit in Mari, cùm quis merces, tempestate coorta, in Mare deijcere cogitur nauis exonerandæ gratia, ne nauis scilicet ipsa fluctibus obruatur.
Iacturam facere.

IANVA.

IANVA est ostium, uel aditus.
Ianuam claudere.
Ianuam patefacere.
Ianuam aperire.
Ianuam effringere.
Ianuam reuellere.

IDONEVS.

IDONEVM sic interpretatur Donatus, ut sit aptus ad omnia & bona, & mala. Sic igitur (quod Scriptorum Latinorum exemplis constat) & in bonâ, & in malam partem capi potest. Pleniorem autem ut huius nominis expositionem habeas, sic accipito, poni à Latinis pro apto, accommodato, conuenienti, congruenti, constituto, uel digno.
Idoneus rei alicuius.
Idoneus rei alicui.
Idoneus ad rem aliquam.
Idoneus in re aliqua.
Idoneus, qui aliquid faciat.
Idoneus, vt.

IGNAVIA.

IGNAVIA opponitur fortitudini.
Ignauiæ se dedere.
Ignauia oblanguere.

IGNICVLVS.

IGNICVLVS diminutiuum est ignis. Sed metaphoricè pro incitamento, & ueluti stimulo quodam à Natura dato ponitur.
Igniculos dare.

IGNIS.

IGNIS est flamma, uel incendium.
Ignem elicere.
Ignem facere.
Ignem iacere.
Ignem inijcere.
Ignem inferre.
Ignem adhibere.
Ignem admouere.
Ignem extinguere.

IGNOMINIA.

IGNOMINIA est infamia, dedecus, contumelia, macula, nota, probrum, labes.
Ignominiam habere. Cic. Philip. v. Quòd uerò ita auocatur a Mutina, ut ab Vrbe tanquam pestifera flamma arceatur, quam habet ignominiam?

Ignominia

Ignominia afficere.
Ignominia notare.
Ignominia appetere.
Ignominia deformare.
Ignominiam inurere.
Ignominiam cadere in aliquem.
Ignominiam accipere.
Ignominiam ferre.

IGNORANTIA, Ignoratio.

IGNORANTIA, uel ignoratio idem est quod inscitia.

In summa ignoratione rei alicuius versari.

ILLECEBRA.

ILLECEBRAE sunt inuitamenta, blandimenta, & incitamenta rei cuiuslibet: quæ tamen cum uoluptatis lenocinio aliquando iuncta sunt. Et tam in bonam, quàm in malam partem, capiuntur.

Illecebris excitare.
Illecebris inuitare.
Illecebris delinire.
Illecebris irretire.
Illecebris se dedere.

IMAGO.

IMAGO est simulachrum, species, uel exemplar, & alicuius rei repræsentatio siue animatæ, siue inanimatæ. Et ponitur tam translatè, quàm propriè. Propriè uerò accipiebatur apud Antiquos, & germanos Latinos pro eo, quod nunc Barbari, & germanæ Latinitatis ignari uocant, Megdalas, uel Arma alicuius familiæ.

In imaginem se conuertere.
Imaginem induere.
Imaginem ferre.

IMMANITAS.

IMMANITAS est feritas, uel diritas.

Immanitate omni teterrimus.
Immanitate efferatus.

IMMORTALITAS.

IMMORTALITAS est æternitas, memoria nominis sempiterna.

Immortalitatem donare.
Immortalitati mandare.
Immortalitati commendare.
Immortalitati tradere.
Ad immortalitatem consecrare.
Immortalitatem consequi.

IMMVNITAS.

IMMVNITAS est uacatio, uel libertas.

Immunitatem dare.
Immunitatem tribuere.
Immunitatem habere.

IMPEDIMENTVM.

IMPEDIMENTVM dicitur, quicquid ad rei functionem obest: aut causa grauior, quæ moram afferat, obstetq; rei agendæ, atq; exequendæ. Alia est huius uocis significatio, cùm impedimenta pro sarcinis ponuntur: ut sunt in exercitu res, quæ conducuntur in expeditione necessariæ.

EXTRA REM BELLICAM.

Impedimentum inferre.

AD REM BELLICAM *pertinens.*

Impedimenta locare.
Impedimenta collocare.
Impedimenta abdere.
Impedimenta conferre.
Impedimenta recipere.
Impedimenta relinquere.
Impedimenta diripere.
Impedimentis exuere.
Impedimentis potiri.

IMPEDITIO.

IMPEDITIO est detentio, uel occupatio.

Ab impeditione omni liberum esse.

IMPENSA.

IMPENSA dicitur, quod impenditur.

Impensam facere.
Impensam agere.

IMPERIVM.

IMPERIVM generaliter accipitur pro potestate, ditione, publica dignitate, Magistratu, uel prouincia. Pro administratione etiam in usu crebro est: maximè ad rem bellicam pertinens. Vulgariter uerò pro iussu usurpatur.

CVM EST MILITARE.

Imperium decernere.
Imperium deferre.
Imperio præficere.
Imperium mandare.
Imperij summam tradere.
Imperij summam committere.
Imperij summam tenere.
Imperium capere.
Imperium gerere.
Cum imperio esse. *Cum imperio esse dicebatur apud Antiquos, cui nominatim à Pop. Romano dabatur Imperium. Sed cum potestate esse dicebatur, qui à populo alicui negotio præficiebatur. Hæc Festus.*
Ab imperio remouere.
Imperium abrogare.

Imperium adimere.

CVM PRO DOMINATIONE *accipitur*.

Imperium fundare.
Imperium definire.
Imperium terminare.
Imperium dilatare.
Imperium prorogare.
Ad imperium adiungere.
De imperio dimicare.
Sub imperio esse.

CVM PRO IVSSV, VEL *mandato est*.

Imperium obseruare.
Imperium reuereri.
Imperio parêre.
Imperium exequi.
Imperium persequi.

IMPETVS.

IMPETVS *est insultus, uel irruptio. Refertur nonnunquam ad animum: & tunc est libido quædam animi non recta: uel subita, & acris cupiditas. Impete pro impetu posuerunt Antiqui ab antiquo nominatiuo impes. Hanc Antiquorum licentiam postea imitati sunt Poetæ, id scilicet cogente ratione carminis. Nam impetu in uersu heroico sine Vocalis elisione poni non potest.*

Impetum facere.
Impetum dare.
Impetum perferre. *Pro dare, uel facere.*
Impetum excipere.
Impetum ferre. *Pro sustinere.*
Impetum tardare.
Impetum retardare.
Impetum sustinere.
Impetum frangere.
Impetum cohibere.
Impetum reflectere.
Impetum propulsare.
Impetum reprimere.
Impetum comprimere.
Impetum residere.

IMPRESSIO.

IMPRESSIO *est aciei impetus in aduersariorũ aciem. Ponitur tamen generaliter pro ui acriori, & uehementiori.*

Impressionem facere.
Impressionem dare.
Impressione fudere.
Impressione euertere.

IMPVDENTIA.

IMPVDENTIA *est audacia, confidentia, os.*

Impudentiam suscipere.
Impudentiam habere. *Cic. pro domo sua: An ego tantam oculorũ impudentiam habere possim, ut uideam: &c.*
Impudentiam reprimere.

IMPVNITAS.

IMPVNITAS *est licentia, uel uenia.*

Impunitatem proponere.
Impunitatem facere.
Impunitatem dare.
Impunitatem esse.
Impunitatem assequi.
Impunitatem habere.
In impunitate versari.
Impunitate ali furorem alicuius.

INCENDIVM.

INCENDIVM *est ardor.*

Incendium excitare.
Incendium facere.
Incendio conflagrare.
Ab incendio liberare.

INCESTVM.

INCESTVM *dicitur flagitium (inquit Nonius) in affineis admissum. Generale tamen est, ut stuprum.*

Incestum facere. *Dicitur incestum facere tam mulier, quàm uir ipse.*

INCOLVMITAS.

INCOLVMITAS *est salutis tuta, atque integra conseruatio.*

Incolumitati consulere.
Incolumitatem habere ab aliquo.
Incolumitatem alicuius deserere.

INCOMMODVM:

INCOMMODVM *est damnum: uel difficultas.*

Incommodum inuehere.
Incommodum ferre, *Pro inuehere.*
Incommodis afficere.
Incommodum dare.
Incommodum impendêre.
Incommodum alicui cadere, *Pro incidere.*
Incommodum ad aliquem peruenire.
Incommodum capere.
Incommodum accipere.
In incommodis esse.
Incommodum refutare.

Incommodum

Incommodum propulſare.
Incommodis mederi.
Incommodum ſarcire.
Incommodis leuare.
Incommodi expers.
Ab incommodo integer.
Ab incommodo ſyncerus.

INCREMENTVM.

INCREMENTVM *eſt acceſſio, uel augmentum.*
Incrementum afferre.
Incremento augeri.

INCVNABVLA.

INCVNABVLA *aliquando pro ſuo ſimplici ponuntur: unde apud Titum Liuium: Ab incunabulis imbutus odio Tribunorum erat. Translatè uerò accipiuntur cum maxima elegantia pro principijs. Vel ponuntur etiam pro loco, unde orti ſumus: ſiue pro natalibus, & origine generis.*
Ab incunabulis. *Id eſt, prima ætate.*

INCVRSIO.

INCVRSIO *idem eſt quod impetus, inſultus.*
Incurſionem facere.
Incurſionem ſuſtinere.

INDICIVM.

INDICIVM *ponitur pro ſigno, argumento, documēto, ueſtigio, nota, ſpecimine, uel inſigni: aut pro detectione, delatione, uel accuſatione alicuius criminis.*
Indicium oſtendere.
Indicium afferre.
Indicium profiteri. *Indicium profiteri, eſt ultro ſeſe, conſortesq́ue criminis deferre.*
Indicium facere.
Indicium conſtituere.
Indicio eſſe.
Ad indicium peruenire.
Indicium accipere.
Indicium habere.

INDOLES.

INDOLES *eſt indicium animi ſiue ad uirtutem, ſiue ad uitium inclinantis. Transfertur etiam ad muta, & inanimata.*
Indole præditum eſſe.
Indolis ſpecimen dare: *Id eſt, probitatis futuræ.*

INDVCIAE.

INDVCIAE *ſunt belli feriæ. Vnde dicantur, uide in Secundo Tomo noſtrorum Commentariorum.*
Inducias paciſci.
Inducias agitare.
Inducias inire.
Inducias facere.
Inducias exire. *Tit Liuius ab Vrb. condit. 1. Iam induciæ exierant. Id eſt, tempus induciarum præterierat.*

INDVLGENTIA.

INDVLGENTIAM *Barbari accipiunt pro uenia: ut, indulgentiam tuorum peccatorum Deus tibi tribuat: uel deus tibi indulgeat. Quod quis neget dici barbarè, & inſulsè? Indulgentia uerò Latinis eſt obſequium, & lenitas quædam propenſior ſiue Patrum in Filios, ſiue quorumuis in alios.*
Indulgentiam tribuere alicui.
Indulgentia mira eſſe in aliquem.
Indulgentia deprauare aliquem.
Indulgentia inter ſe contineri.

INDVSTRIA.

INDVSTRIA *eſt animi promptitudo, & ſagacitas, ſiue habilitas ad aliquid faciendum. Nonnulli ſcientiam, & prouidentiam interpretantur. Accipitur etiam pro ingenij, ſiue artis exercitatione.*
Induſtriam in re aliqua ponere.
Induſtriam alicuius latè manare.
Induſtriam langueſcere.
De induſtria aliquid facere: *Id eſt, ſcienter, uel prudenter.*

INFAMIA.

INFAMIA, *ut putant Grammatici, famæ bonæ contraria eſt: neque id abſurdè. Sed tu Latinorum ubertate utēris, & infamiā pro omni turpitudinis, dedecorisq; genere ponere nō dubitabis: id modò ſcias, ſæpius ad perſonam referri.*
Infamiā eſſe: *Dicitur res, uel perſona infamiā eſſe, quæ infamiam habet.*
In infamia eſſe.
Infamiæ eſſe.
Infamiam conflare.
Infamiam concipere.
Infamiam inferre.
Infamia aſpergere.
Infamiam habere.
Infamia flagrare: *Id eſt, ſumma infamia laborare, uel malè audire.*
Infamiam ſubire.
Infamiam fugere.
Infamiam effugere.
Ab infamia auertere.
Infamia leuare.
Infamiam delere.
Infamiam ſarcire.

INFERI.

INFERI *ſunt Dij manes, inferorum animæ, ſubterranei.*
Ab inferis excitare.
Ab inferis reducere.
Ab inferis exiſtere.

INFIRMITAS.

INFIRMITAS *est imbecillitas, uel debilitas. Quae tam corporis est, quàm rerum aliarum.*

Infirmitatem esse in aliquo.
Infirmitatem leuare.

INGENIVM.

INGENIVM *propriè natura dicitur cuique ingenita. Vel est uis quaedam naturalis nobis insita, suis uiribus praeualens ad inueniendum, quod ratione iudicari possit. In quo nomine si quid praecipuae elegantiae inest, id certè inest, quod ex Adiectiuis nascitur, quae cum eo nonnunquam iunguntur tam in bonam, quàm in malam partem.*

CVM ADIECTIVIS COMmendationem habentibus.

Ingenium summum.
Ingenium excellens.
Ingenium bonum.
Ingenium acerrimum.

CVM ADIECTIVIS VITIO infuscatis.

Ingenium hebes.
Ingenium tardum.
Ingenium obtusum.
Ingenium inhumanum.
Ingenium agreste.

CVM VERBIS.

Ingenium suppeditare.
Ingenium acuere.
Ingenium alere.
Ingenium esse in aliquo.
Ingenium habere.
Ingenio abundare.
Ingenio plenum esse.
Ingenio valere.
Ingenio florere.
Ingenium alicuius in aliqua re elucere.
Ingenium labefactare.
Ad ingenium redire.
Ad ingenium se recipere.

INGENVITAS.

INGENVITAS *modò est morum probitas: modò pudor: modò germanitas, & natiua, naturalis que quaedam simplicitas nobis propria.*

Ingenuitatem prae se ferre.
Ingenuitatem praestare.

INIMICITIAE.

INIMICITIAS *ferè semper dicimus à singulari numero abstinentes: in singulari tamen etiā inimicitia reperitur. Et est inimicitia idem quod simultas, alienatio, dissensio.*

Inimicitias appetere.
Ad inimicitias vocare.
Inimicitias indicere.
Inimicitias denunciare.
Inimicitias concipi.
Inimicitias capere.
Inimicitias suscipere.
Inimicitias adire.
Inimicitias subire.
Ad inimicitias venire.
Ad inimicitias descendere.
Inimicitias esse alicui cum aliquo.
Inimicitias esse inter aliquos.
Inimicitias intercedere cum aliquo.
In inimicitias amicitias conuerti.
Inimicitias habere.
Inimicitijs laborare.
Inimicitias exercere.
Inimicitias gerere.
Inimicitias explere.
Inimicitias persequi.
Inimicitias extinguere.
Inimicitias ponere.
Inimicitias deponere.
Ab inimicitijs discedere.
Inimicitias donare.
Inimicitias concedere.

INIQVITAS.

INIQVITAS *est iniuria.*

Iniquitatem habere. *Iniquitatem habere res dicitur, quae iniqua est, & iniusta.*

INITIVM.

INITIVM *dicitur principium, uel fundamentum.*

Initio. *Elegans est hic initij ablatiuus uelut aduerbialiter usurpatus: qui significat idē quod ab initio, uel ad initium.*

Ab initio.
Initium dare se.
Initium proficisci à re aliqua.
Initium oriri.
Initium quaerere.
Initium ducere
Initium suscipere.
Initium capere.
Initium sumere.
Initium facere.
Initium ponere. *Cic. ad Att. Vt malè posuimus initia, sic caetera sequentur.*

INIVRIA.

INIVRIA *dicitur, quicquid non iure fit, siue re, siue uerbis. Est que tam actiuae, quàm passiuae significationis.*

Iniuriam

Iniuriam facere.
Iniuriam conflare.
Iniuriam nasci.
Iniuriam oriri.
Iniuria afficere.
Iniuriam imponere.
Iniuriam iacere in aliquem.
Iniuriam immittere in aliquem.
Iniuriam offerre.
Iniuriam inferre.
Iniurijs onerare.
Iniuria lacerare.
Iniuriam accipere.
Iniuria affligi.
Iniuriam hærere in aliquo.
Iniuriam leuare.
Ab iniuria detrahere.
Iniuria prohibere.
Iniurijs resistere.
Iniurias reuellere.
Iniurias propulsare.
Iniuriam persequi.
Iniuriam insectari.
Iniuriam ulcisci.
Iniuria abstinere.
Iniurias obliuione conterere.

INOPIA.

INOPIA est egestas, uel indigentia: cui copiam licet opponere. Rerum autem omnium dicitur inopia, quæ desint, aut non suppetant.

Ad inopiam redigere.
Inopia laborare.
Inopia leuare.
Inopiæ mederi.
Inopiam ferre.
Inopiam tolerare.

INOPS.

INOPS pauperem significat, nudum, uel impotentem. Et pertinet tam ad res, quàm ad personas. Dicimus enim inopem linguam, inops ærarium, & similia.

Inops rei alicuius.
Inops ad rem aliquam.
Inops à re aliqua.

INSANIA.

INSANIA est furor, uel animi impotentia. Ponitur etiam pro magnitudine, uel amplitudine,

In insaniam incidere.
Ad insaniam adigere.
Insania flagrare.

INSCITIA.

INSCITIA est imprudentia, insicientia, imperitia, uel stultitia.

Inscitiam esse in aliquo.
Inscitiam regere prudentia.

INSIDIAE.

INSIDIAS ponunt Latini pro dolosa expectatione ad aliquem aggrediendum.

Insidijs, *Pro per insidias. In ablatiuo casu ita aliquando usurpant hoc nomen Latini, pro per insidias. Cice. ad Att. Marcellinus insidijs interfectus est.*

Ex insidijs. *Idem significat hoc loquendi genus, quod proxima loquendi forma. Cic. in Orat. Non ex insidijs, sed apertè, ac palàm id faciendum est.*

Insidias habere. *Insidias habere, idem est, quod insidias tendere posse.*

Insidias moliri.
Insidias parare.
Insidias comparare.
Insidias tendere.
Insidias struere.
Insidias instruere.
Insidias facere.
Insidias adhibere.
Insidias ponere.
Insidias opponere.
In insidijs ponere.
In insidijs locare.
Insidias collocare.
In insidias collocare.
In insidias elicere.
In insidias intrare.
In insidias venire.
In insidias incidere.
Insidias anteuenire.
Insidias patefacere.
Insidias cauere.

INSOLENTIA.

INSOLENTIA insolentis significationẽ retinet: scilicet ut modò ponatur pro re insolita. Modò pro superbia, contumacia, uel arrogantia.

Insolentia aliquem esse magna.
Insolentia efferri.
Insolentiam suam continere.

INSPECTIO.

INSPECTIO est cognitio, uel iudicium.

Inspectionem habere: *Id est, preesse inspectioni. Cice. in Philip. Nos enim nuntiationem solùm habemus: Consules etiam inspectionem.*

INSTAR.

INSTAR *significat ad æquiparationem, uel magnitudinem, uel mensuram. Apud doctißimos nonnunquam præpositionem admittit. Nonnunquam uerò nomen indeclinabile esse uidetur.*

Instar esse rei alicuius.

Instar habere. *Cice. Offic.iij. Omnia ex altera parte collocata uix minimi momenti instar habent.*

Instar obtinere. *Cic. in Tusc. Terra ad uniuersi Cœli complexum quasi puncti instar obtinet.*

INSTITVTVM.

INSTITVTVM *est institutus ratio, mos, consuetudo. De quo nomine uide longè plura in primo Tomo nostrorum Commentariorum.*

Institutum capere: *Id est, dare se ad instituta.*

Instituto vti.

Institutum suum tenere.

Institutum seruare.

Ab instituto abducere.

Ab instituto promouere.

Ad institutum redire.

Ad institutum reuerti.

In instituto manere.

INSTRVMENTVM.

INSTRVMENTVM *propria significatione sic à Latinis accipitur, ut ponatur pro omni illo, quo quis ad operandum utitur. Pro apparatu item, quo fundus, taberna, & id genus alia instruuntur. Translatè uerò non minùs eleganter à Latinis usurpatur. Et est, quo ad aliquid uel assequendum, uel comparandum: uel ad alicuius rei usum utimur. Sic pro ope, uel subsidio interpretari licebit. Præterea instrumēti nomine aliquando intelligitur monumentum scripturarum ad res gestas uel testificandas, uel Posteritati transmittendas pertinentium. Vnde nonnulli splendidioris latinitatis studiosi, & affectatiores, in sacris literis nouum, & uetus instrumentum appellant, quod uulgus Christianorum Theologorum dicit, nouum, & uetus Testamentum.*

Instrumentum quærere.

Instrumentum habere.

INTEGRVM.

PER *masculinum genus ponitur integer pro ualido, ualente, inuiolato, incorrupto, pleno, solido, toto. Per neutrum uerò genus aliquantò elegantius effertur, ut demonstrabunt sequentes locutiones: in quibus etiam nonnunquam masculini generis est.*

Integrum esse: *Id est, in arbitrio positum esse, & potestate. Cic. Ego, si mihi esset integrum, susciperem hoc crimen.*

In integro esse.

In integrum vocare.

In integrum restituere.

Ad integrum redire.

Integrum se seruare: *Id est, neutri parti se ascribere, uel addicere.*

De integro. *Genus est loquendi, quo utimur, cùm nobis non satis ex animo in re aliqua satisfecimus: scilicet cùm, uelut res adhuc nobis esset integra, & non cœpta, iterum studiosiùs incumbimus, ut uel nobis, uel alijs abunde satisfactum sit: quod tamen simpliciter aliquando pro iterum ponitur: & tam in malam, quàm in bonam partem, capi potest. Possumus enim aliquem à nobis uexatum de integro uexare: ut à nobis sustentatum, de integro sustentare.*

INTEGVMENTVM.

INTEGVMENTVM *est, quo aliquid tegitur, siue accipiatur propriè, siue translatè.*

Integumentis inuolui.

Integumentis euolui.

INTELLECTVS.

INTELLECTVS *uox est minùs Ciceroni usitata: à clasicis tamen alijs Scriptoribus non reijcitur. Est uerò intellectus idem quod cognitio, notitia, scientia: uel significatio interdum, ut cùm dicimus uocem, & dictionem aliquam plureis intellectus habere: Id est, uariè intelligi posse.*

Intellectum inesse alicui.

Intellectu aliquid cōsequi, uel appræhendere.

Intellectum habere; *Cōuenit hæc locutio Dictionibus.*

INTELLIGENTIA.

INTELLIGENTIA *est, per quam animus perspicit, quæ sunt. Sic pro prudentia, cognitione, scientia, uel notione ponetur: idq; tam paßiuè, quàm actiuè.*

Intelligentiam animo, vel mente concipere.

Intelligentiam rei alicuius capere.

Intelligentia compræhendere.

In intelligentiam cadere.

Intelligentia inchoari.

Intelligentia aliquid teneri.

Intelligentiam rei alicuius habere.

Intelligentiæ participem esse.

Intelligentiam inesse alicui.

Intelligentiam esse in aliquo.

Intelligentia esse aliquem mira in re aliqua.

Intelligentiam suam intendere in aliquid.

Intelligentiam suam infigere in aliquid.

Intelligentia præstare.

Intelligentia anteire.

INTEMPERANTIA.

INTEMPERANTIA *est à tota mente, & recta ratione defectio.*

Intemperantia esse aliquem intolerabili.

Intemperantiam alicuius explere.

Intemperantiā

Intemperantiam fugere.
Intemperantiam alicuius à se propulsare.

INTERCAPEDO.

INTERCAPEDO *est tempus intersectum, inquit Festus, cùm scilicet mora est ad capiendum. Generaliter verò pro intervallo accipi solet.*

Intercapedinem scribendi facere.

INTERITVS.

INTERITVS *aliquando est corporis, & pro obitu ponitur. Aliquando verò rerum est aliarum: & tunc ponitur pro occasu, vel exitio.*

Interitum afferre.
Interitum conficere.
Interitum fieri.
Interitum appropinquare.
Interitum ad aliquem venire. Cice. de Nat. Deo. *Ad quem dolor venit, ad eundem interitũ venire necesse est.*

INTERMISSIO.

INTERMISSIO *est intercapedo, vel relaxatio.*

Intermissionem facere.

INTERNITIO.

INTERNITIO, *vel internecio indifferenter à Latinis dicitur: significatq; vitæ privationem, ut inquit Festus. Nos verò interitum universum significare tradimus. Ducitur enim à verbo antiquo interneco, quod significat interficio: sed multitudinem totam ferme complectitur.*

Internitionem inferre.
Ab internitione liberare.

INTERREGNVM.

INTERREGNVM *appellatur id tempus, quo regnum Rege vacat: Id est, antequam in demortui locum novus Rex præficiatur. Per metaphoram aliquando dictum est, cùm loco Magistratus Interrex crearetur.*

Interregnum inire.

INTERREX.

INTERREX *eum significat, qui Regis demortui locum tenet, donec alius substituatur. Apud Romanos Comitiorum habendorum causa interdum creabatur: & eius imperij quinq; dies tantùm erant.*

Interregem creare.
Interregem facere.
Interregem eligere.
Interregem prodere.

INTERVALLVM.

INTERVALLVM *est spacium, divisio, vel discrimen. Propriè verò spacium est, quod est inter pallos vallum castrense constituentes: à quo omne spacium intervallum est appellatum. Huc adde, nonnunquam poni pro tempore, maximè in ablativo: ut cùm dicimus aliquid longo intervallo in usum relatum, vel renovatum: vel cùm dicimus nos longo intervallo ad aliquid redire.*

Ex intervallo. Cice. ad Atti. iiij. *Ille Latinus Atticismus ex intervallo regustandus est.*

Per intervalla: *Id est, alternatim.*

Intervalla dare.
Intervallum facere.
Intervallum interijcere.
Intervallum esse. Cice. Famil. I. *Cùm intervallum iam satis longum fuisset.*

Intervallum habere.

INTROITVS.

INTROITVS *& loci, & actionis est. Transfertur quoq; aliquando.* LOCI. *Cic. pro Cecinn. Iste ad omneis introitus, qua adiri poterat in eum fundum, armatos homines opponit.* ACTIONIS. *Cic. pro Domo sua: Adventus meus, atq; introitus in urbem qui fuit?* TRANSLATÈ. *Cice. ad Atti. I. Etenim post tuam profectionem primus introitus fuit in causam fabulæ Clodianæ.*

Introitum habere.
Introitu prohibere.

INVESTIGATIO.

INVESTIGATIO *est inquisitio, conquisitio, vel indagatio.*

In investigatione rei alicuius versari.

INVIDIA.

ACTIVÈ, *& passivè à Latinis ponitur hoc nomen. Cùm autem activè ponitur, est actus ipse invidẽdi, vel est dolor ob alienam felicitatem susceptus. Cùm verò passivè accipitur, est vel dicto, vel facto in alterum malevolentiæ concitatio: ut si quis calamitates suas, damnaq; referat, ostendat've iniuriam sibi factam, ut iniuriæ, calamitatumq; autori concitet odium. In qua significatione odium publicum, aut fama calamitosa dici potest: ita enim appellat Cic. pro Cluentio: ubi hac voce sæpe utitur.*

ACTIVÈ.

Invidia æstuare. Sallust. in Catil. *Antea pleraq; Nobilitas invidia æstuabat, & quasi pollui Consulatum credebat, si eum quamvis egregius novus homo adeptus foret.*

Invidiam prosternere.

Invidiam obterere. Vatinius Cice. Famil. V. *Is pro honore meo pusillorum, & malevolorum obtrectationes, & invidias non prosternat, atq; obterat?*

Invidiam deponere.

PASSIVÈ.

Invidiam quærere in aliquem.
Invidiam concitare.

Invidiam

Inuidiam commouere.
Inuidiam conflare.
Inuidiam facere.
Inuidiam parare.
In inuidiam vocare.
In inuidiam adducere.
In inuidiam rapere.
Inuidiam transferre in aliquem.
Inuidiam conferre in aliquem.
In inuidiam venire.
Inuidiam assumere.
Inuidiam subire.
Inuidiam habere: *Id est, esse in inuidia.*
In inuidia esse.
Inuidia esse: *Pro in inuidia esse.*
Inuidiam sustinere.
Ex inuidia laborare.
Inuidia premi.
Inuidia flagrare.
Inuidia ardere.
Inuidia redundare.
Inuidiam augere.
Inuidiam inflammare.
Inuidiam lenire.
Inuidiam sedare.
Inuidiam comprimere.
Inuidiam restinguere.
Inuidiam extinguere.
De inuidia deonerare.
Inuidiæ sanguinem mitti. *Mitti inuidiæ sanguinem dicit Cicero, Pro inuidiam decedere.*
Inuidiam poni: *Id est, deponi.*
Inuidiam decedere.
Inuidia leuare.
Inuidia liberare.

INVITAMENTVM.

INVITAMENTVM *est incitamentum.*
Inuitamentum habere: *Id est, inuitari. Cice. pro Syll. Qui cùm multa haberet inuitamenta Vrbis, & fori, tamen: & cæt.*

IOCVS.

IOCVM *appellant Latini, quod est contrarium serio: ludum scilicet, risum, facetias, lepòrem, salem, hilaritatem, festiuitatem, cauillationem, iucunditatem.*
Iocò: *Id est, iocosè, uel festiuè: cui opponitur seriò.*
Per iocum: *Id est, iocò, uel iocosè.*
Extra iocum: *Contrarium est hoc loquendi genus superiori proximo.*
Ioco remoto: *Id est, extra iocum.*

IRA.

IRAM *dictam scribunt nonnulli ab eo, quod est, ire. Nam iratos propriè dicimus exisse de potestate: id est, de consilio, de ratione, de mente. Horum enim potestas in totum animū esse debet. Vnde, & qui iram deponit, ad se redire dicitur, uel seipsum colligere. Quid autem est seipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursum in suū locū cogere? Breuiter: ira est libido puniēdi eius, qui uideatur læsisse iniuria.*
Iram concire.
Iram oriri.
Iram esse inter aliquos.
Iram inter aliquos intercedere.
Ira incendi.
Ira ardere.
Ira cumulari.
Iram gerere.
Iram euomere.
Iram deferuescere.
Iram sedare.
Iram expedire, *Pro sedare.*
Iram missam facere.
Iram abscedere ab aliquo.
Iram decedere.

IRACVNDIA.

INTER *iracundiam, & iram hæc ferè differentia poni solet, ut iracundia sit iracundi: id est, qui ex parua, uel nulla causa irascitur: uel qui suapte natura ad iram procliuis est. Iracundia igitur uitium est hominis iracundi. Ira uerò motus est ipse animi iniuria, uel indignatione aliqua concitati. Ex hac definitione colliges, quid inter iracundum, & iratum interesse possit. Est enim iracundus, quem proximè expressimus. Iratus autem, qui uel uerbis, uel re offensionis acceptæ signum dat. Differentia tamen inter iram, & iracundiam à Grammaticis constituta non perpetuò obseruatur: & iracundiam pro ira à Latinis sæpe poni uideas: iram contrà nunquam pro iracundia.*
Ad iracundiam adducere.
Iracundiam habere.
Iracundia agitari.
Iracundia efferuescere.
Iracundia efferri.
Iracundia inflammari.
Iracundia ardere, vel exardere.
Iracundia furere.
Iracundiam exercere.
Iracundiæ seruire.
Iracundiæ obsequi.
Iracundiam reprimere.
Iracundiam remittere.
Iracundiam omittere.
Iracundiam dimittere.
Iracundiæ resistere.
Iracundiam continere.
Iracundiam sedare.

IRRVPTIO.

IRRVPTIO *est impetus, uel incursio.*
Irruptionem facere.

ITER

ITER.

VVLGARIS *itineris ſignificatio nota eſt. Preter uulgarem, iter apud Iuriſperitos ius eſt interdum eundi hominis: ut actus ius eſt Iumentum agendi: & uia ius eſt uehiculum ducendi: quæ ſeruitutes ſunt prædiorum. De quibus in Pandectis copioſè. Id etiam habe, iter tam in Mari, quàm in Terra dici.*

Itineris ratio. Cice. Famil. iij. *Faciam, ut tibi nota ſit omnis ratio dierum, atq; itinerum meorum.*

Itineris ſumma. Cice. *Scire aueo, qualis ei totius itineris ſumma fuerit.*

Itineris tempus. Cice. ad Atti. vj. *Tuorum itinerum tempora ſcire ſanè uelim.*

Iter patefacere.
Iter aperire.
Iter munire.
Iter gubernare.
Iter componere.
Iter inſtare.
Iter eſſe.
Iter ſuſcipere.
Iter petere.
Itineri ſe committere.
Iter inire.
Iter ingredi.
In itinere eſſe.
Iter conferre.
Iter conuertere.
Iter dirigere.
Iter habere.
Iter facere.
Iter conficere.
Itinere, uel iter ire.
Iter maturare.
Iter procedere.
Iter reprimere.
Iter ſupprimere.
Iter impedire.
Iter intercludere.
Itinere deſiſtere.

IVCVNDITAS.

IVCVNDITAS *eſt feſtiuitas, lepor, uel hilaritas.*

Iucunditati ſe dare.
Iucunditati eſſe.
Ad iucunditatem conducere aliquid alicui.
Iucunditatem eſſe alicui ex re aliqua.
Iucunditatem percipere.

IVCVNDVS.

IVCVNDVM *ponunt Latini pro amœno, grato, uel dulci.*

Iucundum aliquid alicui accidere.

IVDEX.

IVDEX, *rei cuiuslibet controuerſæ dicitur arbiter, diſceptator, exiſtimator, uel æſtimator. Et tam ad res priuatas, quàm ad forenſeis, pertinet.*

Iudicem ſortiri.
Iudicem legere.
Iudicem decernere.
Iudicem conſtituere.
Iudicem dare.
Iudices cogere.
Iudices ſupponere.
Iudicem obuenire.
Iudicem ſumere.
Iudicem accipere.
Iudicem ſedere. *Nihil habet hæc locutio præter antiquam loquendi proprietatem, & puritatem, quod dignum notatu uideatur. Vulgare eſt enim, & omnibus notũ, quid ſit ſedere: quid item ſit Iudex: tamen ſi loquendi uenuſtatem introſpicias, ſcio, non aſpernabere. Cum autẽ dicitur nobis, uel in nos Iudex ſedere, idem eſt, quod dari, uel conſtitui.*

IVDICATVM.

IVDICATVM *eſt res aſſenſione, aut autoritate, aut iudicio alicuius, aut aliquorum comprobata. Vel eſt, de quo iam antè ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum.*

Iudicatum facere.
Iudicatum ſoluere.
Iudicato ſtare.
Iudicatum negare.
Iudicatum reſcindere.
Iudicatum infirmare.
Iudicatum irritum facere.

IVDICIVM.

IVDICIVM *duplex eſt. Iudicium enim eſt forenſe, & priuatum.*

PRIVATVM.

IN *priuato iudicio ineſt neſcio quid latentis, & quaſi præcipuæ elegantiæ, cùm aliquid iudicio fieri dicimus: id eſt, certa prudentia, uel tanquam de induſtria, ac præcipua quadam animi inductione, non caſu.*

Iudicium politulum.
Iudicium limatulum.
Iudicium prudens.
Iudicium ſincerum.
Iudicium ſuperbum.
Iudiciũ tuum: uel iudicij tui eſt. *His loquẽdi modis utebãtur Latini, cùm integrã aut agẽdi, aut de re aliqua deliberandi facultatẽ, poteſtatẽq; datã ſignificabãt. Ci. ad Brutũ. Nihil honorificẽtiùs potuit facere Senatus, quàm ut tuũ eſſet iudicium, quid tibi maximè conducere Reipublicæ uideretur. Idem: Tu quid de hac re ſentias, tui eſt iudicij.* ALIVS EST ALIQVANDO *huius loquẽdi modi uſus. Cic. Tuſ. 1. Meum iudicium ſemper fuit, omnia noſtros aut inueniſſe per ſe ſapientius.*

pientiùs, quàm Græcos: aut accepta ab illis, fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent.
Iudicium exquirere alicuius.
Iudicium habere. *Iudicium habere non uno modo à Latinis dicitur. Habemus enim iudicia, quæ ab alijs uel de nobis, uel de aliquo feruntur: ut apud Cic. Phil. 1. Populi quidē Romani iudicia multa ambo habetis: quibus nos nō satis moueri, permolestè tuli.* PRAETEREA *habemus iudicium, cùm iudicio aliquo sumus: id est, sentimus. Cic. Famil. ix. Sed tamen ipse Cæsar habet peracre iudicium.*
Iudicium suum interponere.
Iudicium facere. *Facimus iudicium rei alicuius, & de re aliqua: dicitur que fieri iudicium tam priuatim, quàm in foro.*
Iudicium dicere.
Iudicium edere.
Iudicium ferre.
Iudicium adhibere.
Iudicium subire.
Iudicio stare.
Iudicium confirmare.
Iudicium flectere.
Iudicium mutare.

FORENSE.

Iudicium conflare.
Iudicio circunuenire.
Iudicio perfundere.
Iudicio, vel in iudicium arcessere.
Iudicium intendere.
In iudicium vocare, vel ad iudicium.
In iudicium adducere, vel deducere.
In iudicium venire.
Iudicio conflictari.
Iudicio certare.
Iudicium exercere.
Iudicium constituere.
Iudicium dare. *Iudicium dare Prætoris erat, qui iudicium alij faciendum, & exercendum tradebat.*
Iudicium facere. *Iudicium facere, cùm extra forum est, antea diximus esse, quod sentiremus, enuntiare, uel declarare. Hic uerò aliud designat, & est idem, quod iudicium exercere.*
Iudicium committi inter aliquos. *Id est, fieri.*
Iudicium pronuntiare.
Iudicia calere.
Iudicia frigere.
Iudicia silere.
Iudicia conticere.
Iudicia conglaciare.
Iudicia dissoluere.
Iudicia disturbare.
Iudicia comperendinari.
Iudicia sistere.
Iudicia extrahere.
Iudicia tollere.
Iudicium corrumpere.
Iudicium contaminare.
Iudicium constuprare.
Iudicium rescindere.
Iudicio opprimere.
Iudicio iugulare.
Iudicio liberare.
Iudicio elabi.
Iudicio euadere.

IVGVLVM.

IVGVLVM *cum gutturis significatione conuenit: pars scilicet anterior colli, unde uox, halitusq; procedit: dictum, ut uolunt Grammatici, à iungo, quòd per id pectori caput iungatur. Plinius duo esse uult: dextrum scilicet, & sinistrum.*
Iugulum alicuius petere ferro.
Iugulum inimico dare.
A' iugulo gladium reijcere.
A' iugulo crudelitatem hostis auertere.

IVGVM.

IVGVM *dictum est, quòd iungatur, & in arcum erectetur. Est propriè montis cacumen. Verg. Dum iuga montis Aper, fluuios dum Pisces amabit. Cæsar de bell. Gall. 7. Tandem Germani à dextro latere summum iugum nacti, hostes loco depellunt. Iugum præterea est ligneum instrumentum, quo Boues iunguntur. Pro pari etiam ponitur: ut iugum hominum, id est, par: uel iugum Boum. Est item aliquando lignum, quo telam Textores conuoluunt. Iugum in uinea dicitur, cùm duabus, aut pluribus perticis fixis, aliæ super eas alligantur, in quibus uites coniunguntur, & quasi iugum in summitatem quandã faciunt. A' quo uites ipsæ, seu uineæ, iugatæ dicuntur. Ad hæc iugum erat, sub quo ignominiæ gratia uicti hostes mittebantur. Nam fixis in Terram duabus hastis, super eas ligabatur tertia: & tunc uicti hostes discingebantur, & sub illa transire cogebantur inermes. Inde subiugare pro debellare, ac subijcere.*
Iugum imponere.
Iugo iungere.
Iugo subdere.
Sub iugum mittere.
Iugum accipere; *Id est, onus, laborem, & prouinciam subire.*
Iugum subire.
Iugum deijcere.
Jugum à corpore suo repellere.

IVMENTVM.

IVMENTI *appellatione continentur animalia, quæ uel sarcinas gerunt, uel currus trahunt, uel Terram excolunt, ut Equi, Muli, Asini, Cameli, Boues.*

umentum agere. *Cice. pro Cecinn. Si uias sit immunita, lex iubet, quà uelis, iumentum agere.*

IVRGIVM.

IVRGIVM *est contentio.*
Iurgium gignere.
Iurgium existere ex re aliqua.
Iurgio contendere.
Iurgio abstinere.

IVRISDICTIO.

IVRISDICTIO *est facultas, & potestas iuris dicendi.*
Iurisdictionem conficere.
Iurisdictionem absoluere.
Iurisdictionem intermittere.

IVS.

IVS *aliquando pro cõmuni æquitate ponitur. Aliquando uerò pro eo est, quod uel ciuile, uel leg timum appellatur. In qua tamen significatione ita cum communi æquitate coniunctum est, ut nihil planè interdum differat. Ius enim siue ciuile, siue legitimum, siue publicum dicatur, æquitatis semper definitione nititur.*

PRIVATVM.

Ius seruare.
A iure discedere.
A iure abire.
Ius uiolare.
Ius imminuere.
Ius peruertere.
Ius delere.

FORENSE, VEL PVBLICVM.

Iure summo agere. *Summum ius Latinis Scriptoribus est, quod Leguleis strictũ ius. Inde iure summo quis agere dicitur, pro eo, quod est, non ex æquo, & bono, sed maiore quodam iure, & præfracto.*
Ad extrema iura decurrere.
Iure æquo agere.
De iure suo concedere, vel decedere.
Meo iure: tuo iure: suo iure. *Meo iure aliquid agere, facere'ue, est idem, quod mea facultate, uel autoritate, uel concessa mihi omniũ consensu libertate, & potestate.*
Pro meo iure: pro tuo iure: pro suo iure.
Iure: iure optimo: iure, ac merito aliqd agere.
Ius postulare.
Ius statuere.
Ius constituere.
Ius dicere. *Dicit ius, qui iudicia exercet, uel qui iurisdictioni præest: ut apud Romanos Pretores: & nostra ætate Iudices.*
Ius respondere.
De iure respondere.
Ius dare.
Ius habere.
Iure esse: *Id est, ius habere: ut iure optimo prædia.*
In ius vocare.
In ius adducere.
In ius educere.
In ius adire.
Ius suum persequi.
Ius suum exequi.
Ius suum tenere.
Ius suum obtinere.
Ius suum retinere.

IVSIVRANDVM.

IVSIVRANDVM *est affirmatio religiosa, sacramentum, fides.*
Ad iusiurandum adigere.
Iusiurandum iurare.
Iusiurando firmare.
Iusiurando deuincire.
Iusiurandum dare.
Iusiurandum conseruare.
Iusiurandum negligere.
Iusiurandum violare.

IVSTA, IVSTORVM.

IVSTA *dicuntur sacrificia, uel exequiæ, quæ mortuis impenduntur: dicta, quod iure fierent iis, qui de nobis uiuentes bene meriti fuerant.*
Iusta facere.
Iusta soluere.
Iusta peragere.
Iustis carere. *Iustis carent, quibus non fiunt iusta.*

IVSTITIVM.

IVSTITIVM *est iurisdictionis intermißio, uel inhibitio.*
Iustitium indicere.
Iustitium edicere.
Iustitium remittere.

L



LABES est uiolenta quædam uel aquæ illuuies, uel tempestatis, grandinis'ue ruina: aut cùm terra in altissimū hiatum, uel barathrum aperitur. Cic. de Diuina. 1. Delata etiam ad Senatum labes agri Priuernatis, cùm ad infinitam altitudinem terra desedisset. Dicitur quoq; labes macula in uestimento: & deinde metaphoricè transfertur in homines uituperatione dignos.

Labem inferre.
Labem aspergere.
Labem eluere.

Labor, oris.

LABOR est opera, defatigatio, sudor, assiduitas, animi contentio, uigiliæ.

Laborem afferre.
Laborem imponere.
Laborem delegare.
Laborem suscipere.
Laborem excipere.
Laborem capere.
Labori se dare.
Laborem subire.
Laborem sustinere.
Laborem sustentare.
Laborem ferre.
Labore fungi, uel perfungi.
Laborem impertiri.
Labore se exercere.
Labore se frangere.
Laborem frangi.
Laborem impendere.
Laborem insumere.
Laborem consumere.
Labores exantlare.
Laborem detrahere.
Laborem leuare.
Laborem subleuare.
Labore supersedere.
Labori parcere.
Labore carere.
Labores compensare.

LABRVM.

LABRVM pro margine, & extrema ora fluminis, lacus, fontis, & huiusmodi, quæ leui aquæ motu perluuntur, ponunt aliquando Latini. Labrum quoq; dicitur genus uasis ad lauandum aptum. Labrum item uinarium, lupinarium, uel olearium dicitur, in quo lupinus conditur: uel in quod uinum à lacu, oleum è cortina transfertur. Pars etiam piscis est.

Labris primoribus gustare.
Labris extremis attingere. Labris primoribus, uel extremis gustare, uel attingere, est leuiter aliqui l attingere. Ductum ab ijs, qui cibum, aut potum tenuiter degustant, nihil inde in stomachum transmittentes.

LACHRIMA.

LACHRIMA est humor ex oculis flentium manans. Lachrimæ etiam arborum dicuntur Theophrasto humor naturalis, quem interdum ipsæ arbores foris ostendunt: uel qui in ipsis interioribus partibus continetur.

Lachrimas mouere.
Lachrimas excire.
Lachrimas excutere.
Lachrimas deducere.
Lachrimas cadere.
Lachrimis se tradere.
Lachrimis se dedere.
Lachrimas effundere.
Lachrimas profundere.
Lachrimas tenere.
Lachrimas exarescere.
Lachrimas consumi.

LAETITIA.

LAETITIA est exultatio animi, quæ gaudio efferuentiore fieri solet propter euentum rerum expetitarum.

Lætitiam facere.
Lætitiam afferre.
Lætitiam dare.
Lætitiam obijcere.
In lætitiam conijcere.
Lætitia afficere.
Lætitia efferre.
Lætitiam capere.
Lætitiam percipere.
Lætitijs incedere. Id est, exilire.
Lætitia exilire.
Lætitia exultare.
Lætitia perfrui.
Lætitiam adimere.
Lætitiam detrahere.
Lætitiam labefactare.

LAMENTATIO.

LAMENTATIO est ægritudo cum eiulatu.

Lamentationem fieri.
Lamentatione complere.

LANGOR.

LANGOR propriè est defectus uirium, & succi naturalis.

Langorem afferre.
Langori se dare, uel dedere.

LAPIDA

LAPIDATIO.

LAPIDARE *est lapidibus cædere, uel obruere. Vnde lapidatio uerbale ducitur.*

Lapidationem facere. *Cice. in Verr. Fit magna lapidatio. Idem pro Dom. sua: Inde facis facta lapidatio est.*

LAPIS.

LAPIS *est silex, uel saxum.*

Lapidem iacere.
Lapide aliquem appetere.
Lapide percutere.
Lapidibus obruere.
De lapide emptus. *Cicero homines uilissimos de lapide emptos uocat. Nam prisco more Præcones ex lapide facere præconium solebant: ubi Mancipia quoq; uenalia, Præconis uoce uenalia solebant pronuntiari.*
Ad tertium, ad quartum lapidem: & similia. *Lapidibus apud Veteres miliaria signabantur: ideirco lapis quandoq; pro miliario ponitur. Vnde ad quartum lapidem, & similia frequentissimè apud Latinos Scriptores reperias.*

LAQVEVS.

LAQVEVS *est uinculum: uel pro quacunq; re ponitur, qua irretiri, & capi possimus.*

Laqueum tendere.
Laqueo irretire.
In laqueum collum inserere.
Laqueo uitam finire: *Id est, suspendio.*
Laqueum declinare.
Laqueum euitare.

LARGITIO.

LARGITIO *est liberalitas, uel expensa, quæ fit ad aucupandum fauorem in petitione Magistratuum.*

Largitionem fieri.
Largitionem intermittere.
Largitionem reprimere.
Largitionem claudere.

LASSITVDO.

LASSITVDO *est molestia, quam ex labore suscipimus.*

De lassitudine languere.
Lassitudinem abigere.
Lassitudinem eximere.
Lassitudinem abstergere.

LATEBRA.

LATEBRA *locus est, in quo aliquid delitescere, & occultari potest. Per translationem uariè usurpatur: poniturq; pro excusatione, uel declinatione rei alicuius obiectæ.*

Latebram quærere.
Latebram dare.
Latebram habere.
In latebram se conijcere.
E latebris erumpere.

LATIBVLVM.

LATIBVLVM *dicitur, ubi feræ se occultant. Dicitur etiam de hominibus.*

Latibulum quærere.
Latibulis se tegere.
E latibulis se inferre.

LATROCINIVM.

LATROCINIVM *est latrocinandi actus.*

Per latrocinium aliquid auferre.
Latrocinio opprimere.
Latrocinia ab aliquo loco depellere.

LATVS, eris.

LATVS *dicitur, quod est infra axillam. Ponitur etiam pro uiribus, & spiritu. Dicuntur & latera insulæ pro extremis utrinq; partibus. Et homines à latere uocamus: Id est, charos, & amicos Principū, & qui eorū lateribus semper adsunt.*

Ad latus alicuius sedere.
A lateribus alicuius nunquam discedere.
Lateribus ualere.
Latus offendere.
Latus alicui condolere.

LAVDATIO.

LAVDATIO *est laudantis oratio, commendatio, uel oratio funebris.*

Laudationem facere.
Laudationem adhibere.

LAVS.

LAVS *est præconium, commendatio, uel gloria.*

Laudem quærere.
Laudem petere.
Laudem asciscere.
Laudem uenari.
Laudem libare.
Ad laudem incumbere.
Laudem haurire.
Laudem comparare.
Laudem sibi parere.
Laudem colligere.
Laudem adipisci.
Laudem capere.
Laudem excipere.
Laudem nasci.
Laudem consequi, uel assequi.

Laudem habere. *Habet aliquis laudem de nobis, qui laudes nostras effert, celebrat: id quod eo modo dicitur, quo orationem habere. Habet etiam res laudem, quae laudabilis est.* PRIORIS VSVS EXEMPLVM. *Cic. ad Att. xiij. Bruti nostri quotidianis, assiduisq; laudibus, quas ab eo de nobis haberi permulti mihi renuntiarunt, commotum istum esse aliquando scripsisti.* POSTERIORIS. *Cice. in Bruto: Breuitas in uniuersa eloquentia laudem non habet.*

In laude esse. *In laude esse idem est, quod laudem habere.*

Laudibus procedere.

Laudibus florere.

Laudibus cumulari.

Laudibus abundare.

Laudem alicuius florere.

Laudi fauere alicuius.

Laudi suffragari.

Laudi seruire.

Laudi subuenire.

Laudi alicuius praeesse.

Laudem impertiri.

Laudem concedere.

Laudem transfundere.

Laudibus afficere.

Laudem tribuere.

Laudibus ornare.

Laudibus illustrare.

Laudes alicuius celebrare.

Laude aliquem celebrare.

Laude ferre, vel efferre. *Non semper simplex est haec locutio, sed saepe dicimus laude ferre, uel efferre in coelum, uel ad coelum.*

Laudibus in, vel ad coelum tollere.

Laudes diffundere.

Laudi dare.

In laude ponere. *In laude ponere idem est quod laudare. Quod non solum de rebus dicitur, sed de personis etiam interdum: & sic dicitur aliquis in laude poni, pro laudari.*

Laudi esse.

Laudem praeripere.

Laudibus obscuritatem afferre.

De laudibus delibare.

Laudem minuere.

Laudem imminuere.

Laudem obterere.

A laude abesse, *Pro laude carere.*

Laudem referre. *Cicero: Lucius Flaccus ueterem Valeriae gentis in liberanda patria laudem prope quingentesimo anno retulit.*

LAXAMENTVM.

LAXAMENTVM *propriè est dilatatio. Translatè tamen pro remissione accipitur, non sine elegantia.*

Laxamentum dare.

Laxamentum nancisci.

LECTVS.

LECTVS *idem est quod cubile, locus scilicet, super quo quiescimus. Dictus, ut ait Varro, quòd lectis herbis, & frondibus stramenta fecerent. Vel, ut Festus putat, ab alliciendo, quòd fatigatos ad quiescendum alliciat. Apud Antiquos pro loco accipiebatur, super quo sedebant ad mensam: unde triclinium.*

Lectum sternere.

In lecto aliquem collocare.

In lecto esse.

E lecto surgere.

LEGATIO.

LEGATIO *est actus ipse legandi: sed tamen passiuae saepius significationis esse uidetur, quàm actiuae.*

Legationem dare.

Legationem accipere: *Id est, onus suscipere legationis obeundae.*

Legationem habere.

In legatione esse.

Legationem gerere.

Legationem obire.

Legationem renuntiare: *Id est, quod uulgò dicimus, Legatos referre id, quod in legatione gesserint.*

LEGATVS.

LEGATVS *dicitur orator, uel autor, qui defert mandata alterius. Vel dicuntur Legati nuntij pacis, & belli, curatores, interpretes bellici consilij, ministri muneris prouincialis.*

Legatum decernere.

Legatum legare.

Legatum mittere.

Legatum venire.

LEGIO.

LEGIO *ab eligendo dicta est, quòd leguntur milites in delectu.*

Legiones decernere.

Legiones scribere.

Legiones conscribere.

Legiones conficere.

Legionibus supplementum scribere.

Legionem explere.

Legionem accire.

In legiones distribuere.

Legiones dare.

Legiones habere.

Legionibus praeesse.

LENITAS.

LENITAS *est quasi quædam mollitia, siue lenitudo, aut quædam animi moderatio. Conuenit uerò & personis, & rebus alijs.*

De lenitate deducere.

Ad lenitatem reuocare.

Ad lenitatem se dare.

LENOCINIVM.

LENOCINIVM *est Lenonis actus. Ponitur etiam pro exquisitiore quadam elegantia. Pro delinimento, uel allectamento quoq; aliquando est.*

Lenocinium facere: *Id quod est Lenonis.*

Lenocinium à re aliqua petere.

Lenocinijs se dedere.

LEVAMENTVM.

LEVAMENTVM *idem est, quod alleuatio, uel fomentum.*

Leuamento esse aliquid alicui.

LEVATIO.

LEVATIONIS, *& leuamenti eadem est significatio.*

Leuationem ab aliquo expectare.

Leuationem reperire.

Leuationem fieri.

Leuationem habere. *De re est hæc locutio, & actiuè sumitur: nempe ut res leuationem habeat, à qua leuationem expectamus: scilicet doloris, ægritudinis, & rerum molestarum uel consolationem, uel depulsionem.*

Leuationi esse.

Leuationem afferre.

LEX.

Legis significatio uel priuata, uel publica est. Priuata est, cùm accipitur pro conditione, iure, pacto: aut pro forma, & typo. Publica uerò est, cùm ad constituendam Rempublicam, & ius suum cuiq; tribuendum pertinet: poniturq; pro rogatione, priuilegio, scito, iure, iussu populi, Principis decreto, Iudicis sententia.

Legem rogare. *De hoc loquendi genere uide multa in Secundo Tomo nostrorum Commentariorum in dictione Rogatio Column. 669.*

Legem iubere.

Legem ferre, uel perferre.

Legem sancire.

Legem sciscere.

Legem condere.

Legem facere.

Legem scribere.

Legem incidere, uel figere. *Leges incidebantur antiquitus in æs, uel etiam in marmore, ut perpetuæ essent: & in Capitolio, uel in aliquo loco publico figebantur, ut omnibus essent apertæ. Sic uideas à Latinis dici æra Legum: ut apud Ciceronem in Catil. Cùm legum æra ictu fulminis liquefacta sunt. Idem de Diui. AEra legum de cœlo tacta.*

Legem promulgare.

Legem dare.

Legem ponere.

Legem imponere.

Legem constituere.

Legem instituere.

Legibus astringere.

Legem accipere.

In legem iurare.

Legem obseruare.

Legem conseruare.

Legem aliquem tenere.

Legibus teneri.

Lege agere. *Multiplex est huius locutionis usus. Aliquando enim pro eo accipitur, quod uulgò dicimus, facere demandam. Plau. in Aulular. Lege agito mecum, molestus ne sis, & cœnam coque. Teren. in Phor. Vna iniuria est tecum. D. Lege agito ergo. P. Altera est tecum, Chreme. D. Rape hunc. Lege agere dixit, pro bonorum possessionem secundum Tabulas petere, uel ex testamento agere. Cice. in Verrem: Quis unquam isto Prætore Chelone inuita lege agere potuit? Id est, iure legibus constituto certare. Erant enim certis legibus iudicia constituta.* PRETEREA *dicunt Latini lege agere, pro, uinctos uirgis cædere, & deinde securi ferire, exequendo scilicet sententiam, quam Iudex tulit. Quod uulgò dicimus explicare: id est, implere, explereq; iussum iudicis, & ultra progredi, hoc est, non intercedere intercessioni. Titus Liuius de Campanis loquens: Fuluius acceptas literas, neq; resolutas cùm in gremio reposuisset, Præconi imperauit, ut Lictorem lege agere iuberet. Id est, ut ex officio suo ageret, & sententiam in damnatos exequeretur. Val. rius Maxi. Lib. iij. Deligatis ad palum hostibus, literas à Patribus Conscriptis nequicquam Campanus saluæres accepit. In sinistra manu, sicut erant traditæ, reposuit, ac iusso Lictore lege agere, tunc demum aperuit, postquàm illis obtemperari non poterat.* EST QVOQVE *lege agere, idem quod actionem, & querelam inofficiosi intendere. Cice. de Orat. 1. Alter plus lege agendo petebat, quàm quantum lex in Duodecim tabulis permiserat. Idem: Cùm egisset lege in hereditatem paternam testamento exheres filius, quæsitum est de iure ciuili, possetne paternorum bonorum exheres esse.*

Legi intercedere.

Legem repudiare.

A lege discedere.

Legem infirmare.

Legem irritam facere.

Legem dissoluere, *Pro infirmare.*

Legem illidere. *Pro dissoluere.*

Legem conuellere.

Legem conculcare.

Legem perrumpere.

Legem perfringere.

Legem abrogare.
Legem antiquare.
Legem delere.
Legem tollere.
Lege ſoluere: *Id eſt, quod nunc dicunt, diſpenſare. Vel eſt lege ſolui idem, quod lege non teneri.*
Legem interire.

LIBER, a, um.

LIBER *dicitur, qui ſui eſt iuris, ac mancipij: aut qui in ſua poteſtate eſt: id eſt, ingenuus, & nullius dominationi parens: cui opponitur ſeruus. Generaliter etiam poni ſolet pro non impedito, re nulla implicato. Conſtructionem autem eam habet, ut ſit:*
Sine caſu.
Cum ablatiuo.
Cum accuſatiuo, & præpoſitione ad.
Cum ablatiuo, & præpoſitione ab.

LIBER, bri.

LIBER *modò pro Bacho: modò pro cortice accipitur. Accipitur etiam pro opere, uolumine, ſcriptis, uel monumentis. Et aliquando Opus integrum ſignificat: aliquãdo pro certa parte Operis eſt: ut Vergilij AEneis in duodecim Libros diſtinguitur. Hæc tamen libri ſignificatio, quæ pro uolumine accipitur, ducta eſt à libro pro cortice. Nam ante uſum chartæ in cortice ſcribebant, quæ, ut modò diximus, liber appellabatur. Quare nunc etiam chartas ſcriptas, & uolumina Libros appellamus.*
Librum euoluere.
Librum peruolutare.
Librum percurrere.
Librum legere.
Librum componere.
Librum ſcribere.
Librum contexere.
Librum edere.
Librum excidere.
Librum foras dare.
Librum emittere.
Librum in lucem proferre.
Librum euulgare.
Librum exire.

LIBERI.

LIBERI *ſunt filij.*
Liberis operam dare: *id eſt, generare.*
Liberos ſuſcipere.
Liberos habere.

LIBERTAS.

LIBERTAS, *ut uolunt Grammatici, in loquendo accipitur in bonum, cùm quis non timidè (quod ſeruile eſt) ſed ingenuè, & liberè, hoc eſt, ut liberum hominem decet, loquitur. Licentia uerò in malum, quando hac libertate abutitur uſq; ad temeritatem, & procacitatem: unde Quintili. Quæ in alijs libertas eſt, inquit, in alijs licentia uocatur. In agendo quoq; ſimili modo: ut liberè fecit, liberè egit: id eſt, digna libero homine. Cicero ſæpe de liberè dictis, ac factis loquitur: & de licentia Clodiana queritur. Hæc Grammatici. Tu uerò ut paucis libertatis ſignificationem habeas: uel libertatis, & licentiæ differentiam. Libertas à uitio remotior eſt: licentia uitio magis affinis: ut uix libertatem in malam partem poni uideas ſine adiectiui, aut alius nominis adiunctione, quod uitium deſignet.*
Libertatem proponere.
Libertatem dare.
Libertatem conſtituere.
Libertatem largiri.
Libertatem concedere.
Libertatem accipere.
Libertatem recipere.
Libertatem habere.
Libertatem tenere.
Libertatem retinere.
Libertatem præcîdere.
Libertatem occludere.
Libertatem adimere.
Libertate ſe abdicare.
Libertatem amittere.
Libertatem perdere.
Libertatem recuperare.

LIBIDO.

LIBIDO *generali ſignificato ponitur pro cupiditate effrenata, & impetu quodam animi non recto: uel pro quælibet uoluntate temere ſuſcepta. Voluntas enim eſt, quæ aliquid cum ratione deſiderat, Quæ autem aduerſus rationem incitata eſt uehementiùs, ea libido eſt. Aliquando uerò pro luxuria, & mulieroſitate accipitur.*
Libidinem exoriri.
Libidinem habere.
Libidini ſuæ parêre.
Ad libidinem ſuam aliquid facere.
Libidinem cohibere.
Libidinem conſtringere.
Libidinem frangere.

LICENTIA.

LICENTIA *eſt libertas immoderata, uenia, uel impunitas quædam rerum diſſoluta.*
Licentiam dare.
Licentiam permittere.
Licentiam concedere.
Licentiam largiri.
Licentiam obtinere.

Licentiam nancisci.
Licentiam assequi.
Licentiam habere.
Licentiam possidere.
Licentiam patêre.
Licentiam præcidere.
Licentiam demere.
Licentiam tollere.

LICITATIO.

LICITATIO *est auctio, uel hasta.*
Licitationem facere.

LICITATOR.

LICITATOR *appellatur, qui precium auget.*
Licitatorem apponere.

LIMEN.

LIMEN *dicitur, quod ex transuerso in ianua est. Etiam superiorem ostij partem significat.*
Limine pedem efferre.
Limine prohibere.

LINEA.

LINEA *filum omne dicitur ex lino, & quicunque tenuis funiculus. Sic lineam uocamus filum illud, quo Fabri materiarij utuntur ad signandam materiam. Et quoniam ab hac, si rubrica, uel alio colore intincta fuerit, figura designatur longa sine latitudine, atque altitudine, ea quoque figura linea uocatur.*
Lineam tenere in re aliqua.
Lineam transire.

LINGVA.

NOTA *est linguæ significatio. Dictam uolunt Grammatici à lingendo, uel ligando: quòd liget cibum. nam cibos ui sua conglobat, ac deprimit, in uentremque transmittit: Seu quòd ipsa dentium septis, quasi muro uallata, & ligata sit. Pro sermone etiam, uel sermonis uarietate ponitur: ut cùm dicimus linguam Græcam, linguam Italicam, linguam Gallicam.*
Lingua consistere.
Lingua celeri, uolubili, & excitata esse.
Lingua hæsitare.
Lingua titubare.
Linguis fauere: *Id est, silere.*
Linguam comprimere.
Linguam astringere.
Linguam compescere.
Linguam incîdere.
Linguam abscindere.
Linguas hominum uitare. *Id est, sermones dissipatos, uel maledicta.*

LIPPITVDO.

LIPPVS *dicitur, qui oculos habet lachrimantes, cùm putredo ab ijs defluit. Lippitudo est ipse morbus.*
Lippitudinem depellere.

LIS.

LIS, *ut plurimum, quidem in foro uersatur: interdum tamen extra forum est, & pro rixa, uel qualibet concertatione ponitur.*
Litem creare.
Litem serere.
Litem intendere.
Litem inferre.
Litem contestari.
Litem perorare: *Id est, causam dicere.*
Litem dare: *Id est, iudicare. Cic. pro Rosc. Comœdo: Paulò antè M. Perpenna P. Saturij tabulas poscebamus: nunc tuas C. Fanni Chereæ solus flagitamus, &, quominus secundum eas lis detur, non recusamus.*
Litem æstimare. *Lis æstimata uocabatur, pecunia mulctatitia, & nummaria sententia: ut hodie, cùm Iudices certa summa, actorum dispendia, & incommoda æstimãtes, certæ pecuniæ Reos damnant. Sic in iudicio repetundarum fiebat. Nam repetundarum causa ita se habet, ut, si Reus conuictus sit, atque damnatus, is pecuniam reddat lite æstimata: hoc est, in precium redactis omnium furtis: quam summam pecuniæ proscriptis damnati bonis Sectores curabant. Litis autem æstimatio ita appendix erat damnationis, ut hodie ex formula iudiciali: id est, quod damna, & interesse uocant.*
Litem capitis æstimare. *Id est, actione rei prosequutoria non uti: sed criminaliter intendere, &, ut uulgò loquuntur, conclusiones capitaleis concipere.*
Litem suam facere.
Litem in rem suam uertere.
Litem perdere.
Litem amittere.

LITERA.

LITERA *tam in singulari, quàm in plurali numero uariè accipitur. In singulari numero elementum aliquando significat, quod dicimus: ut, a, b, c, d, &c. Aliquando scribentis manum denotat.*

PRO ELEMENTO.

CICERO *Famil. ij. Ille cùm ad Thermum de Parthico bello scriberet, ad me literam nunquam misit. Idem: Herodi*

mandaram, ut mihi ſcriberet: à quo adhuc nulla litera eſt. Idem de Orat. Cuius ingenium, uarioſque ſermones immortalitati ſuis ſcriptis Plato tradidit, cùm ipſe literam Socrates nullam reliquiſſet.

PRO SCRIBENTIS *manu*.

CICERO *ad Att. Alexidis manum amabam, quòd tam propè accedebat ad ſimilitudinem tuæ literæ.*

LITERAE.

LITERAE *in plurali numero, quemadmodum in ſingulari, duplicem ſignificationem habent. Etenim pro epiſtola nonnunquam ponuntur. Nonnunquã etiam pro ſtudijs.*

PRO EPISTOLA.

CVM *pro epiſtola uſurpatur hæc dictio, uariam elegantiam habet aut cum Adiectiuis, aut cum Subſtantiuis, aut cum Verbis.*

CVM ADIECTIVIS.

Literæ vnæ.
Literæ quotidianæ.
Literæ antemeridianæ.
Literæ pomeridianæ.
Literæ recentes.
Literæ proximæ, *Pro recentibus.*
Literæ veteres.
Literæ antiquæ.
Literæ humanæ.
Literæ humanitatis ſale ſparſæ.
Literæ ſuaues.
Literæ facetæ.
Literæ amabiles.
Literæ officio refertæ.
Literæ officij, & amoris plenæ.
Literæ aculeatæ.
Literæ ſtomachoſæ.
Literæ atroces.
Literæ odioſæ.
Literæ ardentes.
Literæ minaces.
Literæ acerbæ.
Literæ diſertæ.
Literæ rerum plenæ.
Literæ inanes.
Literæ languidæ.
Literæ ſomnum afferentes.

CVM SVBSTANTIVIS.

Literarum ſermo.
Literarum prudentia.
Literarum diligentia.
Literarum multitudo.
Literarum crebritas.
Literarum frequentia.
Literarum loquacitas.
Literarum breuitas.
Literarum intermiſsio.
Literarum interuallum.
Literarum raritas.
Literarum exemplum. *Dicitur literarum exemplum, ſicut cæterarum rerum, quod Barbari dicunt, copiam: & literæ ſcriptæ eodem exemplo: id eſt, eadem forma. Pro exemplo etiam exemplar dicitur.*

CVM VERBIS.

Literas ſcribere.
Literas exarare. *Exarare literas uerbo tranſlato dicimus, pro ſcribere. Exarare enim propriè ad rem ruſticam, & agriculturam pertinet: ſed per tranſlationem ſcribere ſignificat. Nimirum qui ſtylo ſcribunt, & lineas in codicillis ducunt, ij quaſi ſulcos, Aratorum exemplo, ducere uidentur. Obſeruabis tamen diligenter in hoc uerbo tacitam quandam breuitatis ſignificationem ineſſe. Exarare enim ponimus, cùm deſignamus aliquid à nobis uel negotiorum oppreſsis magnitudine, uel faſtidioſè, & negligenter, lenteq; non tam penè ſcriptum, quàm quoquo modo excidiſſe.*
Literas conficere.
Literis appellare.
Literis alicui obſtrepere.
Literas elicere.
Literas mittere.
Literas dare. *Literas illi damus, qui laturus eſt: & ad illum, qui accepturus eſt. Adde huc, dare, & mittere abſolutè poni eleganter, pro literas dare, uel mittere. Cic. Fam. vij. Quò mitterem, aut cui darem, neſciebam. Idem ad Att. i. A te ideo antea rariùs ſcripſi, quòd nõ habebam idoneum, cui darem: nec ſatis ſciebam, quid darem.*
Literas committere.
Literis committere, vel mandare. *Cic. ad Q. fratrem ii. Etiam illud te moneo, ne quid ullis literis committas, quod, ſi prolatum ſit, moleſtè feramus. Idem ad Attic. iiij. Præterea ſunt quædam domeſtica, quæ literis non committo.*
Literas perferre.
Literas afferre.
Literas referre.
Literas reddere.
Literas dare: *Id eſt, reddere.*
Literas accipere.
Literas venire alicui ab aliquo.
Literas volare: *Id eſt, celeriter afferre.*
Literas commeare.
Literas intermittere.

Literas

Literas conquiescere.
Literas oblanguere.
Literas expectare.
Literas requirere.
Literas desiderare.
A literis tempus mutum.
Literas in alienum, vel in alicuius manus incidere.
Literas intercipere.
Literas resignare.
Literas recitare.
Literas aliquid loqui. *Cicero Famil. iij. Tamen eadem illa letiora fecerunt literæ tuæ, non solùm quia planius loquebantur, & uberiùs, quàm uulgi sermo, &c.*
Literis rescribere.
Literis respondere.
Literis persoluere. *Pro respondere.*

PRO STVDIIS, ET *disciplinis.*

Literis se dare.
Literis se dedere.
Ad literas se referre.
In literas se abdere.
Literis se inuoluere.
Literas attingere.
Literas discere.
Literas vorare.
Literas esse in aliquo.
Literas scire.
Literis tinctus.
Literis instructus.
Literis præditus.
Literis politus.
Literis doctus.
Literis eruditus.
Literas nescire.
Literas ignorare.

LOCVS.

LOCVS dicitur, quicquid aliquid continet: siue ubi quicquam consistit. Et dicimus locos, uel loca in plurali numero. Per translationem ad mulia conuertitur, ut in locutionibus uidebis. Præterea loci, uel loca in plurali numero sæpe à Latinis usurpantur pro utero fœminæ: matricem etiam uocant. Sunt igitur loci, in quibus ascendi initia consistunt. Suos etiam locos, uel loca habent volucres, in quibus scilicet oua formantur. Interdum quoq; sunt loci sedes argumentorum: quæ quidem sedes intra se continent argumenta, & ex quibus ipsa argumenta petenda sunt. Adhæc ponitur locus pro eo, quod passum Barbari dicunt. Ponitur item pro genere: ut summo loco natus. Insuper capitur crebrò locus pro occasione, opportunitate, facultate, statu, numero, vel parte. Sic sæpe ad rerum rationem, & personarum dignitatem refertur.

Ex loco superiore, æquo, vel inferiore agere. *Ex, uel de loco superiore agere dicitur Orator, qui pro Rostris agit. Ex æquo, qui in Senatu. Ex inferiore, qui ad Iudices. Qui loquendi modi ex absoluto linguæ Latinæ seculo sunt, & elegantia non uulgari scatent.*
Loco summo natus.
Loco infimo, obscuro, vel ignobili natus.
Loco: *Id est, opportunè.*
In loco, *Pro opportunè, uel dignè.*
Locum esse, *Pro decere.*
Loco secundo, *Pro præterea.*
Loco priore, vel posteriore causam dicere. *Priore loco causam dicere, est antè defendere, quàm quis sit accusatus. Posteriore autem loco dicere, est defensorem esse, & pro Reo dicere.*
Si eo, vel isto loco essem. *Si eo, uel isto loco essem dicunt Latini, pro, si meum esset negotiũ, si mea res ageretur.*
Nullo loco alicui deesse, *Pro nusquam deesse.*
Locum nullum prætermittere iuuandi, aut nocendi.
Loco rei alicuius putare. *Cic. Famil. vij. Criminis loco putant, quòd uiuam.*
Loco rei alicuius ponere. *Cic. Famil. vij. Reliquum est, ut te idipsum, quod ego quasi consolationis loco pono, maximè excruciet.*
In loco ponere. *Cic. Famil. iij. Ne id, quod petat, exigere magis, quàm rogare, & in beneficij loco ponere uideatur.*
In loco rei alicuius reponere. *Cic de Orat. ij. Si placebit, uos meam defensionẽ in aliquo artis loco reponetis.*
In loco ducere. *Cic. in Verr. Ipsi in Hostium numero, loco'que ducemini.*
In loco obijcere.
Loco numerare.
In loco numerare.
Loco habere. *Cic. Cur eum habes loco patrui?*
In loco habere.
In loco fratris diligere.
Loco, vel in loco parentis colere.
Loco præmij petere.
In loco beneficij deferre.
Locum relinquere.
Locum dare.
In locum substituere, vel restituere.
In locum deduci. *Cic. Famil. iiij. Quantum nos fefellerit, & quem in locum res deducta sit, uides.*
In locum redire.
In locum succedere.
In locum ascendere.
In locum venire. *Cic. Res in eum locum uenerat, ut, nisi id factum esset, in potestatem hostium ueniendum fuisset.*

In locum peruenire.
Locum nancisci.
Locum capere.
Locum habere.
Locum tenere.
Locum obtinere.
Loco esse, *Pro statu esse.*
Loco esse aliquo apud aliquem.
Locum esse alicui vel personæ, vel rei.
Loco, vel in loco fratris, parentis, præmij, & rerum similium esse.
Loco stare, *Pro statu esse.*
Loco moueri.
Loco deijci.
Loco deturbari.
Loco cedere.
Locum restituere.
In locum restituere.
Locum seruare.

LONGVS.

LONGVS *idem est quod longinquus, diuturnus, procerus, productus.*
Ne longus sim.
Ne longum faciam.
Longum nimis esset, narrare: &c.

LVCRVM.

LVCRVM *est quæstus, compendium, fœneratio.*
Lucrum ligurire.
Lucrum facere.
In lucro ponere. *Id in lucro ponere se dicebant Antiqui, quod uelut præter spem eueniebat.*
Lucro, vel lucrum esse.

LVCTATIO.

LVCTATIO *est actus luctandi. Per translationem eleganter pro contentione accipitur.*
Luctationem esse alicui cum aliquo.

LVCTVS.

LVCTVM *ita Cicero Libro.iiij. Tusc. interpretatur. Luctus, inquit, est ægritudo ex eius, qui charus fuerit, interitu acerbo. Luctum tamen & ipse, & Latini omnes etiam extra letalem casum usurpant: neque ferè est, in quo mœror, luctus, tristitia que differant: nisi fortè tristitiam reliquis præcedere dicas, & mœrorem, luctum que communem tristitiæ formam esse arbitreris: id que non ineptè. Nam luctum, mœrorem, squalorem ita positos uideas, ut non temere absque communi calamitate, & casu in orationem ueniant. A quibus non planè abest gemitus: qui tamen non ita animum profligat, sed tantùm ægritudinis signum est. Verbis alijs luctum exponit Valla, sed eodem planè sensu. Luctus, inquit, est dolor, qui exterius proditur uultu ipso, atque aspectu. Sæpe ipse habitus, uultus, atque uestis luctus est. Vnde.ij. de Bel. Punico: Post cladem illam Cannensem censuerunt P. C. ne fœminæ ultra triginta dies in luctu essent: non uidelicet, ne in dolore (non enim imperare dolori possumus) sed ne in illo lugubri habitu. Et Matronæ Iunium Brutum anno lugere: tanto tempore item P. Valerium. Laurentij Vallæ expositionem, quoniam non incommoda uidetur, hic adiunctam habes. Nunc ad locutiones uenio.*
Luctum habere. *Habere luctum res dicitur, quæ in luctum nos uocat. Cic. de Leg. Habet luctum concursus hominum.*
In luctum vocare.
Luctum haurire.
In luctum incidere.
Luctum percipere.
In luctu esse.
Luctu præditum esse.
In luctu iacêre.
In luctu manere.
Luctu confici.
Luctum augere.
Luctum leuare.
Luctum tollere.
Luctum deponere.

LVDIBRIVM.

LVDIBRIVM *dicitur res uana, & deridenda. Cic. pro Domo sua: Libertatis signum posuisti ad ludibrium impudicitiæ magis, quàm: &c. Idem in Paradox. Ille hæc ludibria Fortunæ ne sua quidem putauit, quæ nos appellamus etiam bona.*
Ludibrio esse. *Ludibrio esse idem est, quod falli, uel irrideri ab aliquo.*
Ludibrio haberi. *Significato conueniunt hæc, & proxima locutio. Idem est enim ludibrio haberi, quod ludibrio esse: id est, despectui, & contemptui.*

LVDVS.

LVDVM, *& iocum ita distingunt Grammatici, ut ludum in facto esse uelint: iocum uerò in uerbo. Est uerò ludus, munus, spectaculum, uel scena. Videtur etiam poni pro loco, in quo quis exercetur, docetur'ue. Sic dicimus ludum palestræ, ludum pilæ, ludum gladiatorium, ludum musicum, ludum literarium, pro schola, in qua pueri dant operam. Hinc etiam manat locutio, quæ est, ludum aperire, pro Ludimagistrum agere.*
Ludus est, *Pro facile est. Cic. de Orat. ij. Omnium cæterarum rerum oratio, mihi crede, ludus est homini non hebeti. Idem de Finib. i. Illa discere, ludus est.*
Ludos facere. *Id est, deridere.*
Ludo, vel per ludum. *Vice Aduerbij funguntur hæ duæ locutiones. Ludo autem, uel per ludum facere dicimur, quod ludibundi facimus, uel in speciem, & modum ludi.*

PRO SPECT.

PRO SPECTACVLIS *publicis.*

Ludos apparare.
Ludos curare.
Ludos facere.
Ludos edere.
Ludos committere. *Ludos committere, est ludos celebrare, facere, uel edere.*
Ludos intermittere.
Ludos instaurare.
Ludos accipere.
Ludos spectare.

PRO LOCO.

Ludum aperire. *Id est, ludimagistrum agere.*

LVMEN.

LVMINIS *propria significatio nota est: ponitur enim pro luce. Per translationem uariè à Latinis usurpatur. Ponitur nempe pro præstãtia, aut præstabili nota, & iudicio, uel celebritate. Interdum etiam accipitur pro quodam quasi adiumento: quod licet uix extra propriam significationem egrediatur, tamen ad opem, uel subsidium, uel ornamentum reflectitur. Sed hoc maximè in obscuris. Vt, lumen memoriæ afferre: lumen rebus adhibere. Alij sunt per hanc uocem loquendi modi. Vt, lumina ciuitatis. Lumen autem ciuitatis dicitur, qui ciuitati præ cæteris ornamento est: aut cuius uirtute, & nomine clara est ciuitas: uel in quo diuina quædam uirtus elucet.*

Lumen afferre.
Lumen adhibere.
Lumen præferre. *Lumen præferre per metaphoram ponit Cicero, pro consilium dare, uel mentem inijcere, uel moderari, aut in re aliqua gubernare, & ducem esse. Quod dictum est ab ijs, qui nobis in tenebris prælucent: id est, qui ante nos lucem, uel lumen ferunt, quorum quasi ductu ambulamus, & progredimur.*
Luminibus obstruere.
Luminibus officere.
Lumen extinguere.

LVNA.

NOTAE *est significationis nomen.*

Lunam crescere.
Lunam laborare.
Lunam senescere.
Lunam deficere.
Lunam decrescere.

LVTVM.

LVTVM *idem est quod cœnum.*

In luto uolutari.
Luto oblini.

LVX.

LVX *pro lumine ponitur. Ponitur etiam pro die: sed differt prima luce à prima die. Nam ibi intelligitur prima pars diei, & quasi diluculum. Hic autem prima dies. Translatè modò pro uita: modò pro auxilio, uel ope: modò pro ornamento: modò pro celebritate accipitur.*

Ante lucem.
Prima luce.
Luci.
Luce.
Lucis usuram dare.
Lucis usura frui.
Lucem aspicere.
Lucem accipere.
Lucis usuram eripere.
Lucis usuram denegare.
In lucem aliquid proferre: *Id est, euulgare.*

LVXVRIA.

LVXVRIA *interdum superfluitas, & nimia profusio est: uel sumptuosior cibi, uestitus, & aliarum rerum cura. Interdum uerò libidinem significat.*

Luxuriam creare.
Luxuria diffluere.
Per luxuriam bona sua profundere.
Luxuriam tollere.

M

MACHINA.

MACHINA *est inuentio, machinatio, consilium, dolus, quo decipere, uel commouere aliquem conamur. Est quoque instrumentum, quo moles aliqua facilè, quòcunque uolueris, impelli potest.*

Machinam comparare.
Machinam commoliri in quempiam.
Machinam adhibere.

MACVLA.

MACVLA *propriè est sordes, & turpitudo, qua pannus infici possit. Sed quoniam maculis infectus pannus turpior esse solet, fit, ut macula à Latinis pro turpitudine, & infamia ponatur. Aliam etiam habet significationem, & pro foramine Retis, uel plaga accipitur. Aliquando etiam pro Reti ipso.*

Maculam concipere. *Cic. pro Rosc. Amer. Magnam possidet religionem paternus, maternusq; sanguis: ex quo si qua macula concepta est, non modò laui non potest: uerùm usq; eò permanat ad animum, ut summus furor, atque amentia consequatur.*
Maculæ esse.
Maculam inurere.
Maculis aspergere.

Macula afficere.
Maculam suscipere.
Maculam eluere.
Maculam delere.

MAGISTER.

MVLTA uide de hoc nomine in Primo Tomo nostrorum Commentariorum. Generaliter appellatur magister doctor, praeceptor, autor.

Magistrum habere aliquem ad aliquid faciendum.
Magistro aliquo uti.

MAGISTRATVS.

MAGISTRATVS significat eum, qui in potestate aliqua est constitutus: ut est Consul, Proconsul, Praetor, Propraetor, & alij, qui ciuitatibus, & Prouincijs praesunt. Animaduertes etiam, magistratum uitiosum apud Romanos dici solitum, qui aut non satis enucleatis suffragijs, aut contra Augurum, qui de Coelo seruassent, obnunciationem, neque saluis auspicijs designaretur. Quod si planè intelligere uoles, secundam Ciceronis Philippicam tibi legendam censeo.

Magistratum petere.
Magistratum creare.
Magistratum ordinare.
Magistratum constituere.
Magistratum facere.
Magistratum legere suffragijs.
Magistratum mandare.
Magistratum committere.
Magistratum dare.
Magistratum designare.
Magistratum declarare.
Magistratum renunciare.
Magistratum adipisci.
Magistratum assequi.
Magistratum accipere.
Magistratum inire.
In magistratum uenire.
Magistratum ingredi.
Magistratum gerere.
Magistratum habere.
In magistratu esse.
Magistratum peragere.
Magistratum infringere.
Magistratum abrogare.
Magistratu mouere.
Magistratum deponere.
Magistratu se abdicare.
Magistratu abire.
Magistratum imminuere. *Dicebant Antiqui magistratum imminuere, id quod dicimus derogare uiribus, & praerogatiuis officij.*

MAGNIFICENTIA.

MAGNIFICENTIA est rerum magnarum, & excelsarum cum animi ampla quadam, & splendida propositione cogitatio, & administratio.

Magnificentiam adhibere.

MAGNITVDO.

MAGNITVDO est amplitudo, grãditas, moles, ubertas.

Magnitudinem animi inflectere.

MAGNVS.

MAGNVS dicitur amplus, non paruus, non mediocris, latè, longè que patens. Et refertur tum ad res, quam ad personas. Cum uerò ad personam pertinet, ponitur pro praestanti, uel excellenti, aut potenti: uel pro eo, qui praecipua quadam autoritate est, & celebritate. Ac dicitur aliquis magnus in re aliqua: uel magnus re aliqua.

Magnum est, id uerbis assequi. *Magnum in neutro genere positum, illustriorem nõnunquam elegantiam habere uidetur, maximè cũn loco substantiui est. Cic. pro Plancio: Decertare mihi ferro magnum fuit cum reliquijs eorum, quos ego florentes, atque integros sine ferro uiceram. Idem Tusc. 1. Nostros non norunt, quos enumerare magnum est: ita sunt multi.*

Magnum facere. *Magnum facere, est augere, uel efferre. Quod loquendi genus tum ad personas, quam ad res pertinet. Et facimus magnum uerbis, laude, fama, bonis, copijs, & rebus alijs istiusmodi.*

MAIESTAS.

MAIESTAS propriè, apud Romanos, Populi erat. Populus enim sciscere solebat, & iubere: quod tangit Cic. iij. de legib. Senatus autem autoritas dicebatur: nam Senatus censebat, & autor erat. Hanc tamen differentiam perpetuò à Cicerone obseruari non uideas. Etenim Senatus Maiestas plerunque à Latinis uocatur. Maiestas autem uulgò est omnis amplitudo, & dignitas uel Principis, uel Imperatoris, uel Populi, uel Senatus: transfertur que nonnunquam ad alia. Nempe & in oratione maiestatem pro graui quodam gestu, & oris constantia dicimus: ut apud Cic. de Amic. Quanta, inquit, illi, Dij immortales, fuit grauitas? quanta in oratione maiestas? Sed iam ad locutiones.

Maiestatem constituere.
Maiestatem conseruare.
Maiestatem retinere.
Maiestatem minuere.
Maiestatem imminuere.
Maiestatem soluere, *Pro minuere.*
Maiestatem laedere.

MALEDICTVM.

MALEDICTVM est conuicium, probrum, uel contumelia.

Maledictum

Maledictum arripere.
Maledicta in aliquem dicere.
Maledicti loco ponere.
In maledicti loco obijcere.
Maledictis lacessere.
Maledictis aliquem appetere: *Pro lacessere.*
Maledictum in aliquem conijcere.
Maledicta in aliquem conferre.
Maledicta congerere.
Maledictorum notis inurere.
Maledictis figere.
Maledictis vexare.
Maledictis obruere.
Maledictum extinguere.
Maledictum effugere.

MALEFICIVM.

MALEFICIVM *& pro animi uitio ponitur: & pro damno, quod ab homine malefico infertur.*
Maleficium suscipere.
Maleficium facere.
Maleficium committere, vel admittere.
Maleficio se contaminare.
A' maleficio temperare.
A' maleficio prohibere.
Maleficium persequi.

MALEVOLENTIA.

MALEVOLENTIA *est mala gratia: uel uoluptas ex malo alterius sine emolumento suo.*
Maleuolentia suffusus.
Maleuolentia infuscatus.
Maleuolentiam deprecari.
Maleuolentiæ occurrere.
Maleuolentia liberare.

MALITIA.

MALITIA *est fraus, uel calliditas: uel est uersuta, & fallax nocendi ratio: uirtuti scilicet contraria uitiositas.*
Ad malitiam doceri.
Malitiæ insimulari.
A' malitia discedere.
A' malitia refugere.

MALVM.

MALVM *est damnum, incõmodum, uel detrimentum.*
Malùm. *Hac particula utebantur Antiqui illi Romani antiquæ eloquentiæ parentes, cùm aliquem seueriùs, atq; asperiùs increpabant. Et id maximè cum interrogatione.*
Malum nasci.
Malum imminere.
Malum impendêre.
Malum erumpere.
Malum manare.
Malum serpere.
Malum crescere.
Malum ingrauescere.
Malum dare.
Malum afferre.
Malum excitare.
Malum facere.
Malum contrahere.
Malum inurere.
Malis onerare.
Malis vrgere.
Malis opprimere.
Malum sustinere.
In malis esse.
In malis iacêre.
Mala exhaurire.
Mala subire.
Malum habere.
Malum cauere.
Malum sanare.
Malum sedare.
Malum depellere.
E' malis emergere.
Malis liberari.

MALVS.

MALVS *prima longa, & genere masculo dicitur arbor nauis.*
Mâlum erigere.
Mâlum scandere.
Mâlum incîdere.
Mâlum vento quassari.

MANCIPIVM.

MANCIPIVM *est homo in bello captus, & serui- tuti subiectus: dictum, quòd manu capiatur. Est etiam dominium, & mancipatio.*
Mancipi res. *Mancipi (pro mancipij) res dicuntur omnes, quæ abalienari possunt: id est, quæ à nostro dominio ad alterius transire possunt. Cic. pro Mur. Quòd si in rebus repetendis, quæ mancipi sunt, is periculum præstare debet, qui se nexu obligauit: &c.*
Mancipij sui esse: *Id est, nullius dominio subiectũ esse.*
Mancipio dare: *Est rem ita dare, ut euictionem praestaturos nos spondeamus.*
Mancipio accipere. *Est ea lege emere, quæ modò dicebamus, mancipio dare.*

MANDATVM.

MANDATVM *est res mandata.*
Mandata exposcere.

Mandata dare alicui ad aliquem.
Mandatis onerare.
Mandata accipere ab aliquo.
Mandata recipere.
Mandata habere ab aliquo ad aliquem.
Mandata afferre.
Mandata perferre.
Mandata deferre.
Mandata exponere.
Mandata curare.
Mandata agere.
Mandata persequi.
Mandata digerere.
Mandata explicare.
Mandata conficere.
Mandata efficere.
Mandata exhaurire.
Mandatis satisfacere.

MANE.

MANE *est primo diluculo, prima luce.*
Multo mane.
Bene mane.
Cras mane.
Postridie mane.

MANES.

MANES *sunt animæ inferorum: uel Dij manes.*
Manes mortuorum expiare.
Manes mactare.
A' Dijs mânibus venire: *Id est, ab inferis.*

MANVS.

MANVS *aliquando est corporis membrum notum. Aliquando pro potestate per translationem ponitur. Aliquando multitudinem hominum significat: & tunc belli, uel pugnæ est. Ergo sic locutiones distinguemus, ut in primo membro locutiones sint nihil ad hominum multitudinem, uel pugnam ineundam pertinentes. In altero totæ ad hominum multitudinem, & pugnam ineundam pertineant.*

PRIMI MEMBRI *locutiones.*

Manus pro litera scribentis. *Cic. ad Q. fratr. Hæc inter cœnam Tironi dictaui: ne mirere alia manu esse. Ibidem: Occupationum mearum signum tibi sit Librarij manus. Idem ad Att. ij. Nunquam arbitror te epistolam meam legisse, nisi mea manu scriptam. Idem: Alexidis manum amabam, quòd tam propè accedebat ad similitudinem literæ tuæ: manum non amabã, quia indicabat, te non ualere. Idem: Sum admiratus, quòd nihilominus ad me tua manu scripsisses. Idem: Quæ quidem epistolæ omnes erant tua manu.*
Plena manu: *Id est, abundanter, & affluenter. Cic. ad Attic. At hercle alter tuus familiaris quàm plena manu, quàm ingenuè, quàm ornatè nostras laudes in astra sustulit.*
Manibus, pedibus'que: *Extremum conatum significantes dicimus, manibus, pedibus'que.*
Manum de tabula: *Cic. Heus tu, manum de tabula: Magister adest citius, quàm putaramus. Videtur hac prouerbiali figura Cicero admonuisse, ut desisteret à scribendis dicterijs.*
Manum habere sub pallio. *Manum habere sub pallio dicuntur, qui languent ocio.*
Manum ferulæ subducere. *Est literas discere, & Præceptorum opera uti.*
In manum incidere.
In manum venire, vel peruenire.
Ad manum accedere.
In manum sumere.
In manu tenere.
Ad manum habere, vel esse. *Ad manum haberi, uel esse dicitur, quod in promptu est, ut quasi manu teneatur.*
In manu esse. *In manu esse dicitur, quod in potestate est.*
In manu esse, *Pro suppetere. In manu esse, pro suppetere, uel diuitem esse, ponunt aliquando Latini.*
De manibus ponere.
De manibus deponere.
E' manibus dimittere.
Manu mittere. *Manu mittimus seruos, cùm eis libertatem damus.*
De manu tradere in manum.
De manu iacere.
Ne manum quidem vertere: *Id est, ne tantilli facere.*
Manus tendere. *Manus tendimus aliquid deprecantes: ut solent ij, qui deditionem significant.*
In manum conuenire.
Inter manus. *Inter manus, idem est quod collatis simul manibus aliquem sublimem ferre. Aliquando uerò per translationem significat in potestate esse, uel in usu.*
Sub manu, vel sub manus. *Sub manu esse idem est, quod expeditum esse, uel in promptum usum. Sub manus uerò succedere, est aliquid feliciter, & ex sententia contingere.*
Per manus. *Per manus est, quod ineptè dicunt, de manu in manum: uel de manu unius, in manum alterius. Aliquando tamen de uno solo intelligitur.*
Per manus tradita disciplina, vel historia. *Per manus tradita disciplina, uel historia dicitur, quæ non monumentis literarum, sed uerbo tantùm traditur, & à Maioribus ad Posteros sine literis transmittitur.*
Præ manibus. *Id est, quod insulsè dicunt, in manibus.*
Præ manu dare. *Præ manu dare, est, quod uulgò dicunt, ante omnia, uel ante manum dare.*
Manu factus. *Manu factum uocant Latini, quod non natura factum est, sed hominum opere: ut portus manu factus: mons manufactus: & similia, quæ nobis manu, &*

opere construimus, atque erigimus siue natura adminiculis, uel beneficio.

Manus pro proboscide Elephanti. *Manus non solum hominis est, sed etiam Elephantorum. Vocatur autem manus à Latinis proboscis Elephanti, quòd ea in decerpendo pabulo pro manu utatur. Plinius: Resoluunt Elephanti manu Draconum nodos.*

SECVNDI MEMBRI
locutiones.

SECVNDI *membri locutiones sunt, cùm hoc nomen ad rem bellicam, uel controuersiam asperiorem, pugnam'que ineundam, & uim inferendam pertinet. In quo id praecedit, ut primùm sit pro multitudine comparata ad uim iam dictam faciendam.*

Manum cogere.
Manum facere.
Manum habere.
Manum distinere.
Manum confirmare.
Ad manus venire: *Id est, ad dimicandum, uel ad arma uenire.*
Manum afferre: *Id est, uim facere.*
Manum inferre.
Manus inijcere.
Manus conserere.
Manus conferre.
Manus abstinere, vel continere.

MARE.

QVANQVAM *hoc nomen uulgare est, attamen in eo quaedam notare possumus, quae doctrinae laude non careant.*

Mare claudere.
Mare circunfundi.
Mare sedari.
Mare componi.
Mare coelo miscere, vel confundere. *Mare Coelo miscere, uel confundere, prouerbialis est hyperbole, pro eo, quod est, omnia perturbare, nihil'que non facere.*
Terra, mari'que. *Hoc loquendi genere utuntur Latini, cùm summam, maximam'que diligentiam in re aliqua quaerenda, & inuestiganda adhiberi denotant.*

MARMOR.

MARMOR *genus est lapidis.*

Marmor coelare.
Ex marmore aliquid facere.
In marmore incidere.

MARS.

MARS *apud antiquos Deus belli est creditus: sed eum modò pro Deo, modò pro stella, modò pro bello poni uideas.*

Meo marte, tuo marte, suo marte. *Translatum est hoc loquendi genus ab Imperatoribus, qui suis copijs bellum gerunt, & sustinent. Atque hac locutione utimur, cùm nullis aliunde auxilijs adiuti nostro ipso ingenio, proprijs'que uiribus rem peragimus. Aut etiam cùm periculo nostro negotium conficitur.*

MATERIA.

SIGNIFICAT *O proprio positum hoc nomen denotat syluam (in quo ligna omnia comprehenduntur) uel pro ligno sumitur, quod est inter corticem. Poni etiam uideas pro palmite, qui de nouello nascitur, & in tenero alligatus dependet. Ea est generalis materiae, uel materiei significatio: quam ut familiariter traditam habeas, pro eo poni scias, quicquid fit, uel excrescit, uel ex nimiùm excrescente demitur. Per translationem accipitur pro facultate, argumento, campo, segete.*

Materiam dare.
Materiam praebere.
Materiam nancisci.
Materiam habere.
Materiam crescere.
Materiam subtrahere.
Materiam adimere.

MATRIMONIVM.

MATRIMONIVM *est maris, & foeminae coniugatio.*

In matrimonio collocare.
In matrimonium dare.
In matrimonium ducere.
In matrimonium habere.
Matrimonium tenere, *Pro in matrimonio habere.*

MATVRITAS.

MATVRITAS *non solùm frugum est: sed ad alia etiam transfertur, ponitur'que pro tempestiuitate, pro absolutiori quadam perfectione, processu, grauitate, accessione, commoda, & idonea occasione.*

Maturitatem dare.
Maturitatem afferre.
Maturitatem venire.
Maturitatem assequi.
Maturitatem habere.
Maturitatem esse. *Cic. ad Att. Inducendi Senatusconsulti maturitas nondum est.*
Maturitatem abesse.
Maturitatem nondum venisse.

MEDICAMENTVM.

MEDICAMENTVM *est remedium, uel medicina.*

na. Quod in translatione est perelegans.
Medicamentum dare.
Medicamentis partum abigere.

MEDICINA.

NON *solùm uulneribus medicinam facimus: sed etiam molestijs, & afflictorum difficultatibus.*
Medicinam exercere.
Medicinam afferre.
Medicinam adhibere.
Medicinam facere.

MEDIOCRITAS.

MEDIOCRITAS *est modus, nec nimiũ, nec parum.*
Mediocritatem tenere.

MEDITATIO.

MEDITATIO *est commentatio, uel exercitatio.*
In meditatione rei alicuius versari.

MEDIVS.

MEDIVM *est, quod mensuratum æqualiter distat ab extremis. Medium etiam dicitur, quicquid inter duo extrema est, tametsi non æqualiter distet: uel generaliter accipitur pro interiecto: uel sumitur pro dubio, uel ambiguo: ut, medium responsum: medius sermo: media uocabula, quæ & in bonam, & in malam partem accipi possunt. Qualia sunt, tempestas, ualetudo, facinus, dolus, gratia, industria, periculum, nobilis, insignis, & nonnulla alia. Dicitur & medius, qui neutriùs partem sequitur. Et sic refertur etiam ad personas.*
De medio sumere. *Genus hoc loquendi satis explicabunt exempla sequentia, sine nostra interpretatione. Cic. pro domo sua: Hæc non sunt quæsita ex occulto aliquo genere literarum, sed sumpta de medio, ex rebus palam per Magistratus actis. Idē in Orat. Verba hæc sunt sumpta de medio.*
In medium vocare.
In medium afferre.
In medium proferre.
In medio ponere.
In medio proponere.
In medium consulere. *Vergil. AEneid. xj. Consulite in medium, & rebus succurrite fessis: Id est, in commune.*
In medium venire.
In medio esse.
In medio relinquere.
Medium tenere.
E' medijs alicuius partibus esse.
De medio recedere.
E' medio excedere, *Pro mori.*
E' medio pellere.
E, vel de medio tollere.
E' medio remouere.

MEDVLLA.

MEDVLLA *dicta est, ut tradunt Grammatici, quòd in ossibus media sit. In translatione multam habet elegantiam.*
In medullis alicuius hærere. *Id est, ualde charum esse, ut nusquam ex illius animo, memoriáque excidas.*
In medullis alicuius aliquem, vel aliquid inclusum esse. *Vt proxima locutio, item etiam hæc ad amorem, uel ad memoriam refertur.*
In medullis insidere.

MEMORIA.

MEMORIA *priuata est, uel publica. Cùm priuata est, significat recordationem. Cùm publica est, monumentum designat. Præterea est actiuæ, uel passiuæ significationis. Sic dicimus aliquid in memoria nostra insidere. Et aliquem teneri nostri memoria. Atque hæc sæpe accipitur pro ætate, uel tempore. Cic. in Vatinium, Quod in hac Republ. non modò factum antè nunquam est, sed in omni memoria est omnino inauditum.*
Post hominum memoriam. *Loquendi hic modus est perelegans, & Latinis creberrimus: quem ita Barbari corrupere, ut multi nunc dicant: ab omni hominum recordatione. In eo uerò id obseruabis: Post hominum memoriam Latinos dicere, cùm uel maximè laudant, uel maximè uituperant. Adde etiam: post negationem, uel post comparatiuum, uel superlatiuum ferè poni. Post homines natos, idem etiam significat.*
In memoriam incurrere rei alicuius.
In memoriam incidere.
Memoriam repræsentare.
Memoriam relinquere.
Memoriam afferre.
Memoriam excitare, vel ad memoriam.
Memoria repetere, vel memoriam.
Memoriam recordari.
Memoriam colligere.
Memoriam accipere.
Memoriam excipere.
Memoria complecti.
Memoria compræhendere.
Memoriam prosequi.
Memoriæ tradere.
Memoriæ prodere.
Memoriæ consecrare.
Ad memoriam propagare.
Memoriæ mandare.
Memoriam habere. *Memoriam habere, actiuæ est, & passiuæ significationis. Cùm actiuæ est significationis, ponitur pro recordari. Ci. in Acad. Habuit diuinam quandam memoriam rerum: uerborum maiorem Hortensius. Cùm passiuæ est intelligentiæ, dicitur res memoriam habere, quæ excitetur*

excitetur nobis memoria. Cic. ad Att. iiij. Habet AEdilitas eius memoriam non ingratam.

In memoria habere.

Memoriam esse, vel memoria. *Memoriam esse, idem est, quod recordari: quod tamen passiuae etiam significationis esse potest, ut sit, memoriam haberi. Cic. ad Attic. xiij. Is C C. iugera de Marco Pylio emit, ut mea memoria est: id est, ut recordor, uel memoria teneo. Memoria uerò esse, idem est, quod memoriam habere: id'que sensu actiuo. Cicero de Orat. ij. Non tam acri memoria ferè quisquam est, ut non dispositis rebus ordinem uerborum, aut sententiarum complectatur: neque uerò tam hebeti, ut nihil hac consuetudine adiuuetur.*

In memoria esse aliquid alicui.

Memoriam tenere. *Varius est hic loquendi modus: tenet enim nos rei alicuius memoria: uel memoriam rei tenemus. Vtrunq; tamen idem significat, nisi quòd alterum per nominatiuum est: alterum per accusatiuum.* PER NOMINATIVVM. *Cic. Vt aliquando nos, Italiam'que uniuersam memoria mei, misericordia, desiderium'que teneret.* PER ACCVSATIVVM. *Cic. Famil. vj. Velim ita statutum habeas, me tui memoriam summa cum beneuolentia tenere.*

Memoria tenere.

Memoriam retinere.

Memoria retinere.

Memoriam vsurpare.

Memoriam seruare.

Memoriam conseruare.

Memoria sepire.

Memoria custodire.

In memoria insidere.

In memoria hærere.

Memoria vacillare.

Memoriam obscurare.

Memoriam delere.

Memoriam abstergere.

Memoriam extinguere.

E memoria euellere.

Memoriam adimere.

Memoriam expellere.

Memoriam tollere.

Memoriam, vel ex memoria deponere.

Memoriam abijcere.

Memoria dilabi. *Cic. Philip. xiij. Sunt alij plures fortasse: sed mea memoria dilabuntur.*

A' memoria elabi.

Memoriam ab, vel ex aliquo discedere. *Cic. de Somn. Scip. Nunquam ex animo meo discedit illius optimi, atque inuictissimi uiri memoria.*

Memoriam mori.

Memoriam referre.

Memoriam refricare, vel memoria.

Memoriam replicare. *Cic. pro Sylla: Si quæris, qui sint Romæ Regnum occupare conati, ut ne replices annalium memoriam, ex domesticis imaginibus cognosces.*

Memoriam renouare.

Memoriam redintegrare.

Ad memoriam reuocare.

In memoriam reducere.

In memoriam redigere.

In memoriam redire.

MENDACIVM.

MENDACIVM *est orationis uanitas. Mendacium dicere, & mentiri, quemadmodum distent, P. Nigidius (inquit Nonius) manifestissimè ostendit. Qui mentitur, ipse non fallitur, alterum fallere conatu[illegible] mendacium dicit, ipse fallitur, quantum in se est. [illegible] bonus præstare debet, ut non mentiatur: prudens, ne mendacium dicat.*

Mendacijs affluere.

Ex mendacio totum compositum esse.

Mendacio aliquem fallere.

Mendacijs aspergere aliquid.

A' mendacio contra verum stare.

A' mendacio temperare.

MENDICITAS.

MENDICITAS *est inopia, uel paupertas.*

Mendicitatem perpeti.

In mendicitate esse.

Ex mendicitate emergere.

MENDVM.

MENDVM *est erratum, uel uitium.*

Mendis corrumpi.

Mendum corrigere.

Mendum tollere.

MENS.

NVLLA *neque interpretatione, neque exemplorum congerie opus est ad mentis significationem explicandam, quæ pro animo, ratione, sensu, intelligentia'que capitur: per se enim satis patet. At interdum pro consilio, cogitatione, uoluntate'que ponitur: tum'que maximè uarijs loquendi modis abundat.*

Mentem dare.

Mentem inijcere.

In mentem impellere.

Mentem suscipere.

Mente esse. *Cic. Famil. vj. Simus igitur ea mente, quam ueritas, & ratio præscribit. Idem: Cæsar est ea mente, quam optare debemus.*

Mentem ad aliquid appellere.

Mentem in re aliqua locare, vel collocare.

Mentem figere.

A' mente deducere.

A' mente auocare.

Mentem flectere.
Mentem mutare.
A'mente desistere.
Mentis error, uel imbecillitas: *Pro amentia, uel insania.*
A'mente discedere, *Pro, de potestate exire, & insanire.*
Mente emota aliquem esse.
Mente captum esse.
De mente deturbari.
De mente deijci.
A'mente d[illegible]
Mentis [illegible].
Mentis compotem esse.
Mente constare.
Mente consistere.
In mentem venire alicui rei alicuius, *Pro recordari.*

MENSA.

MENSA *est, super quam edere solemus. Mensa etiam pro prandio, uel coena quandoque ponitur. Dicuntur & primae, uel secundae mensae pro primis, uel secundis cibis, & epulis. Mensa quoque tabula est, qua Argentarij utuntur. Vnde mensarij dicti Collybistae, & nummularij.*
Mensam extruere.
Mensam apponere.
Mensae accumbere.
Mensae discumbere.
De mensa mittere: *Id est, de ijs, quae mensae apposita sunt.*
Mensam remouere.
Mensam tollere.

MENSIS.

QVID *mensis sit, ita designat Cicero de Nat. Deor. ij. Adhibetur autem ad partus, quòd ij maturescunt aut septem nonnunquam, aut plerunque nouem Lunae cursibus: qui quia mensa spacia conficiunt, menses nominantur. Idem de Vniuersitate: Mensis est, quando Luna lustrato suo cursu Solem consequuta est. Sed de significatione satis: iam ad locutiones.*
Mensem inire. *Mensis, uel annus inire dicitur, cùm incipit.*
Mensem ponere, *Pro consumere.*
Mensem consumere.
Mensem agi: *Vt, iam agitur mensis, cùm.*
Mensem abire.

MENTIO.

MENTIO *est sermo, uel commemoratio.*
In mentionem incidere.
Mentionem facere. *Mentionem facimus rei alicuius, uel de re aliqua.*
Mentionem intermittere.

MERCATVRA.

MERCATVRA *est nundinatio, mercandi scilicet actus.*
Mercaturam facere.

MERCATVS, us, uí.

MERCATVM *ponunt Latini pro nundinis, uel emporio.*
Mercatum instituere.
Mercatum indicere.

MERCES.

MERCES *est pensio, praemium, precium, uel fructus. Poni etiam aliquando apparet hoc nomen pro damno: quanquam propriè sit praemium, quod datur pro labore, siue stipendio.*
Mercedem proponere.
Mercedem constituere.
Mercedem promittere.
Mercedem exigere.
Mercedem tribuere.
Mercedem dare.
Mercedem soluere, vel persoluere.
Mercedem accipere.
In loco mercedis numerare.

MERITVM.

MERITVM *est beneficium, uel promeritum: & sic in bonam partem capitur. Capitur etiam in malam, & ponitur pro culpa. Cic. pro Sest. Nullo meo merito à me alienus esse debebat.*
Meritò.
Merito meo, merito tuo. *Meritò quandoque aduerbium est absolutum: nonnunquam uim aduerbij habet, & adiectiuo iungitur: & ita loquimur, ut sequitur:*
Merito tuo te amo, vel odi.
Merita dare.
Merita summa alicuius in aliquem constare.
Merita magna alicuius in aliquem extare.
Merita alicuius habere.
Merita assequi.
Merita consequi.
Merita ad nihilum uenire. *Cic. Famil. vj. Non dubito pro tua singulari prudentia, quin prospicias, si aliquid firmitatis nactus sit Antonius, omnia illa tua praeclara in Remp. merita ad nihilum esse uentura.*

MESSIS.

MESSIS *proprio nomine dicitur in ijs, quae metuntur, maximè in frumento.*

Messem

Messem facere.
Messem nullam esse.

METVS.

METVS *est expectatio mali. Vel est future ægritudinis sollicita recordatio.*
Metum afferre.
Metum offerre.
Metum iniicere.
Metum obiicere.
Metum incutere.
In metum adducere.
Metu afficere.
Metum habere.
In metu habere, *Pro metuere. Cic. ad Atti. vj. Habeo Iunium, & Quintilem in metu: Id est, metuo.*
In metu ponere; *Id est, metuendum putare, uel proponere.*
In metu esse. *In metu esse, duplici significato à Latinis dicitur: actiuo scilicet, & passiuo. Actiuo significato dicimur esse in metu, cùm metum habemus. Passiuo uerò res in metu esse dicitur, quæ metuitur, & timetur. Cic. in Catil. Me totam esse in metu propter te unum, non est ferendum. Idem: Mihi unum de malis in metu est.*
Metu frangi.
Metu debilitari.
Metu exanimari.
A' metu respirare.
Metum leuare.
Metu leuare.
Metum amouere.
Metum demere.
Metum adimere.
Ex metu eximere.
Metum depellere.
Metum deiicere.
Metum abstergere.
Metu liberare.
Metu vacuus.

MILES.

MILES *est, qui pedes militat: à malitia, id est, duritia, quam pro Republica sustinet, dictus. Aut à multitudine, aut à malo, quod arcet. Militem AElius à mollitia (inquit Festus) per antiphrasim dictum putat, eò quòd nihil molle, sed potius asperum quid gerat. Sic ludum dicimus, in quo minimè luditur: lucum, quòd minimè luceat: bellum, quòd minimè bellum sit.*
Milites imperare.
Milites conquirere.
Milites contrahere.
Milites facere.
Milites scribere.
Milites eligere.
Milites dimittere.
Milites dilabi.
Milites amittere.

MILITIA.

MILITIA *rem militarem significat, uel bellum ipsum.*
Militiæ: *Id est, in militia. Cice. de Orat. iij. Iidem & in Senatu, & apud populum, & in causis amicorum, & domi, & militiæ consilium suum, fidemq; præstabant.*
Militiam subterfugere.

MINAE.

MINAS *uocant Latini terrorem uerborum: quibus, opponuntur blanditiæ.*
Minas iactare.
Minis aliquem consequi.
Minas anhelare.

MINISTER.

MINISTER *est præbitor, administrator, satelles; comes, famulus, seruus.*
Ministrum se præbere alicui.
Ministrum esse consiliorum alicuius.

MIRATIO.

MIRATIO *est actio mirantis.*
Mirationem facere: *Id est, mouere, uel excitare. Cic. de Diuina. ij. Causarum ignoratio in re noua mirationē facit.*

MISERATIO.

MISERATIO *est significatio misericordiæ, qua ex alicuius infelicitate mouemur.*
Miserationem commouere.
Miseratione aliquem permouere.
Miserationem nasci.
Miserationem aliquem subire. *Plin. in Epist. Me recordantem fragilitatis humanæ miseratio subit.*

MISERIA.

MISERIA *est calamitas, uel ærumna.*
In miseriam incidere.
In miserijs versari.
In miserijs esse.
Miserijs cooperiri.
Miserijs leuare.
Miseriam lenire.
Ex miserijs eripere.
A' miseria vindicare.
A' miseria aberrare.

MISERICORDIA.

MISERICORDIA *est miseratio, uel clementia, uel ægritudo cordis ex miseria alicuius iniustè laborātis suscepta.*

Miſericordiam expoſcere.
Miſericordiam requirere.
Miſericordiam captare.
Ad miſericordiam allicere.
Ad miſericordiam uocare, vel reuocare.
Miſericordiam mouere.
Miſericordiam commouere.
Ad miſericordiam adducere.
Miſericordiam concitare.
Miſericordiam habere. *Paſſiue eſt ſignificationis hæc locutio. Et dicitur res miſericordiam habere, in qua facilis ſit cauſa [illegible] die concitandæ.*
Miſericordiam capere. *Miſericordiam capere dicitur, cui concitatur miſericordia.*
Miſericordia capi.
Miſericordia moueri, vel commoueri.
Miſericordiam aliquem tenere.
Miſericordiam adhibere.
Miſericordiam impertiri.
Miſericordiam tribuere.

MODERATIO.

MODERATIO *eſt temperantia, mediocritas, uel modus.*
Moderationem adhibere.
Moderationem tenere.
Moderationem ſeruare.
Moderationem tollere.

MODVS.

MODVS *eſt ratio, uel uia. Dicitur etiam modus agri, certa ſcilicet definitio, uel menſura agri, qua, quot iugera ſint, intelligi poßit. Ponitur quoq; pro compoſitione, modulamine, uel uerſu. Plura curioſius de hoc nomine congeſta ſi habere uelis, ad ſecundum noſtrorum Commentariorum Tomum te conferto.*

Ad hunc modum.
In incredibilem modum.
Mirum in modum.
Mirandum in modum.
In mirabilem modum.
Maiorem in modum.
Intra modum.
Agi aliquid, uel fieri: Placere, uel diſplicere.
Extra modum.
Præter modum.
Supra modum.
Modum metiri: *Id eſt, cenſere, uel æſtimare.*
Modum ſtatuere.
Modum conſtituere.
Modum finire, *Pro conſtituere.*
Modum definire.
Modum terminare.
Modum temperare.
Modum adhibere.
Modum habere. *Habere modum res dicitur, uel perſona. Res, cùm certos quoſdam modi, & rationis uelut cancellos circunſcriptos habet, quos temere, inconſulteq; prætergredi non licet: aut cùm modum quendam ſeruari poſtulat. Perſona uerò, cùm modum in re aliqua tenet.*
Modum exequi.
Modum facere.
Modum tenere.
Modum retinere.
Modum ſeruare.
Modum tranſire.
Modum prætergredi.

MOENIA.

MOENIA *ſunt muri urbis.*
Mœnibus circundare.
Mœnibus ſepire.
Mœnibus cingere.
Mœnibus vallare.
Mœnia diruere.
Mœnia ſolo æquare.

MOEROR.

MOEROR *pro graui luctu, & triſtitia à Latinis poni ſolet: eoq; maximè utimur, cùm perditum, & afflictum rerum ſtatum expreßius deſignare uolumus.*
Mœrorem ad aliquẽ venire: *Id eſt, mœrore affici.*
Mœrorem ſuſcipere.
Mœrori ſe dare.
Mœrore lacerari.
Mœrore vrgeri.
Mœrore affligi.
Mœrore confici.
In mœrore eſſe.
In mœrore uerſari.
In mœrore iacêre.
Mœrorem minuere.
Mœrorem diminuere.
Mœrorem deponere.

MOESTITIA.

MOESTITIA *idem eſt, quod mœror, triſtitia, luctus, ſqualor: cui opponitur hilaritas.*
Mœſtitiam inferre.
In mœſtitia eſſe.
A' mœſtitia vocare.
Mœſtitiæ reſiſtere.

MOLES.

MOLES *pro magnitudine ferè poni ſolet ſiue propriè, ſiue tranſlatè. Sic dicimus molem in Mari, uel portu, pro immenſa ſtructura obiecta ad arcendos fluctus. Sic ponimus molem pro difficultate, quoniam, quæ magna ſunt, difficilia eſſe conſueuerunt. Sic dicimus molem mali, & ſimilia.*

Molem comparare.
Molem extruere.
Molem opponere, vel obijcere.
Mole munire.
Molibus opprimere.
Molem iniuriæ vix sustinere.
Molem mali à ceruicibus Reip. depellere.

MOLESTIA.

MOLESTIA *est cura, solicitudo, angor, negotium, ægritudo permanens.*
Molestiam gignere.
Molestiæ causam dare.
Molestiam afferre.
Molestiam exhibere.
Molestiam aspergere.
Molestia afficere.
Molestiam trahere, vel contrahere.
Molestiam capere.
Molestiam anticipare.
Molestiam suscipere.
Molestiam habere. *Habemus molestiam, cùm molestia afficimur. Habet etiam res molestiam, quæ molestiæ plena, molestiam nobis exhibet.*
Molestijs conflictari.
Molestia fungi.
In molestia esse.
Molestiam leuare.
Molestia leuare.
Molestias mitigare.
Molestiam minuere.
Molestiam diluere.
Molestiam extenuare.
Molestia laxare.
Molestiam dimouere.
Molestiam delere.
Molestiam sedare.
Molestiam depellere.
Molestiam demere.
A' molestia abducere.
A' molestia vindicare.
Molestia liberare.
Molestia expedire.
Molestia priuare.
Molestiam vorare.
Molestiam deponere.
A' molestijs abesse.
Molestijs, vel à molestijs vacuus.
A' molestijs aberratio.
A' molestijs vacuitas.
Molestiam renouare.
Molestiam refricare.
Molestiam augere.

MOLLITIA.

MOLLITIA, *uel mollities est temeritas, uel lenitudo, ignauia, langor animi.*
Ad mollitiem labi.
Mollitie animi esse magna.
Mollitia languere.

MOMENTVM.

MOMENTVM *propriè appellatur, quodcunq; minimum est, ut momentum temporis: id est, exiguum temporis spacium: quod etiam absolutè usurpatur: ut apud T. Liuium: Momento fusi: & momento arx occupata. Translatè uerò momentum idem sonat, quod pondus, uel autoritas: diciturq; res magni, uel parui, uel nullius omnino momenti: scilicet quæ uel magni, uel nihili facienda est. A' momento etiam fit momentaneus: id est, fluxus, caducus, imbecillus, inanis.*
Momentum habere. *Cice. pro Mur. Quem ego nobis, si quid habet aut momenti, aut autoritatis commendatio mea, Consul Consulem ita commendo, ut, & cæt.*
Momenti esse, vel momento.
Momentum esse in re aliqua. *Cice. ad Atti. 1. In quibus putabat nihil omnino esse momenti.*

MONIMENTVM.

MONVMENTVM, *uel monimentum (rectè enim utrouis modo dicitur) est, quod nos alicuius rei præteritæ moneat: ut sepulchra, statuæ, inscriptiones, libri, carmina, historia, documenta, commentaria, literæ, extructio, ornamentum, publicum opus, tropheum, moles. Deniq; quicquid sit illud, quod nos in alicuius rei memoriam reuocat, Latinè monumentum appellatur. Quam monumenti interpretationem confirmat Cicero his uerbis: Ego (inquit) quæ monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor: ad memoriam magis debet spectare Posteritatis, quàm ad præsentis temporis gratiam. Varro ita etiam exponit: Monumenta à monendo, quæ sunt in sepulchris. Et ideo secundum uiam, quò prætereuntes admoneant & se fuisse, & illos esse mortales.*
Monumentum præbere.
Monumenta relinquere.
Monumenta prodere.
Monumentis mandare, vel commendare.
Monumentis celebrare.
Monumentis consecrare.
Monumenta extare.

MONITOR.

MONITOR *est, qui monet.*
Monitorem habere. *Cic. in Sallust. Quos ego habui omnium mearum actionum monitores.*

MONITVM.

MONITVM *est monitio, uel præceptum.*
Monitis aures patere.

Monitis

Monitis auscultare.
Monitis parêre.
Monitis alicuius niti.
Monitis alicuius duci.

MONSTRVM.

MONSTRVM *pro ostento, prodigio, uel portento ponitur. Monstrum item sæpe appellant Latini hominem sceleribus, & uitijs coopertum.*

Monstrum nuntiare.
Monstra dicere.
Monstrum conflare.
Monstrum alere.

MORA.

MORA *est cunctatio, prolatio, procrastinatio, uel tarditas.*

Moram quærere.
Moram acquirere.
Moram afferre.
Moram inferre.
Moram inijcere.
Moram interponere.
Moram adiungere.
Moram iniungere.
Moram facere.
Moram producere.
Moram assequi.
Moram habere.
Moram esse.
Moram esse alicui, *Pro tardare. Teren. in Adelph. Cesso ire intrò, ne mora meis nuptijs egomet siem.*
Moram esse in aliquo: uel moram esse per aliquem.
Moram nullam esse, quin.
Sine mora.

MORBVS.

MORBVS *est habitus corporis contra naturam, qui usum eius facit deteriorem. Aliàs in toto corpore. Aliàs in parte accidere solet. Totius corporis morbus est: ueluti phthisis, & febris. Partis autem: ueluti cæcitas, aut pedis debilitas. Et apud Iurisconsultos scriptum est, morbum, & uitium differre, quòd morbus temporalis sit imbecillitas, & sanari queat: uitium uerò perpetuum impedimentum. Nonnulli morbum esse scribunt totius corporis corruptionem, ueluti febris est. Vitium, cùm partes corporis inter se dissident. Ex quo prauitas membrorum, distortio, deformitas. Morbi autem in animo dicuntur uitia inueterata: ut est auaritia, uel ambitio.*

Morbum nasci.
Morbum adesse.
In morbum cadere.
In morbum incidere.
In morbum delabi.
In morbo esse.
Morbo implicari.
Morbo impediri.
Morbo affici.
Morbo laborare.
Morbo affligi.
Morbo vrgeri.
Morbo confici.
Morbo intabescere.
Morbo opprimi.
Morbum crescere.
Morbum ingrauescere: vel aggrauescere.
Morbum senescere.
Morbo leuari.
E morbo recreari.
Morbum remouere.
Morbum depellere.
Morbo defungi.
Ex morbo euadere.

MORS.

MORS *est interitus, occasus, fatum, letum, supremus uitæ dies, uel discessus è uita.*

Mortem minitari.
Mortem definire, *Pro constituere.*
Mortem imminere.
Mortem impendêre.
Mortem afferre.
Mortem inferre.
Mortem offerre.
Morti obijcere.
Ad mortem dare.
Ad mortem mittere, vel deducere.
Morte afficere.
Morte mulctare.
Mortem sibi consciscere.
Mortem petere.
Mortem oppetere.
Mortem capere.
Mortem obire.
Mortem cum vita commutare.
Mortem deprecari.
Mortem depellere.

MORTVVS.

MORTVVS *est morte deletus, sensu, ac uita carens. Quod nomen non minùs translatè usurpatur, quàm propriè: quemadmodum uerbum, à quo manat. Vt, cùm dicimus mortuum plausum.*

A' mortuis excitare: *Id est, in uitam reducere.*
Mortuo verba facere.
Mortuis mederi.
Mortuos mordere.

Mortuis conuiciari. *Quarum locutionum interpretationem tibi suppeditabunt Erasmi Chiliades.*

MOS.

MOS *est uitæ institutum consuetudine firmatum. Vel est institutum animi, quod sequi debeat consuetudo. Sic ergo erit aliquando pro ingenio. Aliquando pro consuetudine, & modo.*

More suo aliquid facere.
Morem inducere.
In morem perducere, inducere, transferre.
Morem serere.
Morem esse.
Moris esse.
In more esse.
In more positum esse.
More comparatum esse.
More confirmatum esse.
Morem tenere.
Morem seruare.
Morem manere.
De more decedere.
Morem reuocare.
Morem referre.

MOTVS.

MOTVS *est agitatio, pulsus, impulsus, cursus, lapsus. Aliquando refertur ad animum: & tunc ponitur pro perturbatione: uel concitato impetu, & conflata calamitate: ut cùm dicimus motum alicuius in Rempub. comprimi, uel coërceri.*

Motum dare.
Motum efficere.
Motum habere.
Motum moliri.
Motum concitare.
Motum afferre Reipublicæ.
Motum miscere populo.
Motum fieri populi.
Motum prohibere.
Motum comprimere.

MVCRO.

MVCRO *propriè est cuspis, & acumen ensis, ac telorum. Et impropriè ponitur pro ense ipso, ut tectum pro domo. Nec solùm de ense mucro dicitur, sed etiam de alijs rebus: & ponitur pro summo acumine. Vnde apud Plinium herbarum mucrones dicuntur. Ponitur præthereà pro ui, & impetu. Cicero pro Cecinn. Peracutum hoc tibi uidetur: hic est mucro defensionis tuæ: Id est, uis, & impetus, uel fiducia: quia in mucrone gladij præcipua est fiducia defensionis, atq; inuasionis.*

Mucronem in gutture figere.
Mucronem in aliquem exacuere.
Mucronem retundere.
Mucronem à iugulo reijcere.

MVLCTA.

MVLCTA *apud Antiquos solutionis pœna dicebatur.*

Mulctam dicere.
Mulctam irrogare.
Mulctam petere.
Mulctam remittere.
Mulctam condonare.
Mulctæ gratiam facere.
Mulctam alicui depellere.

MVLTITVDO.

MVLTITVDO *est frequentia, celebritas, uel conuentus. Ac tam personarum est, quàm rerum.*

Multitudinem congregare.
Multitudinem cogere.
Multitudinem fugere.
Multitudinem uitare.

MVLTVS.

MVLTVS *est grandis, multiplex, creber, nimius.*

Multum esse in re aliqua: *id est, lasciuire, & copiosum esse.*

MVNIA.

MVNIA *sunt obsequia lege debita, & officia, quæ publicè præstantur.*

Munia sustinere.
Munia obire.

MVNITIO.

MVNITIO *est propriè castrorum, rerumq; cæterarum, quæ contra aduentum hostium muniuntur siue uallo, siue fossa, siue alio quouis modo.*

Munitionibus sepire.

MVNVS.

MVNVS *multiplicis est significationis. Est enim aliquando donum. Aliquando officium significat. Aliquando etiam spectacula, seu ludos, qui à Principe, uel ab eo, qui Magistratu abit, populo quasi muneris loco exhibentur. Nam id genus oblectamenti Antiqui munera nominarunt, quòd populus tali spectaculo, perinde ac munere quodam, capiebatur. Et sic muneris appellatione plerunq; apud Autores Latinos Gladiatores significantur.*

PRO DONO.

Munus dare.
Munus præbere.
Munus largiri.

Munus

Munus mittere.
Muneri mittere.
Munus collocare.
Munus afferre.
Munus concinnare.
Munus verbis ornare.
Munere lenire.
Munere corrumpere.

PRO OFFICIO.

Munus officij. *Duo hæc nomina copulant aliquando Latini non sine quidem elegantia: ut scilicet sit officium, quod à nobis officiosè præstatur. Munus autem sit officij functio, & executio.*
Munus tuum est.
Ad munus reuocare.
Munus deferre.
Muneris loco deferre, *Pro munus deferre.*
Munus mandare.
Muneri præponere.
Muneri præficere.
Munus assignare.
Ad munus instruere.
Munus alicui obuenire.
Muneri succedere.
Munus suscipere.
Munus sustinere.
Muneri præesse.
Munus habere.
Munus colere.
Munus tenere.
Munus obire.
Munus tueri, *Pro obire.*
Munere fungi, vel perfungi.
Munus exequi.
Munus efficere.
Munus conficere.
Munus traducere.
Munus præstare.
Munus explere.
Munus defugere.
Muneris immunitatem dare.
Munus eripere.
Munere orbare.

MVRVS.

MVRVM *pro propugnaculo, uel mœnibus ponunt Latini. Transfertur aliquando percleganter: ut apud Cic. in Piso. Lex AElia, & Fusia propugnacula, muriq; tranquillitatis, & otij.*
Muro sepire.
Muro cingere.
Muro circundare.

MVSA.

MVSAS *Poëtæ finxerunt Deas esse Iouis, & Memoriæ filias, quæ Poëtis, & Musicæ præessent.*
Cum musis commercium habere.
Ad mansuetiores musas se referre.
Cum musis se delectare.
A' musis auersus.
A' musis abhorrens.

MVTATIO.

MVTATIO *est conuersio, motus, uel inclinatio.*
Mutationem habere. *Mutationem habere ea dicuntur, quæ mutari possunt.*
Mutationem moliri.
Mutationem facere.

MVTVVS.

MVTVVS *est pariter, atq; equaliter respondens.*
Mutuum aliquid dare: *Vt, pecuniam, frumentum, & similia.*
Mutuum sumere.

MYSTERIVM.

MYSTERIVM *arcanum Latinè dicitur: uel sit à quo arcani aliquid latet: quodq; non perficitur, nisi occulta aliqua sacrorum ratione, quam nefas est uulgo efferre. Erant enim mysteria sacra arcana, quæ Latini seclusa uocant. Hæc autem duorum generum erant apud Eulesinem terræ Atticæ: Magna, quæ Cereri sacra erant: & Parua, quæ Proserpinæ. In quibus quæ agebantur, summo silentio Sacerdotes occultabant. Erant etiam mysteria quædam festa apud Romanos, ut conijcere licet ex Cicerone ad Atti. v. Velim ad me scribas, quo die mysteria futura sunt. Idem ad Att. vj. Facies me, in quem diem mysteria incidunt, certiorem.*
Mysterium aperire.
Mysterium enuntiare.
Tacitum aliquid tenere, tanquam mysterium.
Mysterium habere: *Cic. ad Atti. Epistolæ nostræ tantum habent mysteriorum, ut eas ne Librarijs quidem ferè committamus.*

NARES

N

NARES.



ARES *sunt nasi foramina: uel latiores nasi partes. Quas sic appellari putant, quòd per ea nasi foramina odoris cuiusq; gnari simus.*

Ad nares aliquid admouere.

NARRATIO.

NARRATIO *est rerum gestarum, aut ut gestarum expositio. Vel est rerum explicatio, & quædam quasi sedes, ac fundamentum constituendæ fidei.*

Narrationem explicare.

Narrationem exponere.

NASVS.

NASVS *dicitur ea pars faciei, quæ à superciliorum confinio oriens, & quasi æquali porrecta iugo utramq; aciem simul & discernit, & munit. Pro acrimonia etiam, & dicacitate aliquando accipitur.*

Naso suspendere: *Id est, uafrè, ac subdolè irridere.*

NATALES.

NATALES *significant conditionem sanguinis, ac familiæ: ut generosi natales.*

Natales obscuri.

Natalibus restituere. *Natalibus restituere, hodie nobilitare uocamus: & nobilitationē, natalium restitutionem. Quod uerbum est in iure frequens. Dicitur uerò natalibus restitui non modò Libertus, ut patronatus obseruatia liberetur: sed etiam Plebeius, cùm ad nobilitatem ascifcitur, quamuis antea nunquam inter nobiles fuerit. Cuius rei ratio hæc esse potest, quòd Gentiles (Gentiles sunt, qui inter se eodem sunt nomine: qui ab ingenuis oriundi sunt: quorum Maiorum nemo seruitutem seruiuit: qui capite non sunt diminuti) ab eis distinguntur, qui ingenuitatem intactam, illibatamq; non habent, sed aliqua conditione obnoxiam: cuiusmodi sunt Plebeij omnes, qui ipsi, Maiores'ue eorum seruitutem aliquam seruierunt. Propterea igitur natalibus restitui dicuntur, qui ad nobilitatem uocantur, quasi abstersa natalium Plebeiorum sordida conditione, & in priscam, communemq; ab initio generi humano ingenuitatē repositis illis, qui hoc beneficio affecti sunt.*

NATALIS, NATALE, natalitius.

NATALIS, *uel natale sumitur pro die, quo quis natus est. Idem significat natalitius.*

Natalitia dare. *Natalitia dare dicunt Latini, quod uulgus soluere festum dicit.*

NATVRA.

NATVRA *non uno tantùm significato usurpatur: quanquam propriè natura nihil aliud est, quàm quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Ponitur etiam pro hominum, & rerum Parente. Ad animata separatim aliquando pertinet, siue ea rationis participia sint, siue expertia: & tunc ponitur pro ingenio, & habitu quodam corporis, uel animi, quo uegeti sumus, uel malè affecti: ac tunc corporis planè est. Vel quo aliquid sequimur, amamus, repudiamus: seu id in uitio positum sit: seu laudem, commendationemq; referat. Ita natura ipsa homines, animaliaq; bruta uel bene ualent: uel ægra ualetudine premuntur. Natura item ipsa libidinosi, iracundi, luxuriosi, gulosi'ue sumus, aut in aliud quoduis uitium propendemus, atq; delabimur. Vel natura impellente Virtuti nos dedimus, & laudis uiam ingredimur. Eodem sensu, & significato dicitur etiam aliquando natura de inanimatis. Etenim ut in animatis pro habitu uel corporis, uel animi est: ita cùm de inanimatis dicitur, eum persæpe sensum retinet. Præter id tamen ponitur etiam pro ui: ut, cùm dicimus naturam ignis, naturam sulfuris, naturam ueneni, & similium.*

Natura, *Pro per se, uel sua sponte. Cice. pro Marcel. Victoria natura insolens est.*

Natura comparatum, uel insitum: *Id est, aptitudine naturæ innatum.*

Naturam ferre, vel se habere. *Natura se ita habet, uel fert, idem significat, quod, sic est natura, uel sic est uita, uel naturale est, ut: & cæt. Cice. Natura fert, ut eis faueamus, qui: & cæt. Idem in Tusc. Natura sic se habet, ut, quomodo initium nobis rerum omnium ortus noster afferat: sic exitum mors.*

Naturæ satisfacere.

Naturæ cedere: *Id est, mori.*

Naturæ concedere.

In naturam alicuius aliquid cadere.

In naturam conuertere.

NATVS.

NATVS *idem est, quod editus, procreatus, factus.*

Natus ex aliquo, uel ab aliquo.

Natus rei alicui.

Natus ad rem aliquam.

Natus viginti annos, vel annis.

Natus ad quinquaginta annos.

NAVFRAGIVM.

NAVFRAGIVM *uulgò est nauis fractio. Ponitur etiam pro periculo nauigandi, uel nauigationis damno, & infortunio: idq; propriè. Translatè uerò sumitur pro calamitate, damno, iactura, uel exitio.*

Naufragium facere.

Naufragium colligere.

Naufragium reficere.

NAVICVLARIA.

IN HOC *nomine subintelligi solet ars: sic erit ars nauicularia.*

Nauicularíam facere: *Id est, artem nauicularium exercere, uel profiteri: uel ex nauicularia arte uictum sibi quærere. Vt argentariam facere: aruspicinam facere: pyraticam facere.*

NAVIGATIO.

NAVIGATIO *est cursus maritimus. Quod nomen exempla habet, in quibus, ut in nauigare, commoditatem, & incommoditatem inesse uideas. Etenim ut dicimus, commodè, bellè, rectè, feliciter nauigare: ita commodam, bellam, felicemq; nauigationem dicere possumus: atq; iis contrariam opponere.*

Nauigationi se committere.
Nauigationem subire.
Nauigationem impedire.
Nauigationem præcludere.
Nauigationem omittere.

NAVIGIVM.

NAVIGIVM *dicitur omne genus nauis, quo nauigamus.*

Nauigium facere.

NAVIS.

NAVIS *significatio sine explicatione per se satis patet: explicatione igitur non opus est; nisi id habere uelis, ante quam ad locutiones ueniam, naues dici eam in fluminibus, quàm in Mari ipso: nauibus enim usus est Cæsar in Ligeri, & in Mari Britannico.*

Nauem comparare.
Nauem ædificare.
Nauem instruere.
Nauem sumere. *Nauem sumere dicitur gubernator nauis, uel uectores etiam ipsi.*
Nauem conscendere.
Ad nauem ascendere.
Nauem gubernare.
Nauem tenere, *Pro gubernare.*
Nauem ex portu educere.
Nauem deducere.
Nauem subducere.
Nauem ad terram detrahere.
Nauem constituere.
E' naui egredi.
E' naui desilire.
E' naui se proijcere.
Nauem frangere.
Nauem euertere.
Nauem deprimere. *Naues deprimi dicuntur, cùm tormentis bellicis dissolutæ submerguntur.*
Naues interire.
Nauem reficere.
Nauem colligere.

NAVSEA.

NAVSEA *est stomachi ad uomitum ex graui odore perturbatio. A naui nomen deductum, ex cuius sentina mouetur plerunq; uomitus. Vel ex cuius frequenti, & inordinato motu subuertitur stomachus, & ad uomitum concitatur. Per translationem pro fastidio sæpe à Latinis ponitur.*

Nauseam excitare.
Nauseam habere.
Nauseam facere, *Pro uomere.*
Nauseam inhibere.
Nauseam discutere.
Nauseam abire.

NECESSARIVS.

NECESSARIOS *quidam uocant eos, qui aut cognati, aut affines sunt, in quos necessaria officia conferantur præter cæteros. Quæ mihi interpretatio ut non displiceat, uerùq; parte ex aliqua uideatur, certum est tamen, necessarium etiam à Latinis dici, qui nulla nos neq; affinitate, neq; necessitudine attingat, sed qui ex nostris familiarissimis, atq; intimis sit.*

Necessarium alicuius esse.
Necessarium aliquem alicui esse.
Necessarium aliquem imprimis habere.

NECESSE.

NECESSE, *uel necessum dicitur, quod, ut aliqua cogente, fieri opus est. A' cesso uerbo: quia non sit in eo cessandum. Est autem adiectiuum, quod plus uehementiæ habet, quàm opus.*

Necesse esse.
Necesse habere.

NECESSITAS.

NECESSITAS *est uis quædam, quæ nos cogit ad aliquid moliendum, uel faciendum.*

Necessitatem habere. *Necessitatem habere ea dicuntur, quæ necessaria sunt.*
Necessitatem afferre.
Necessitatem imponere.
Necessitatem obuenire.
Necessitate cogi.
Necessitate premi.
Necessitate astringi.
Necessitatem effugere.
Necessitati parère.
Necessitati seruire.

NECESSITVDO.

NECESSITVDO *aliquando pro necessitate accipitur. Sed aliter sæpius usurpatur: differtq; nonnihil à consuetudine. Nam necessitudine constituta intercedit consuetudo: id est, familiarior quidam amicitiæ usus. Ponitur etiam pro affinitate, & sanguinis coniunctione.*

Necessitudinem constituere.
Necessitudinem facere, uel efficere.

Necesitudinem adiungere.
Ad necesitudinem adiungere.
Necesitudinem coniungere.
Necesitudine circunuenire.
In necesitudinem recipere.
Necesitudinē intercedere alicui cum aliquo.
Necesitudinem habere cum aliquo.
Necesitudine attingere.
Necesitudinem colere.
Necesitudinem conseruare.

NEFAS.

NEFAS *idem est quod iniquitas: uel accipitur pro impio: uel execrabili. Et tunc adiectiuum est: ut nefas dictu.*
Nefas habere. *Cice. de Natu. Deor. iij. Quartus Mercurius Nilo patre natus est: quem AEgiptij nefas habent nominare.*

NEGLIGENTIA.

NEGLIGENTIA *est indiligentia, pigritia, incuria.*
Negligentiæ se dedere.
Negligentia languere.
Negligentia plecti.
Negligentiam fugere.

NEGOTIVM.

NEGOTIVM *quid significet, per se satis notum est: est enim occupatio. Interdum tamen à uulgari significato est remotius, & pro molestia ponitur, uel periculo.*

PRO MOLESTIA.

Negotium alicui facessere.
Negotium alicui exhibere.
Negotium alicui efficere.

PRO OCCVPATIONE, *munere, uel opere.*

Negotio nullo aliquid facere: *Id est, facilè, & nullo penè labore, &, ut loquitur uulgus, sine difficultate.*
Negotium magnum est, vel magni est negotij, id facere.
Negotium impendere.
Negotium contrahere.
Negotium dare.
Negotium deferre.
Negotium mandare.
In negotium mittere.
Negotium imponere.
Negotio præponere.
Negotio præficere.
Negotium suscipere.
Negotium attingere.
Negotium esse alicui cum aliquo.
Negotium habere.
Negotijs impediri.
Negotijs implicari.
Negotijs detineri, vel distineri.
In negotio versari.
Negotijs obrui.
Negotium sustinere.
Negotio præesse.
Negotium tueri.
Negotia videre, *Pro curare.*
Negotia tractare.
Negotia curare, vel procurare.
Negotium agere.
Negotium gerere.
Negotium administrare.
Negotium obire.
Negotium expedire.
Negotium explicare.
Negotium transigere.
Negotium conficere.
De negotio conficere.
E' negotijs emergere.
Negotia fugere.
Negotium deponere.
A' negotijs se remouere.
Negotia tumere.
Negotia habere se. *Cic. Negotia nostra sic se habent.*
Negotium inuertere. *Cic. ad Q. fratr. Quid quæris? probè premitur, nisi noster Pompeius Dijs, hominibusq; inuitis negotium inuertit.*

NEPOS.

NEPOS *aliquando pro eo est, qui ex filio, filiáue est natus. Ponitur etiam pro eo, qui bona sua profundit, & disperdit.*
Nepotem esse in suo patrimonio.

NEQVITIA.

NEQVITIA *est inertia, luxus, uel popinatio.*
Nequitia singulari præditum esse.
Nequitia perdita aliquem esse.

NERVVS.

NERVI *appellantur instrumenta, quæ sensum, & motum, qui per uoluntatem fit, in omnia animantis membra traducunt. Nerui pro chordis, & fidibus etiam accipiuntur. Neruum item appellamus uinculum ferreum, quo pedes impediuntur, & nonnunquam ceruix. Per translationem per sæpe pro robore, & uiribus ponitur neruus: in neruis enim robur maximè consistit. Vnde dicimus rem esse sine neruis, quæ debilis est.*
Neruos intendere.
Neruos contendere.
Neruos adhibere.
Neruos incidere.

NEX.

NEX est mors, quæ ferro fit, aut alia ui. Neci tamen datus (Autore Festo) propriè dicitur, qui sine uulnere interfectus est, ut ueneno, aut fame.

Necem afferre.
Necem consciscere.

NEXVS, VEL NEXVM.

NEXVS, uel nexum est ligatio, uel nodus. Elegantius tamen accipitur pro quodam genere obligationis ciuilis, qua corpus etiam, ut pignus, afficitur. Ob hoc nexi, & addicti uocati sunt homines oberati, qui lege duodecim Tabularum ob æs alienum Creditoribus in temporariam seruitutem addicebantur.

Nexu obligari.
Nexum inire: *Id est, se & corpore, & bonis obligare, deuincireq; creditoribus.*
Nexu, & mancipio proprium aliquem alicuius esse.
Nexu solutus. *Nexu solutus dicitur, qui, cùm addictus esset creditoribus, posteà ære alieno dissoluto ipse necti desijt.*

NIHILVM.

NIHILVM compositum est ex non, & hilum. Est autem hilum, quod grano Fabæ adhæret.

Nihilo magis.
Nihilo minus.
Ex nihilo oriri.
Ex nihilo nasci.
Ex, uel de nihilo fieri quidpiam.
Ad nihilum uenire.
Ad nihilum recidere.
In nihilum occidere.
Pro nihilo putare.
Pro nihilo ducere.
Pro nihilo pendere.
Pro nihilo habere.
Pro nihilo uideri aliquid.
Nihili facere.
Pro nihilo esse.

NIMIVS.

NIMIVS pro immoderato, uel intemperato ponitur.

Nimium esse in re aliqua.

NOBILITAS.

VEHEMENTER quidem errant, qui nobilitatem tantùm poni putant pro generis claritate, antiquitate, uel dignitate. In ea quidem significatione ponitur, sed generaliter sumitur, pro cuiuscunq; rei celebritate: quemadmodum nobilis non solùm dicitur, qui nobili genere natus est, sed qui quocunq; uirtutis, aut ingenij documẽto nomen sibi conciliat.

Nobilitate florere.
Nobilitate præcellere.
Nobilitatem corrumpere.
Nobilitatem labefactare.

NODVS.

NODVS est ligatura, quæ non facilè soluitur. Translatè ponitur pro quacunq; difficultate: etiam aliquando pro dubitatione, uel scrupulo.

In nodum incidere.
Nodum soluere.
Nodum explicare.
Nodum expedire.

NOMEN.

NOMEN modò pro uocabulo, & appellatione à Latinis ponitur. Modò pro causa. Modò pro ipso debito, uel debitoribus. Modò pro fama, & existimatione.

PRO APPELLATIONE.

NOMEN est, quod unicuique personæ datur, quo suo quæq; res proprio, & certo uocabulo appellatur.

Nomen ponere.
Nomen imponere.
Nomen dare.
Nomine signare.
Nomine appellare.
Nomen à re aliqua ducere.
Nomen trahere.
Nomen inuenire à re aliqua.
Nomen reperire.
Nomen adipisci.
Nomen subire.
Nomen habere.
Nomine esse.
Nomen esse alicui.
Nomine suo salutem iubere dici.
Nomine suo supplicare.

PRO CAVSA.

Nomine alicuius aliquid facere.
Nominibus multis aliquid fecisse conuinci.
Nominibus honestis aliquid suscipere.
Nomine Reip. mortem oppetere.
Nomine alicuius alicui fieri inimicum.
Nomine uoluptatis omnia facere.
Nomine uirtutis laborem nullum defugere.

PRO DEBITA PECVNIA.

NOMINA aliquando pro debitoribus: aliquando etiam pro ipso debito, & syngraphis debitarum pecuniarum ponuntur: unde facere nomina, idem esse quod debitores comparare, certum est. Quod ipsum pluribus modis apud Antiquos fiebat, ut pactis usuris, pactis menstruis, aut annuis fructibus. Etem

bus. Etenim pecunia aut numerata seruabatur in arca, aut emptis agris, uel mercibus in nominibus collocabatur. Nomina quoq; uocantur capita rationum, uel breuiarij, id est, rationis argentariæ. Ea nunc uulgò articulos uocamus. Obiter id te etiam doctum uelim, nomina apud Ciceronem sæpe pro causis, & negotijs, & personis poni, quibus in conficiendis rationibus expensæ pecuniæ feruntur.

Nomina idonea. *Nomina idonea (nisi fallor) dicuntur, quæ legitima obligatione debentur, & facilè expediri possunt: id est, prima creditoris appellatione.*

Nomina facere. *Nomina facere, Latinis idem est, quod debitores comparare, uel pecuniam multis dare, quos obligatos habeas.*

In nominibus habere.

In nominibus esse.

Nomina conficere; vel de nomine conficere.

Nomina exigere: *Id est, debitorē ad dissolutionē cogere.*

De nomine appellare: *Id est, nomen exigere.*

Nominum diem cedere. *Diem nominum cedere, uerbum Iuris est, significatq; incipere deberi pecuniam, etiam si nondum peti poßit.*

Nomina expedire: *Id est, exoluere.*

Nomina explicare: *Id est, dissoluere, quod debetur.*

Nomina soluere.

Nomina expungere.

Nomen tollere de tabula.

Nomen transferre: *Id est, uersuram facere.*

PRO FAMA, ET EXISTIMATIONE.

Nomen multum. *Cic. Famil. ij. Nomen nostrum multum est in his locis.*

Nomen amplum. *Cicero: Apud illos Fabiorum nomen amplißimum est.*

Nomen clarum.

Nomen celebratum.

Nomine dignus.

Nominis gloria.

Nomen captare.

Nomen adipisci.

Nomen consequi.

Nomen habere.

Nomen profiteri.

Nomen vsurpare.

Nomen interponere.

Nomen augere.

Nomen vigere.

Nomen florere.

Nomen inuictum.

Nomini officere.

Nomen fractum.

Nomen debilitatum.

Nomen delere.

Nomen extinguere.

AD REM BELLICAM PERTINENS.

Nomina dare, vel edere. *Dant nomina milites, cum militiæ sacramento se addicunt, & in delectum recipiuntur. Cice. in Phil. Milites nulla recusatione, summoq; etiam cum studio nomina dant.*

Ad nomina respondere. *Tit. Liuius ab Vrb. con. ij. Dimisso Senatu Consules in Tribunal ascendunt: citant nominatim iuniores. Cùm ad nomen nemo responderet, circunfusa multitudo in concionis modum, negare ultrà decipi plebem posse.*

Nomen accipere. *Pro eo, quod uulgus dicit, recipere ad monstram: quod & rationē habere dicitur. Liui. Li vij. secundi Bel. pu. Itaq; si suum nomē Dictator acciperet, se comitijs intercessuros Tribuni dixerunt: si aliorum, præterquàm ipsius, ratio haberetur, comitijs se moram non facere.*

NOTA.

NOTA *propriè signum est, quo aliquid notatur, & designatur. Sed quoniam turpitudine aliqua affecti, noti plerunq; esse solent, apud Latinos uulgare est, ut nota in malam partem capiatur, & labem, turpitudinemq; significet.*

Notam apponere.

Notam inurere.

Notam subire.

NOTIO.

NOTIO *est cognitio, intelligentia, notitia, uel iudicium: uel est insita, & antè percepta cuiusq; formæ cognitio, enodationis indigens.*

Notionem informare.

Notionem imprimere.

Notionem fieri.

Notionem habere.

Notionem complicatam euoluere.

NOTITIA.

NOTITIA *idem significat quod notio, cognitio, uel prudentia.*

Notitiam rei alicuius aperire.

Notitiam fieri.

Notitiam habere. *Refertur ad rem turpem, & obscœnam hæc aliquando locutio. Cæsar Lib. vj. de bell. Gall. Intra annum uigesimum fœminæ notitiam habuisse, in turpißimis ducunt rebus.*

NOX.

NOCTIS *significatio per se tota satis patet. Per translationem appellat eleganter Cicero noctem Reipub. pro occasu, & calamitate Reipub.*

Nocte.

Nocte, & interdiu.

De nocte, *Pro nocte.*

In multam noctem.

Noctes, diesq;: *Id est, aßiduè, uel semper.*

Nox intempesta, uel concubia: *Id est noctis tempus, uel pars, qua nihil agitur: hoc est, qua somno sepulti sunt omnes, ut fit media nocte.*

Noctem intercedere.

In noctem se conijcere.

Noctem offundere. *Hic nox per metaphoram accipitur pro rerum confusione, caligine, uel obscuritate: aut pro imminutione dignitatis, & status: cum, quod antea splendebat, & elucebat, nocte quasi offusa in tenebris iaceat.*

NOXA, VEL NOXIA.

NOXA *culpam, damnum, uel uitium significat.*

Noxam nocere: *Id est, culpam, crimenq; admittere.*

Noxam admittere.

In noxa esse.

Noxæ dedere: *Id est, pœnæ dare, siue tradere ob noxam.*

Noxæ eximere: *Id est, gratiam criminis facere, uel remissionem dare.*

Extra noxam esse.

NVBES.

NVBES *est uapor humidus in sublime elatus è Terra per æstum: siue aër in liquorem coactus, cuius densitas Solem obumbrat.*

In nubem cogi aërem.

In nubem se induere. *Cice. de Diui. Cùm illi anhelitus se in nubem induerint.*

NVGAE.

NVGAE *sunt sermones leuium rerum, ac nullius ponderis, & plerunq; scurriles, ioculatoriiq;.*

Nugas dicere.

Nugas loqui.

Nugas garrire.

Nugas blatire.

Nugas agere.

NVMEN.

NVMEN *est uis, uel potestas.*

Numen, & vim Deorum apud aliquē tenere.

Numini parêre.

Numen placare.

NVMERVS.

NVMERVS *aliquando refertur ad ea, quæ mensura metimur. Vnde magnum numerum frumenti, olei, uini, Antiqui dicebant: quod nonnulli non ita Latinè nunc dicunt magnam quantitatem, uel copiam. Præter hanc significationem ponitur pro societate, grege, siue parte. Vnde dicimus aliquē ex eorum numero esse, qui est eorum particeps. Refertur etiā interdum ad honorem, uel existimationem. Extra hæc omnia pro ratione harmonica à Latinis etiam ponitur, quam Græca uoce rithmum appellamus, quòd omnis harmonia, & omnis concentus numeris constet. Hinc oratio, quæ numeris minùs præscriptis componitur, dicitur soluta: quæ uerò numeris certioribus constat, numerosa.*

Numerò. *Eleganter in ablatiuo casu sine cuiusquam uerbi assumptione, à quo regatur, ponitur hoc nomē. Ci. in Verr. Mille numerò nauiū classis. Idē de Ora. Hæc sunt tria numerò.*

Nullo numero. *Dicitur res, uel persona nullo numero, quæ nihili est. Cice. Philip. iij. Homo nullo numero: nihil illo contemptius.*

Ad numerum. *Celius Cic. Famil. viij. Si ex eo numero, quos Senatusconsulto in Prouincias ire oporteret, ad numerum non essent.*

Ex numero. *Cic. de Orat. Homo ex numero disertorum.*

In, vel ad numerum ascribere.

In numerum referre.

In numeros distribuere.

In numero ponere.

In numero existimare.

In numero putare.

In numero ducere.

Numero habere.

In numero habere.

In numero colere, vel venerari.

In numerum venire, vel peruenire.

Numero esse.

In numero esse.

De numero esse.

Numerum obtinere.

Numerum habere, *Pro perfectum esse. Cice. in Offi. Quod perfectum, & absolutum est, ut Stoici dicunt, omneis numeros habet.*

Numerum continere, *Pro numerum habere.*

Numerum efficere.

Numerum conficere.

Numerum explere.

Numerum obire.

Ex numero seiungere.

E numero eijcere.

Numero eximere.

Ex numero tollere.

NVMMVS.

NVMMVS *est denarius, sestertius, pecunia.*

Nummus adulterinus. *Nummi adulterini sunt, quos uulgus falsam monetam appellat.*

Nummos cudere.

Nummos olfacere.

Ad nummos peruenire.

In nummis habere.

Ad nummum subducere.

Nummos comedere.

Nummos dare.

Nummos spargere.

NVNTIVS.

NVNTIVS *& res ipsa, & persona dicitur: scilicet ut ponatur pro eo, qui nuntiat: & pro eo, quod nuntiatur.*

Nuntios dimittere.

Nuntium expectare.

Nuntium venire.

Nuntium afferre.

Nuntium deferre.
Nuntium perferre.
Nuntium audire.
Nuntium accipere.
Nuntium remittere. *Pro nuntium remittere dicunt etiam Latini salutem dicere. Id quod fiebat propriè in divortio, cùm uir nuntium ab uxore repudiata missum remittebat cum mandato, ut uxor res suas sibi haberet. Cum translatione permultùm elegans est hæc locutio. Cic. Famil. xv. Iam biennium, aut triennium est, cùm Virtuti nuntium remisisti delinitus Voluptatis illecebris.*

NVPTIAE.

NVPTIAS *uocant Latini coniunctionem maris, & fœminæ.*
Nuptias parare.
Nuptias apparare.
Nuptias adornare.
Nuptias facere.
Nuptias conficere.
Nuptias disturbare.
Nuptias fugere, vel effugere.

NVTVS.

NVTVS *signum est, quod fit oculis, capite, uel manibus. Vel est uoluntas, quæ huiusmodi signo declaratur siue affirmando, siue negando.*
Nutu aliquid ab aliquo consequi.
Nutu alicuius aliquid regi, fieri, gubernari.
Ad nutum alicuius se conuertere.
Nutus alicuius obseruare.
Nutum alicuius intueri.

NVX.

NVX *generale nomen est omnibus, quæ duro operimẽto teguntur, ut sunt Amygdalæ, Auellanæ, & huiusmodi.*
Nuces legere.
Nuces frangere.
Nuces relinquere. *Est omissis studijs, ac nugis puerilibus ad grauiora, magis que seria conuerti.*

O

OBITVS, us, ui.



BITVS *est occasus, uel interitus. At non solùm de personis intelligitur, sed de rebus etiam alijs.*
Obitus conficere. *Cic. de Diuinat. Natura omnium rerum interitus, atque obitus conficit.*

OBIVRGATIO.

OBIVRGATIO *est post turpe factum castigatio.*
Obiurgationem suscipere.
Obiurgationem reprimere.

OBLECTATIO.

OBLECTATIO *est delectatio.*
Oblectationem quærere.
Oblectationi esse.
Oblectatione plenum esse.
Oblectationem esse alicui.

OBLECTAMENTVM.

OBLECTAMENTVM *idem est, quod oblectatio.*
Oblectamentum habere.
Oblectamentis quibusdam se recreare.

OBLIVIO.

OBLIVIO *est memoriæ intermissio, uel reticentia, aut taciturnitas.*
In obliuionem adducere.
Obliuione conterere.
Obliuione obruere.
Obliuione tegere.
Obliuionem aliquem capere.
In obliuionem venire. *In obliuionem uenire, actiuæ, uel passiuæ significationis est. Cùm actiuæ significationis est, ponitur pro obliuisci. Cùm passiuæ, obliuione obrui, tegi que designat.*
Ab obliuionis iniuria nomẽ suum vindicare.

OBSCOENITAS.

OBSCOENITAS *est turpitudo, uel deformitas.*
Obscœnitatem adhibere.
Obscœnitatem vitare.
Obscœnitate vacare.

OBSCVRITAS.

OBSCVRITATEM *ponunt Latini pro tenebris, caligine, uel enigmate.*
Obscuritatem afferre.
Obscuritatem adhibere.
Obscuritate inuolui.
Obscuritatem habere.

OBSECRATIO.

OBSECRATIO *significat preces, deprecationem, uel obtestationem.*
Obsecratione vti.
Obsecrationem repudiare.

OBSEQVIVM.

OBSEQVIVM *est indulgentia, uel patientia.*
Obsequio suo aliquem mitigare.
Obsequio alicuius abuti ad omneis res.
Obsequio amicitiam tueri.

OBSES.

OBSES dicitur à Latinis, qui traditur imperio alicuius, ea conditione, atque lege, ut, si dator obsidis à fide recedat, recipienti sit potestas in corpus, & uitam eius seuiendi, qui datus est obses. Hic uerò quoniam obsidionis caussa dari consueuit, inde nomen assumpsit: quamuis Festus ex ob, & fide compositum uelit, per mutationem literæ, quòd sit ob fidem datus. Tu generaliter pro pignore accipi existimato: Vsurpatur autem tam propriè, quàm translatè. Et translatè tunc accipi solet, cùm ad res inanimatas refertur.

Obsides imperare.
Obsides extorquere.
Obsides dare.
In obsides dare.
Obsides accipere.

OBSIDIO.

OBSIDERE est fossa, & uallo septum tenere, uel ui circunsidere. Sic dicimus oppidum, urbes, domum, Senatum, Capitolium, Mare, uel sinus maritimos obsideri. Obsidio uerò est ipse actus obsidendi.

In obsidione habere, Pro obsidere.
Obsidionem cotinuare.
In obsidione esse, Pro obsideri.
Obsidionem relinquere.
Obsidionem soluere.
Obsidione, uel ex obsidione eximere.
Obsidionis periculis liberare.
Obsidione liberare.

OBTRECTATIO.

OBTRECTATIO est ægritudo ex eo, quòd alter quoque potiatur eo, quod ille ipse concupierit.

Obtrectationem habere. Obtrectationem habere id dicitur, in quod cadere potest obtrectatio: scilicet in quo obtrectationis causa inesse uideatur, uel quod obtrectationis argumentum præbeat.

OBVIAM.

OBVIAM ab obuio est. Obuium autem dicitur, quod nobis occurrit.

Obuiam mittere.
Obuiam egredi.
Obuiam exire.
Obuiam proficisci.
Obuiam properare.
Obuiam ire.
Obuiam prodire.
Obuiam procedere.
Obuiam uenire.
Obuiam se ferre, vel offerre.
Obuiam fieri.

OBVIVS.

OBVIVS id est, occurrens.

Obuium aliquem alicui fieri.

OCCASIO.

OCCASIONEM pro copia, uel facultate aliquando poni, certum est. Colu. Lib. viij. Cap. xvj. Id autem stagnum uel exciditur in petra, cuius rarißima est occasio: uel in littore construitur. Pli. Lib. xvj. Ca. xl. Ad excutiendum ignem non semper lapidis occasio est. Rarior est ea occasionis significatio. Vulgariùs uerò ponitur occasio pro opportunitate temporis casu prouenìente, pro tempore opportuno oblato, pro causa, uel ansa. Vel alia definitione dici potest occasio pars temporis, habens in se alicuius rei faciendæ, aut non faciendæ idoneam opportunitatem: quæ quidem occasio nescitur per actus humanos non impedientes.

Occcasionem captare.
Occasionem offerre.
Occasionem parere.
Occasionem dare.
Occasionem nancisci.
Occasionem habere.
Occasionem tenere, vel amplecti.
Occasionem vrgere.
Occasione priuare.
Occasionem amittere.
Si occasio tulerit, vel feret.

OCCISIO, VEL Occidio.

OCCISIO, uel occidio indifferenter in exemplaribus legitur: nonnulli tamen occisionem dicere malunt, quàm occidionem. Est autem occisio idem, quod cædes.

Occisionem facere.
Occisione occidere.

OCCVPATIO.

OCCVPATIO & loci, & animi est, ut uerbum, à quo proficiscitur. Sed cùm animi est, translatè ponitur. Figura est etiam aliquando rhetorica, cùm dicimus nos præterire, aut nō scire, aut nolle dicere id, quod tunc maxime dicimus.

Ad occupationem rei alicuius descendere.
Occupationibus impediri.
Occupationibus implicari.
Occupationibus distineri.
Occupationibus temporis aliquid eripere.
Occupationibus relaxare.
Ab occupatione expedire.

OCVLVS.

OCVLI sunt ipsa lumina, quibus inspicimus, atque circunspicimus.

Oculos in aliquem conijcere.
Oculos alicui rei, vel ad aliquam rem adijcere.

Oculos de aliquo, vel à re aliqua deijcere.
Ante oculos, vel ob oculos ponere, proponere, statuere, constituere.
In oculis constituere.
Ante, vel ob oculos versari.
In oculis gerere, *Pro ante oculos.*
Oculos pascere.
In oculis ferre.
In oculis habitare. *Amoris plenæ sunt locutiones.*
In oculis esse.
Oculos eruere.
Oculos effodere.
Oculos eripere.
Oculis captus.

ODIVM.

ODIVM, *ut inuidia, & actiuè, & passiuè ponitur. Dicimus enim, magnum est odium in te patris: uel magno es in odio apud patrem.*
Odium excitare.
Odium concitare.
Odium struere.
Odium conciliare.
Odium creare.
Odium inurere.
Odium inserere.
In odium vocare.
In odium venire.
In odium incurrere, *Pro uenire.*
In odium irruere, *Pro uenire.*
Odium subire.
Odium in se conuertere.
Odium suscipere. *Suscipere odium & actiuè, & passiuè capitur: dicitur enim & odium aliquis suscipere, qui odium in se creat: & qui concipit in aliquem odium: Tunc enim aut in alium, & hoc actiuè: aut ab alio in se, & hoc passiuè.*
Odium in aliquem ardere.
Odio premi.
Odio esse.
In odio esse alicui.
In odio esse apud aliquem.
Odium concipere. *Nunc ad nonnullas actiuæ significationis formas transimus: quas idcirco postposuimus, quòd rariores esse uideantur: tametsi satis crebræ, sed non ut anteriores.*
Odium suscipere. *Actiuè hic planè sonat.*
Odium capere.
Odio esse in aliquem: *Id est, odium habere.*
Odium habere.
Odium aliquem tenere.
Odium esse alicui cum aliquo.
Odium profiteri.
Odium indicare.
Odium expromere.
Odium saturare.
Odium explere.
Odium lenire.
Odium sublevare.
Odium mitigare.
Odium sedare.
Odium placare.
Odium restinguere.
Odium sorbere.
Odium concoquere.
Odium profundere.
Odium effundere.
Odium deponere.
Odium depellere.
Odium propulsare.
Odium renouare.
Ad odium reuocare.
Odium incendere.

ODOR.

ODOR *est actiuæ, & passiuæ significationis: sed sæpius passiuæ: ut sit odor, qui percipitur odoratu, ut qui afflatur è floribus, uel ex re alia bonus, aut teter.*
Odorem afflari.
Odores incendere.
Odoribus capi.
Odores ferre non posse.

OFFENSA.

INTER *offensam, & offensionem id tantùm differentiæ à Latinis constituitur, ut offensa sit eius, qui offendit: offensio uerò eius, qui offenditur.*
In offensa esse. *Cic. ad Att. Negat te dubitare, quin magna in offensa sim apud Pompeium.*

OFFENSIO.

NON *animo tantùm tribuitur hæc dictio, sed corpori etiam conuenit, cùm uel læditur, uel concutitur. Sic generaliter ponitur pro incommodo, detrimento, quasi quadam calamitate.*
Offensionem concitare.
Offensionem facere.
Offensionem afferre.
Offensioni esse.
Offensionem nasci.
Offensionem accipere.
Offensionem excipere.
Offensionem sumere.
In offensionem cadere.
In offensionem incurrere.
Offensionem habere. *Habet & Persona, & Res offensionem. Persona, quæ offensionem sumit. Res, quæ affert offensionem.*

Offensionem subleuare.
Offensionem lenire.
Offensionem omittere.
Offensionem deponere.
Offensionem obliterare.
Offensionem effugere.
Offensionem vitare.

OFFICINA.

OFFICINA *est locus sellæ, atque operis, & quæstus quotidiani.*

Officinam instituere.
Officinam instruere.

OFFICIVM.

OFFICIVM *est uirtutis actio: uel (ut Latius explicem) pro loco, pro tempore, pro rerum dignitate, similibus'que est decens aliquod factum. Inde illud est, quod dicitur a multis, in familia bene instituta omnes in officio sunt: id est, omnes agunt, quod debent. Et, missi sunt Legatis obuiam ciues officij gratia: &, circunstabant Senatores Cæsarem sedentem in aurea sella officij gratia: id est, honoris gratia, quem Legatis, Cæsari'ue exhibere debebant. Nihil enim tam nos decet, quàm merenti uel honorem exhibere, uel opem ferre. Quo factum est etiam, ut officia significent beneficia, siue obsequia: cæteræ autem artes, quæ modò honestæ sint, suam rationem, & functionem, officium uocant: ut, officium Grammatici est, officium Medici, officium Architecti. Magistratus autem officium dicitur: siue quia honoris causa factus est, siue opis populo ferendæ, siue quia ius suum cuique, & quod cuique debetur, reddat. Hæc de significatione sint: nos locutiones distinguemus.*

PRO PRIVATA, VEL PVBLICA *muneris functione.*

Officium mandare.
Officium suscipere.
Officium esse alicuius.
Officio præesse.
Officium suum facere.
Officio, vel officium fungi.
Officium exequi.
De officio decedere: *Id est, officij grauitatem, & dignitatem prætermittere: uel, quod ab officij functione alienum sit, facere.*

PRO BENEFICIIS, *uel promeritis.*

Officium polliceri.
Officia intercedere alicui cum aliquo.
Officio esse: *Id est, officium præstare.*
Officium esse in aliquo.
Officium residere in aliquo.
Officium promereri: *Id est, conferre.*
Officiorum impensam facere.
Officiorum impensam agere.
Officium adhibere.
In officio esse.
Officio fungi.
Officium vsurpare.
Officia exequi.
Officijs deuincire.
Officijs compræhendere.
Officijs amplecti, vel complecti.
Officijs prosequi.
Officium tribuere.
Officia præstare.
Officia conferre in aliquem.
Officia proficisci ab aliquo in aliquem.
Officia constare in aliquem.
Officia extare.
Officium explere.
In officio manere.
Officia seruare, vel conseruare.
Officium retinere.
Officia tueri. *Pro seruare.*
In officio continere, vel retinere.
Officium dirigi.
Officium agi.
Officijs certare.
Officijs vincere.
Officia ponderare.
Officia perpendere.
Officia reddere.
Officium soluere, vel persoluere.
Officijs respondere.
Officijs satisfacere.
Officia vincere.
Officium negligere.
Officio deesse.
Officia deesse.
Ab officijs deseri.
Ab officio recedere.
Ab officio desciscere.
Officium interrumpere.
Officium intermittere.
Officium prætermittere.
Officium præterire.
Officium intermori.
Officium desiderare.
Officium requirere.

OLEVM:

OLEVM *dicitur, quod ex olea expressum est. Eleganter posuit Cicero pro simulachro pugnæ, & pro exercitatione. De Orat. Nitidum quoddam genus uerborum est, & lætum: sed palestræ magis, & olei, quàm huius ciuilis turbæ, & fori. Id est, accōmodatum concionibus, & iudicijs.*

Oleum, & operam perdere.

Oleum, & operam alicui perire. *Id est, frustra aliquid conari, uel conatum esse.*

OMEN.

NON *alia interpretatione indiget hæc dictio, quàm quæ à Cicerone explicatur de Diuinat. 1. Neque solùm Deorum uoces Pythagorei obseruauerunt: sed etiam hominum, quæ uocant omina. Quæ Maiores nostri, quia ualere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatum'que esset, præfabantur.*

Ominibus bonis, vel malis aliquid prosequi.

Omen capere.

Quod Dij omen auertant.

Quod Dij omen obruant.

Quod Dij omen prohibeant.

ONVS.

ONVS *est pondus, & moles grauans: quod ponitur propriè, uel translatè. At uerò huic nomini siue propriè, siue translatè posito eædem conueniunt locutiones.*

Onus imponere.

Onus addere.

Onus recipere.

Onus suscipere.

Onus tollere.

Onus habere.

Onus sustinere.

Onus perficere.

Onere premi.

Onere opprimi.

Onere leuare.

Onus alleuare.

Onus deponere.

OPERA.

OPERA *actio est, & labor operantis: sed tam trita est huius uocis significatio, quàm elegans est usus, sexcentis loquendi modis à Latinis Scriptoribus usurpatus.*

Operæ succisiuæ. *Operæ succisiuæ eo modo dicuntur, quo horæ, uel tempus succisiuum. Est autem tempus succisiuum, quod subtrahitur à rebus necessarijs, & quasi secundo loco ad rei alicuius usum accommodatur. Sunt igitur operæ succisiuæ, quas in rebus minùs necessarijs, minùs'que instantibus, atque urgentibus uelut furtim collocamus.*

Operam profiteri.

Operam exigere.

Operam suscipere.

Operam sumere.

Ad operam se conferre.

Operam præbere.

Operam tribuere.

Operam ponere.

Operam dare, vt, vel ne.

Operam dare alicui; *Id est, aliquo Præceptore uti: uel aliquem, ut Præceptorem, audire.*

Operam dare alicui; *Id est, eius commodis inseruire, uel obsequium præstare.*

Operam dare auspicijs; *Id est, auspicia obseruare, uel colere.*

Operam dare rebus diuinis, vel sacris. *Id est, sacra facere.*

Operam dare Liberis: *Id est, Liberorum generandorum causa coire.*

Operam dare memoriæ alicuius; *Id est, recordari, uel memoriam seruare, aut celebrare.*

Operam dare in aliquam rem.

Operam nauare rei alicui.

Operam nauare, *Absolutè positum, pro consequi.*

Operam conferre in aliquid.

Operam locare.

Operam figere.

Operam dicare.

Operas mutuas tradere; *Id est, mutuum officium præstare.*

Operam consumere.

Opera vti alicuius.

Operæ parcere.

De opera detrahere.

Operam remouere a re aliqua.

Operam perdere; *Id est, nihil agere.*

Operam ludere.

Operam perire.

OPERAE.

OPERAS *etiam personas ipsas dicimus, quæ aliquid faciunt: ut sectatores, asseclæ, clientes.*

Operas cogere.

In operis esse; *Id est, quod Barbari dicunt, esse factorem alicuius societatis.*

OPERAEPRECIVM.

OPERAEPRECIVM *significat idem, quod non alienum: uel, quod tanti. Vt sit idem, operæprecium est, quod, non alienum est: uel, tanti est. Ponitur etiam pro fructuoso, utili, glorioso, iucundo, magni æstimando, uel magni pendendo. At uerò, ne id nescias, dicunt Latini interdum, separatis scilicet uocibus, precium operæ, ut simile ueri. Quam loquendi figuram uocant Grammatici Tmesim. Id præterea à me habe, operæprecium ab opera componi, & ideo media uoce per diphtongum scribi oportere: licet sit unum uocabulum, & coniunctim, non distinctè, legi debeat, nisi per figuram, quam proximè annotauimus, peruertatur: Id est, præpostero ordine scribatur, uidelicet precium operæ. Ab opera componi, & per diphthongum scribi debere, argumento est sequens Iuuenalis uersus: qui sic habet.*

Est operæprecium penitus cognoscere, toto
Quid faciant, agitent'que die.
Ea igitur est huius uocis significatio, & ratio scribendi: locutiones tantùm restant.

Operæ precium esse aliquid facere, audire, cognoscere, recordari, demonstrare.
Operæprecium facere.

OPES.

OPES *sunt diuitiæ, fortunæ, uel potentia.*

Opes habere.
Opibus præditum esse.
Opibus affluere.
Opes frangere.
Opes euertere.

OPINATIO.

OPINATIO *est opinionis agitatio: uel assensio, quam uocat Cicero imbecillam, & temerariam.*

Aliquid in opinatione consistere.
Opinationem hærere.
Opinationem penitus insitam esse.
Opinationem tollere.

OPINIO.

OPINIO *tam actiuæ, quàm passiuæ, significationis est. Opinionem enim de aliquo habemus: uel habetur de nobis opinio. Est'que aliquando dissipata quædam fama, sed paulò confirmatior. Aliquando etiam pro suspitione ponitur. Interdum etiam pro spe, uel opinatione sumitur: sed sæpius pro iudicio, & existimatione (dum actiua) poni uideas.*

Opinionem esse. *Cic. Famil. 1. Hæc opinio est Pop. Romani, à tuis Inuidis, atque Obtrectatoribus nomen inductum fictæ religionis. Idem ad Att. 1. Prorsus summa hominum opinio est, tuos familiares nobiles homines aduersarios nostro honori fore. Idem ad Att. iiij. Nonnulla Comitiorum opinio est.*

Vt fert opinio. *Vulgaris est hic loquendi modus, & nulli uel triuiali Grammatico ignotus: est'que ut mea fert opinio, idem quod puto.*

Opinionem aucupari.
In opinionem irrepere.
Opinione inflari.
Opinionem facere.
In opinione relinquere.
Opinionem afferre.
Opinionem præbere.
Opinionem tradere.
Opinionem inserere.
Opinione imbuere.
Ad opinionem dirigere.
In opinionem adducere.
Opinionem persuadere.
Opinionem imbibere.
Opinionem accipere.
Opinionem comprehendere.
In opinionem incidere.
In opinionem discedere.
In opinionem venire.
Opinionem habere.
In opinione esse, *Pro opinionem habere.*
In opinione esse, *Pro in opinione positum esse.*
Opinionem tenere.
Opinionem confirmare.
Opinionem duplicare.
Opinioni respondere.
Opinionem vincere.
Opinionem superare.
Opinionem fallere.
Opinionem inueterascere.
Ex opinione mouere.
Opinionem excutere.
Opinionem euellere.
Opinionem conuellere.
Opinionem deponere.
Opinionem amittere.

OPIS.

OPIS, *opem, ope, pro auxilio ponitur.*

Opis indigere.
Opem petere.
Opem implorare.
Opem ab aliquo expectare.
Opem porrigere.
Opem tendere.
Opem ferre.
Opem afferre.

OPPORTVNITAS.

OPPORTVNITAS *idem est quod facultas, occasio, uel tempus actionis opportunum, uel utilitas. Est'que loci (& tunc propriè accipitur) temporis, & personarum.*

Opportunitatem habere. *Opportunitatem habere ea dicunt Latini, quæ opportuna uidentur: Id est, quæ commoda, & utilia sunt. Sic passiuæ magis, quàm actiuæ, significationis est hæc locutio.*

Opportunitatem vrgere.

OPPVGNATIO.

OPPVGNATIO, *ut oppugno, uel dignitatis, famæ'que, aut personæ: uel oppidorum, urbium, castrorum'ue est.*

Oppugationem sustinere.

OPTATVM.

OPTATVM *dicitur, quod in uotis est.*

In optatis esse. *In optatis esse res nobis dicitur, quam magnopere expetimus.*

Præter optatum. *Præter optatum est, non optando, uel expetendo.*

OPTIO.

N O N *est, unde optio proficisci uideatur, nisi ab optare, maximè si significationem spectes. Est autem optio libera rei alicuius potestas, uel facultas nihil omnino de uoluntate detrahens.*

Optionem deferre.
Optionem dare.
Optionem facere.
Optionem habere.

OPVS.

O P V S *uel substantiuum, uel adiectiuum est. Cùm est substantiuum, ponitur pro artificio, uel generaliter pro re omni, quæ nostra opera fit, siue in literis uersemur, siue in re alia qualibet. Cùm adiectiuum est, sic loquimur: opus est aliquid nobis, uel re aliqua: opus est, id est, conuenit, tempus fert, res fert: si usus est, si ita commodum uestrum fert, si necesse est.*

CVM SVBSTANTIVVM EST.

Opus concinnare.
Opus absoluere.
Opus edere.
Opus euulgare.
Opere Corinthio cœlatæ galeæ.
Opere magnifico aliquid extructum.
Opere præclaro aliquid factum.
Opere antiquo, & summo artificio aliquid perfectum.

CVM EST ADIECTIVVM.

Aliquid opus esse: *Vt, dux nobis opus est.*
Re aliqua opus esse.
Rei alicuius opus esse.

ORA.

O R AE *significationem ita distingue, ut generaliter sit pro extremitate cuiuscunque rei. Speciatim uerò sit pro regione, uel parte qualibet terrarum, uel pro regione litorali.*

Oram soluere. *A litorali oræ significatione manare loquendi genus uolunt Score nonnulli: scilicet oram soluere. Quod loquendi genus ineptè interpretantur pro nauigare, & ab ora, id est, litorali regione discedere: negant'que oram inueniri apud claßicos Autores, pro fune nautico, quo nauis ad terram religatur. Tu uerò prætermißis Sciolorum ineptijs oram pro fune nautico accipito; quam significationem huius nominis esse, luce clarius probabunt exempla sequentia. Tit. Liu. Decad. tertiæ Lib. ij. Vixdum omnes conscenderant, cùm alij resoluunt oras, aut anchoram uellunt: alij, ut ne quid teneat, anchoralia præcidunt. Idem alibi: In ipsis quoque nauibus trepidatum: dum hostes cum suis erumperent, trahunt scalas, oras'que, & anchoras præcidunt. Quintil. Permittamus uela uentis, & oram soluentibus bene precemur.*

ORACVLVM.

O R A C V L V M *est sors, uel uaticinatio.*

Oraculum petere.
Oraculum ducere.
Oraculum edere.
Oraculum fundere.

ORATIO.

O R A T I O N E M *ponunt Latini pro omni locutione: etiam pro priuato sermone, & colloquio. Ergo erit pro priuato sermone. Vel pro concione, aut styli forma.*

PRO PRIVATO SERMONE.

Oratio longa, & altè repetita.
Oratio mollis.
Oratio liberalis.
Oratio honorifica.
Oratio dulcis.
Oratio aspera.
Oratio acerba.
Oratio contumeliosa.
Orationis summa.
Orationis diuitiæ.
Orationis paupertas.
Orationem habere.
Orationem esse alicui cum aliquo.
Orationem in aliquo uersari.
Orationem longius fluere.

PRO CONCIONE, VEL *styli forma.*

Oratio scripta elegãtißimè sentẽtijs, & verbis.
Oratio perelegans, & persubtilis.
Oratio longa, & bonis valde verbis.
Oratio copiosißima, & ornatißima.
Oratio bonis artibus instituta, & cura, & vigilijs elaborata.
Oratio diu, & multis lucubrationibus commentata.
Oratio puris, & electis verbis composita.
Oratio sapientißimis sententijs, & grauibus uerbis ornata, atque perpolita.
Oratio composita, & ornata, & artificio quodam, & expolitione distincta.
Oratio fortis.
Oratio lenis, placida, summissa.
Oratio plena, teres.
Oratio grauis.

Oratio suauis.
Oratio docta, erudita, admirabilis, polita.
Oratio conspersa verborum, & sententiarum floribus.
Oratio iuncta, cohærens, æquabiliter fluens.
Oratio luminibus verborum, & sententiarum frequentata.
Orationis genus peracutum, & plenum artis.
Oratio altius exaggerata.
Oratio incitata, & volubilis.
Orationis opimum, & tanquã adipale genus.
Orationis genus solutum, effluens, sententijs argutum, verbis sonans.
Oratio incitata, vibrans, accurata.
Oratio tracta, & fluens.
Oratio contorta, & acris.
Oratio plena literatæ senectutis.
Oratio volubilis, & paulò feruidior.
Oratio pugnax.
Oratio pacata, sedata, lenis.
Orationis genus diffluens, & dissolutum.
Oratio turgens, vel inflata.
Oratio priscis, nouis, & duriter translatis verbis composita.
Orationis genus aridum, & exangue.
Oratio spinosa, & exilis.
Orationis genus exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurũ, inane, ieiunum.
Oratio astricta, contracta.
Oratio carens numeris, dissipata, inculta, diffluens, dissoluta, angusta.
Oratio obscura, rapida, celeritate cæcata.
Oratio aspera, horrida, tristis, neque perfecta, neque conclusa.
Orationis facultas.
Orationis copia.
Orationis flos.
Orationis lumen.
Orationis ieiunitas.
Orationis duritas.
Orationis seueritas, & quædam velut tristitia.
Orationis exilitas.
Orationis ariditas.
Orationem aucupari.
Orationem habere.
Orationem dicere.
Orationem instituere.
Orationem informare.
Orationem exaggerare.
Orationem cohærere.
Orationem consistere.
Orationem crescere.
Orationem efflorescere.
Orationem canescere.
Orationis facultatem exarescere.

ORBIS.

ORBIS *est circus, circulus, ambitus.*

Orbem circunscribere.
Orbem contorquere.
Orbem versare.
Orbem conficere.
Orbem terrarum peragrare.

ORBITA.

ORBITA *est rota, uel currus. Vel est uestigium decurrentis in uijs rotæ ex cursu.*

Orbitam imprimi.
In orbitam deprimere.

ORDO.

ORDO *aliquando hominum est. Aliquando uerò rerum.*

CVM HOMINVM EST.

CVM *hominum est, ponitur pro eo, quod uulgus statum uocat: ut, ordo Senatorius, ordo Equestris. Vel refertur ad genus uitæ, & hominis fortunas: uel etiam pro ipsis hominibus interdum intelligi potest. Adde, si in quibusdam exemplis ordinem amplißimum à Cicerone dici uideas, de ordine Senatorio Ciceronem intelligere. Erant autem apud Romanos tres ordines, scilicet Senatorius, Equestris, & Plebeius.*

Ordines ducere. *Aliquando ordo hominum est, & ad rem bellicam refertur. Vnde manat perpulchra ista locutio. Cic. Philip. 1. Viri fortißimi, atque honestißimi, qui ordines duxerunt, res & indicant, & indicauerunt.*

De Centurionibus, & Equitibus loquitur Cicero: id est, qui militibus præfuerunt. Nam sequitur. Non quero (inquit) istos: quicunque ordinem duxit, iudicet. At, si ferratis: quicunque Equo meruisset, quod est laudatius, nemini probaretis. Tit. Liuius ab Vrbe Cond. ij. Noscitabatur tamen in tanta deformitate, & ordines duxisse aiebant, alia'que militiæ decora, uulgò miserantes, eum iactabant.

Ordines assignare.
Ordinem adipisci.
In ordinem redigere.
In ordinem cogere. *De utroque hoc loquendi modo uide multa in Secundo Commentariorum nostrorum Tomo Columna 342.*

CVM RERVM EST.

Ordinem adhibere.
In ordinem adducere.
In ordinem conficere.
In ordinem redigere. *Id est, digerere, uel disponere.*

Ad ordinem se referre.
Ordinem explicare.
Ordinem habere. *Ordinem habere ea dicuntur, quæ bene ordinata sunt, uel quæ ordinem demonstrant, uel ad ordinem nos dirigunt.*
Ordinem tenere.
Ordinem sequi.
Ordinem seruare.
Ordinem conseruare.
Ordinem immutare.
Ordinem perturbare.
Ordine.
Ordine, & rectè.
In ordine.
Ex ordine.
Extra ordinem.
Præter ordinem.

ORIGO.

ORIGO *est principium, initium, causa, ortus, stirps, semen, fons, autor. Et sæpius de rebus, quàm de personis ipsis dicitur.*
Originem rei alicuius quærere.
Originem persequi.
Originem reperire.

ORNAMENTVM.

ORNAMENTVM *est honor, dignitas, decus, insigne, lumen. Atque ut eum maxima elegantia uocamus aliquem lumen patriæ, ciuitatis, uel artis cuiuslibet: ita & eum eadem elegantia eundem ornamentum patriæ, ciuitatis'ue appellare possumus.*
Ornamento esse.
Ornamentis afficere.
Ornamenta ab aliquo proficisci.
Ornamenta in aliquem conferre.
Ornamenta congerere.
Ornamentis redundare.
Ornamenta obtinere, uel retinere.
Ornamenta minuere.
Ornamentis spoliare.
Ornamenta occidere.
Ornamenta amittere.
Ornamenta recuperare.

ORNATVS, us, ui.

ORNATVS *dicitur cultus ipse, quo quis ornatur: ut, cùm dicimus aliquem Tragico, uel Comico ornatu prodire. Propria ea uidetur esse ornatus significatio: extra quam tamen persæpe egreditur, refertur'que ad alia: ut, cùm appellamus ornatum orationis, siue intelligamus pro uerborum splendore: siue accipiatur pro sententiarũ grauitate, & luminibus.*
Ornatum habere. *Habent ornatum, quæ apprime ornata sunt. Sic passiuæ significationis potiùs, quàm actiuæ, esse uidetur locutio.*
Ornatum remouere.
Ornatum negligere.

ORTVS, us, ui.

ORTVS, *& occasus inter se contrarij sunt: pertinent'que tam ad res inanimatas, quàm ad animatas.*
Ortum habere: *Id est, gigni.*
Ortum fieri.

OS, ORIS.

O S *propriè concauum illud dicitur, in quo sunt lingua, & dentes. Ponitur etiam pro conspectu, uel aspectu: & id tum passiuè, quàm actiuè. Nimirum pro conspectu, passiuè: pro aspectu, actiuè. Præterea ponitur pro impudentia, audacia, uel temeritate. Porrò accipitur eleganter pro recta pronuntiatione. Cic. de Orat. ij. Sed tamen quoniam hoc totum, quicquid est, siue artificium, siue studium dicendi, nisi accessit os, nullum potest esse, docebo uos, quid de omni genere dicendi sentiam. Accipitur etiam uenustè os per translationem pro introitu. Cic in Verr. Act. vj. Alterum signum in Ponti ore, & angustijs. Idem in Verr. Act. vij. In ipso aditu, atque ore portus tabernacula collocabat.*
Os perfricare. *Os perfricare dicimus, ut frontem perfricare.*
Os sublinere. *Os sublinere pro eo, quod est uerba dare, & arte quadam illudere, reperitur aliquoties apud Autores.*
In ore uersari
In ore habere
In ore esse. *Ad rumorem peruagatum pertinent eæ locutiones.*
Ex ore alicuius aliquem admirari.
Ore uno: *Id est, uno consensu.*
Ex ore exire, uel excidere.
Os præbere.
Ore pleno laudare.
In os laudare. *Id est, coràm.*

OSCVLVM.

OSCVLVM *diminutiuum est ab ore. Vel pro basio ponitur.*
Osculum dare.

OSTENTVM.

OSTENTVM, *id est, portentum, quòd statim futurum aliquid ostendat, ut Cometæ, tonitrua die sereno.*
Ostentum facere.

OSTIVM.

OSTIVM *est ianua. Dicuntur etiam ostia, Fluuiorum patentes aditus.*
Ostium aperire.

Ostium patēre.

OTIVM.

OTIVM proprie dicitur uacatio à labore: uel laboris laxamentum, atque remissio, uel uitæ tranquillitas. Atque quia ij, qui studijs operam dant, necesse est, ut non negotiosi sint, sed otiosi, factum est, ut otium pro literario studio nonnulli accipiant. ita uerò otium absolutè positum sine adiectiuo pro studij labore apud Ciceronem legere me non memini. Sic autem uocat Cicero, otium literarium, uel literatum.

Otium parere.
Otium facere.
Otium dare.
Otium præstare.
Otium tribuere.
In otium ire, vel venire.
In, vel ad otium se conuertere., conferre, referre: vel deflectere.
Otium nancisci.
Otium complecti.
Otium sequi: id est, otij causam quærere, uel otij studio duci, uel otio inhærere.
Otium habere.
Otium esse.
In otio esse.
Otio abundare.
Otio affluere.
Otio diffluere.
Otio tabescere.
Otio languere: vel languere, aut hebescere in otio.
Otium oblectare.
Otium conterere.
Otium consumere.
Otium tenere.
Otio frui.
Otium confirmare.
Otium perturbare.
Otio priuare.
Otium redimere.
Otium recuperare.

OVVM.

OVVM notæ est significationis nomen.

Oua Gallinis supponere.
Ouis, vel oua incubare.
Oua gignere.
Ex ouis pullos excludere.

P

PABVLVM.



PABVLVM propriè est pecudum, uel quorumuis brutorum. Translatè tamen etiam ad animum pertinet.

Pabuli magnam copiam esse.
Pabulum quærere.
Pabulum animi habere.

PABVLATIO.

PABVLATIO est actus pabulandi, uel pastus.

Pabulatione prohibere.

PACATVS.

PACATVS idem est quod sedatus, mitigatus, uel tranquillus.

Pacatum reddere.
Pacatum aliquem alicui esse.

PACIFICATIO.

PACIFICATIO est compositio, uel ab armis discessio.

Pacificationis nullam spem esse.
In pacificationem se interponere.
Pacificationem impedire.
Pacificationem extinguere.

PACTIO.

PACTIO est conditio, fœdus, promissio, uel decisio.

Ad pactionem venire.
Pactionem conflare.
Pactionem facere.
Pactionem conficere.
Pactione obstringere.
In pactione manere.
A' pactione recedere.
Pactionem perturbare.

PACTVM.

PACTVM dicitur, quod inter aliquos conuenit. Ponitur etiam pro conditione, uel modo: ut, cum dicimus nullo pacto, aut aliquo pacto aliquid fieri.

Pacto manere.
Pactum seruare.
Pactum præstare.

PAGINA.

PAGINA est utraque pars folij.

Paginam complere.
Paginæ primæ respondere.
Pagina prima perturbari.
Paginam contrahere.

PALLIVM.

PALLIVM est amiculum.

Pallium iniicere.
Pallio tegere.
Pallium detrahere.

PALMA.

PALMA *aliquando dicitur planum illud, & concauum manus, quod in digitos desinens, decorè patet. Palma quoq; arbor est: dicta, quòd comam in cacumine habeat circum extensam, & ramos in digitorum modum protensos. Palma item pro uictoria persæpe ponitur: & ideo uictoribus traditur præmio, quòd, ut Palma non cedit ponderi, sed surgit aduersum pondus, ita ipsi non cesserint, sed pertinaces in bello perstiterint. Itaque in certaminibus palmam signum esse placuit uictoriæ, quoniam ingenij eiusmodi lignum est, ut urgentibus, opprimentibus'que non cedat.*

Palmam dare.
Palmam deferre.
Palmam ferre.
Palmam accipere.
Palmam habere.
Palmam possidere.
Palmarum plurimarum aliquem esse: *Id est, qui multas consequutus sit uictorias. Cic. pro Rosc. Amerino: Alter plurimarum palmarum uetus, ac nobilis Gladiator habetur.*

PALPEBRAE.

PALPEBRAE *sunt, quæ oculos tegunt: scilicet capilli, quos homines in genis utrinque habent.*

Palpebras resecare.

PAR.

PAR *uel substantiuum, uel adiectiuum est. Cùm substantiuum est, poni solet pro numero duorum tam in masculino genere, quàm in neutro: ut paria amicorum. Cùm adiectiuum est, ferè accipi uideas pro simili, æquè potenti, decenti, æquo, conuenienti.*

Par ac, uel atque.
Par est, id facere.
Par pari referre.
Paria facere: *Id est, quod alibi omissum est, uel quod aliunde acceptum, alibi, uel aliunde compensare. Plin. Iunior. Quòd si quando cum negotijs influentibus paria fecisti, instar refectionis existimas mutationem laboris: Id est, cùm tu fungendo officio Principis negotijs explicandis, & peragendis parem te præstitisti non cedendo labori.*

PARATVS.

PARATVS *idem est, quod instructus, armatus, promptus, expeditus, uel presto.*

Paratus aliquid facere.
Paratus rei alicui.
Paratus ad aliquid.
Paratus re aliqua.
Paratus bene, vel malè à re aliqua.

PARICIDIVM.

PARICIDIVM *est cognati, uel ciuis, uel aliorum occisio: uel contra Patriam machinatio.*

Paricidio se inquinare.
Paricidio se obstringere.

PARIES.

PARIES *de priuatis dicitur, ut domorum paries: est'que id, quod interijcitur, & interiacet inter unam, & alteram domum.*

Parietem ducere.
Parietem vestire.
Parietem dealbare.
Parietem perfodere.
Parietem disturbare.
Intra parietes disceptare, vel experiri. *Cic. pro Quintio: Si quid in controuersiam ueniret, aut intra parietes, aut summo iure experiretur. Id est, aut inter amicos disceptandam rem permitteret citra iudicium, & extra cancellos forenses: aut apud Iudicem concesso sibi legibus, aut moribus iure uteretur: id est, rigore iuris ad extremum non decederet.*

PARS.

PARS *uel loci; uel muneris, uel membri est: id est diuisionis magis expressæ. Ponitur etiam pro secta, uel factione: unde dicimus partium contentionem: & animos partibus infectos: & aliquem alicuius partibus studere.*

CVM LOCI EST.

Cicero Famil. xij. Opto, ut ab istis Orientis partibus uirtutis tuæ lumen eluceat. Ibidem: Sic statuebam. omneis, quæ in istis partibus essent, opes, copias'que tuas esse.

CVM MVNERIS EST, *& officij.*

Parteis deposcere.
Parteis imponere.
Parteis dare.
Parteis suscipere.
Parteis sumere.
Parteis obtinere.
Parteis agere.
Parteis transigi. *Partes transactæ dicuntur, cùm suscepto negotio functi sumus.*
Parteis eripere.

CVM MEMBRI EST.

MEMBRI *partem cùm esse dicimus, rei cuiuslibet diuisionem intelligi uolumus: & refertur tam ad corporea, quàm ad incorporea. Ex hac significatione multi nascuntur loquendi modi, quos diligentissimè in primo Tomo nostrorum Commentariorum demonstrauimus, & explicauimus columna: 1058: & 1059. Hic tamen quosdam obiter annotabimus, ne planè ieiuni uideamur.*

In partem vocare.
Partem facere.
Partem dare.
Partem legare.
Partem habere.
Partem suam exigere.
Partem suam condonare.
Bona pars, *Pro magna parte.*
Magna, maior, maxima pars.
Multò maxima pars.
Multis partibus malle aliquid.
Propè pars: *Id est, bona, uel maior pars.*
Magnam partem. *Ex hoc nomine uenustus est loquendi modus, qui per accusatiuum effertur ita, ut exempla sequentia indicabunt: Cic. Famil. iiij. Et si absui magnam partem Consulatus tui, tamen absens cognoscebam, quae: &c. Idem in Verr. Act. vj. In hac officina maiorem partem diei sedere solebat. Idem: Nullam partem noctis requiescebat. Idem: Lachrymae magnam partem lectis, ac tenebris continebantur. Idem in Bruto: Magnam partem ex iambis nostra constat oratio. Idem Offic. Maximam partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, ut adipiscantur ea, quae concupierunt. Supra modum noua uidetur loquutio, sed non tamen Ciceroni noua. Simili enim in sequenti exemplo utitur. Sic autem resolui potest: Maximam partem nonnulli: id est, maxima pars: uel, ut plurimùm: uel maximè. Sensus tam pulchrè per ista aduerbia quadrabit, quàm per nomen: ut sit: Maximè autem nonnulli ad iniuriam faciendam aggrediuntur: uel, Nonnulli, ut plurimùm, ad iniuriam faciendam aggrediuntur. Sic uides maximam partem non à uerbo regi: quod minus quisquam doctus facilè diceret, durum hunc loquendi modum ratus, qui perelegans est. Idem Tusc. iiij. Chrysippus, & Stoici, cùm de animi perturbatione disputant, magnam partem in his partiendis, & definiendis occupati sunt: Id est, maximè, uel potissimùm.*
In omnem partem valere.
In eam partem haec scripsi, ne: &c.
In eam partem disputo, vt: &c.
In partem beneficij numerare.
In neutram partem aliquid effici posse.
Ex aliqua parte gaudere.
Ex magna parte alicui assentiri.
Ex omni parte aliquid considerare.
Pro mea parte iuui, feci, contendi. *Id est, quantum in me fuit: uel quantum tulit mea facultas: uel quantum uiribus, & facultate mea, praestare potui: uel quoad per me licuit, & fieri potuit.*

CVM SECTAE EST, *uel factionis.*

Partibus infici.
Partium alicuius esse.
Partibus studere.
Parteis sequi.
Parteis fouere.
Nullius partis esse.
Parteis dissentire.
Parteis deserere.
Parteis oppugnare.

PARTICEPS.

PARTICEPS *dicitur socius: cui opponitur expers.*

Participem facere aliquem rei alicuius.

PARTITIO.

PARTITIO *est diuisio, uel distributio.*

Partitionem facere.

PARTVS, us, ui.

PARTVS *idem est quod foetus: uel ipse pariendi actus.*

Partum afferre.
Partum facere.
Partum maturescere.
Partum appropinquare.
Partum instare.
Partum herbis abigere.
Partu leuari.

PASTVS, us, ui.

PASTVS *est locus pascuus, uel cibus tam hominum, quàm brutorum.*

Pastum inquirere.
Pastum parare.
Pastum comparare.
Pastum capessere.
Pastum conficere.

PATIENTIA.

PATIENTIA *est honestatis, aut utilitatis causa rerum arduarum, ac difficilium uoluntaria, ac diuturna perpessio.*

Patientiam suam ostentare.
Patientia uti.
Patientia, & obsequio aliquem mitigare.
In patientia obdurescere.
Patientiam alicuius obdurescere vsu.
Patientiam percallere.
Patientiam alicuius tentare.
Patientia alicuius abuti.

PATRIMON.

PATRIMONIVM.

PATRIMONIVM *ponunt Latini pro bonis paternis: hoc est, hereditate à patre relicta. Ponitur etiam aliquando translatè non sine magno ornatu.*

Patrimonium relinquere. *Non spernentis est, aut negligentis hæc locutio, sed hæreditatem relinquentis: id est, hereditate augentis.*

Patrimonium constituere.
Patrimonium obtinere.
Patrimonium retinere.
Patrimonium comedere.
Patrimonium deuorare.
Patrimonium effundere.
Patrimonium conficere.
Patrimonium dissipare.
Patrimonium dilapidare.
Patrimonium consumere.
Patrimonium eripere.
Patrimonio spoliare.
E patrimonio expellere.

PATROCINIVM.

PATROCINIVM *est defensio, uel aduocatio.*

Patrocinium suscipere.
Patrocinium arripere.
Patrocinium tueri.
Patrocinium repudiare.
Patrocinium recusare.

PATRONVS.

PATRONVS *non semper in causis est: sed is dicitur, qui tam uerbo, quàm facto imbecilliorem, uel afflictum sustentat. Et qui ciuitates, aut nationes in fidem recepissent, earum patroni erant.*

Patronum adoptare.
Patronum cooptare.
Patronum asciscere.
Patronum adhibere.
Patronum dare.
Patronum constituere.
Patronum alicui existere, vel esse.

PAVCITAS.

PAVCITAS *est raritas, uel inopia.*

Paucitatem magnam esse rei alicuius.

PAVCVS.

PAVCVS *idem est quod rarus, modicus, exiguus.*

Paucis aliquem velle.
Paucis respondere.
Paucis absoluere.
Ad pauca redigere.
Ad pauca reijci.

PAX.

PAX *præter uulgarem significationem interdum ponitur pro uenia. Aliis uerò accipitur pro concordia, otio, quiete, compositione, tranquillitate.*

Pace tua dixerim: *Id est, tua uenia, te non irascente, te non læso, te non offenso. Honestus quidem reprehensionis modus, prius capta uenia. Cicero pro Mil. Pace tua Patria dixerim: metuo enim, ne sceleratè dicam in te, quod pro Milone dicam piè. Idem de Orat. 3. Tu uix ullam cæteris Oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquisti. Idem in Offi. Peccauit igitur (pace uel Quirini, uel Romuli dixerim) Idem in Tusc. Cuius ego iudicium (pace tua dixerim) longè antepono tuo.*

Cum pace. *Cum pace ponunt aliquando Latini pro non iracundè, aut non cum ira. Cicero Tusc. 4. Nos illud quidem cum pace agemus.*

Pacem petere.
Pacem orare.
Pacem exposcere.
Pacem tentare.
De pace agere.
Pacem impetrare.
Pacem redimere.
Pacem reducere.
Pacem recuperare.
Pacem conciliare.
Pacem parere.
Pacem gignere.
Ad conditionem pacis adducere.
Ad pacem animum alicuius verti.
Ad pacem intentus.
Pacem nuntiare.
Pacem pacisci.
Pacem euenire.
Pacem conuenire.
Pacem facere.
Pacem conficere.
Pacem dare.
Pacem iungere.
Pacem accipere.
Pacem habere.
Pacem esse.
In pace esse.
Pace uti: *Pro habere pacem.*
Pacem trahere. *Pro uti.*
Pacem gerere.
Pacem agitare.
Pacem confirmare.
Pacem seruare.
Pacem abnuere.
Pacem turbare.
Pacem imminuere.

Pacem irritam facere.
Pax infecta.
Pacem eripere.
Pacem mutare.
Pacem excludere.

PECCATVM.

PECCATVM *ferè nihil à culpa differt, nisi Donati differentiam inter culpam, & delictum sequi uelis. Nam si culpa perpetuò est insciencis, est certè, in quo peccatum à culpa discrepet. Etenim peccatum eius etiam esse potest, qui animum diligenter aduertat: sed uel consilij inopia, uel rerum rudis rem prudenter, sapienterq́; non gerat. Peccatum quoq; in re quauis consistit: siue in negociorum procuratione: siue in artium, aut literarum rectè, & scienter appellandarum ignoratione. Quam significationis uarietatem confirmat uerbum, à quo ducitur. Peccare enim in re qualibet dicimur, cùm id, quod ex rei dignitate, uel natura est, prætermittimus, uel omittimus.*

Peccati licentiam patêre.
Peccatum oriri.
Peccatum portare: *Id est, habere.*
Peccatum est, id facere.
Peccatum tuum est.
Peccatum transferre.
Peccatum corrigere.
Peccatum sedare.
Peccato carere.

PECTVS.

PECTVS *est pars anterior thoracis à gula usq; ad uentrem. Non tamen solùm pro superficie thoracis ponunt Latini, sed etiam pro ijs, quæ sub pectore sunt: scilicet pro corde, pro animo, cogitatione, & similibus.*

Toto pectore amare.
Toto pectore de re aliqua cogitare.
Toto pectore in aliquid incumbere.
Pectus onerare, vel complere copia rerum plurimarum.

PECVLATVS.

PECVLATVS *est crimen eius, qui publicam pecuniam auertit.*

Peculatus accusari.
Peculatus damnari.

PECVNIA.

PECVNIAE *significatio latè apud Iurisconsultos patet, laxeq́; ditionis est: quam etiam generatim Latini pro fortunis, diuitijs, uel nummis ponunt. Vnde uerò appellata sit, indicant sequentes Columellæ, & Plinij loci. Columel. Libr. vj. Itaq; sicut ueteres Romani preceperunt, ipse quoq; censeo tam pecorum, quàm agrorum cultum pernoscere: nam in rusticatione uel antiquissima ratio est pascendi, eademq́; quæstuosissima. Propter quod nomina quoq; & pecuniæ, & peculij tracta uidentur à pecore, quoniam id solum ueteres possederunt, & adhuc apud quasdam gentes unum hoc usurpatur diuitiarum genus. Plin. Libr. xxxiij. Cap. iij. Seruius Rex primus signauit æs. Antea rudi usos Romæ Remeus tradit. Signatum est nota pecudum: unde & pecunia appellata.*

Pecuniam imperare.
Pecuniam corrogare.
Pecuniam conciliare.
Pecuniam parère.
Pecuniam curare.
Pecuniam conflare.
Pecuniam facere.
Pecuniam conficere: *Id est, facere, quærere: uel dissipare, & exhaurire.*
Pecuniam redigere.
Pecuniam exigere.
Pecuniam soluere.
Pecuniam dissoluere.
Pecuniam numerare.
Pecuniam dare.
Pecuniam legare.
Pecuniam erogare.
Pecuniam pendère.
Pecuniam decernere.
Pecuniam assignare.
Pecuniam attribuere. *Attributa pecunia est, quæ in stipendium militum de ærario à Tribunis ærarijs Quæstori adnumerari solet. Cic. in Pisonem: Nonne sestertiûm centies, & octogies ex ærario tibi attributum Romæ in quæstu reliquisti? Erat igitur propriè attributa pecunia ea, quæ Imperatoribus ad prouincias euntibus assignabatur. Sed in quodcunq; negotium assignetur, attributum hodie uocari potest. Tribuni igitur ærarij secundum Asconium Pædianum ea munera obibant, quæ nunc generales Receptores obeunt, attributam pecuniam Quæstoribus prouincialibus adnumerantes ex ærario promptam. Secundum Varronem ij erant, qui militibus ipsis protinus adnumerabant: qui nunc Thesaurarij sunt bellici. Hæc igitur diuersis temporibus uariè constituta fuerunt.*
Pecuniam ascribere.
Ad pecuniam venire.
Pecuniam alicui venire, vel obuenire.
Pecuniam ad aliquem peruenire.
Pecuniam cogere.
Pecuniam construere.
Pecuniam congerere.
Pecuniam coaceruare.
Pecuniam suppetere.
Pecuniam crescere.
Pecunia abundare, vel affluere.
In pecuniam inuadere.
Pecuniam corripere.
Pecuniam auertere.
Pecuniam depeculari.

Pecuniam auferre.
Pecuniam amittere.
Pecuniam effundere.
Pecuniam dissipare.
Pecuniam dilapidare.
Pecuniam adedere.
Pecuniam deuorare.
Pecuniam exhaurire.

PENIS.

PENIS *est membrum uirile.*
Peni deditum esse: *Id est, ueneri, uel luxuriæ.*

PENNA.

PENNA *Auium est.*
Pennas incidere.
Pennas renasci.

PENSIO.

PENSIO *est id, quod pro re aliqua soluitur: id est, quod datur pro rei alicuius usu, aut agri, aut domus.*
Pensionem debere.
Pensionem exigere.
Pensionem soluere.

PENSVM.

PENSVM *propriè est manipulus lanæ, uel lini, qui pendet ex colo, & fuso trahitur. Vnde pensa trahere dicimus pro eo, quod nere, & filare uulgus dicit. Ouidius Fast. ij. Lumen ad exiguum Famulæ data pensa trahebant. Per translationem uerò pensum est, quasi dicas cogitatum, siue meditatum. Ponitur etiam uelut pro munere, uel officio, uel susceptis in re aliqua persequenda partibus. Ducta translatione ab Ancillis pensa deducenda à Matronis capientibus. Ex qua metaphora locutiones deriuatæ uel ad officium pertinent, uel ad cogitationem referuntur.*
Pensum exigere.
Pensum conficere.
Pensum absoluere.
Pensi nihil esse.
Pensi nihil habere.

PENVRIA.

PENVRIA *dicitur inopia rei cuiuslibet: quam tamen propriè nonnulli dici uolunt earum rerum, quæ in penu recondi solent.*
Penuriam magnam esse rei alicuius.

PEREGRINITAS.

PEREGRINITAS *à peregrinatione longè differt. Peregrinatio enim in actione itineris, uel uiæ est, & in loci mutatione. Peregrinitas uerò uel in uerbis, uel in rebus esse potest: & uocamus peregrinitatem nouam quandam formam, & inusitatam.*
Peregrinitatem infundere.

PEREGRINVS.

PEREGRINVS *idem est quod aduena, hospes, incola, alienus, externus.*
Peregrinum olere.
Peregrinum redolere.
Peregrinum sonare.

PERFIDIA.

PERFIDIA *est fidei minimè obseruatæ uitium, iniquitas, peruersitas.*
Perfidia decipi.
Perfidiam alicuius increpare.

PERFVGIVM.

PERFVGIVM *est portus, arx, uel prædium.*
Perfugium præbere.
Perfugium esse alicui.
Perfugium habere.
Perfugio uti.
Perfugium obstruere.
Perfugio excludere.

PERICVLVM.

PERICVLVM *est discrimen salutis, uel dimicatio. Ponitur etiam pro experimento.*
Periculum facere: *Id est, experiri, uel tentare.*
Periculo alicuius aliquid fieri. *Ex hoc nomine elegans manat loquendi genus: ut, cùm dicimus aliquid alicuius periculo fieri: uel cùm asciscuntur pronomina, meus, tuus, suus, noster, uester. Rem autem alicuius esse, uel fieri periculo dicimus, aut nostro etiam periculo, cuius periculum, & damnum in illum, uel in nos impendet, & redundat, si quod accidat.*
Periculum esse, ne.
Periculum denuntiare.
In periculum vocare.
In periculum adducere.
In periculum arcessere.
Periculum alicui curare.
Periculum comparare.
Periculum moliri.
Periculum struere.
Periculum conflare.
Periculum intendere.
Periculum creare.
Periculum procreare.
Periculum facessere.
Periculum inijcere.
Periculum afferre.

Periculum inferre.
In periculum includere.
Periculis cingere.
Periculum esse à, vel ex re aliqua.
Periculum esse alicui.
Periculum positum esse in re aliqua.
Periculum instare.
Periculum impendêre.
Periculum imminere.
Periculum magnum alicuius agi: *Id est, aliquem in magno esse periculo: uel magnum ei periculum instare.*
Periculo se offerre.
In periculum se mittere.
In periculum se committere.
In periculum se inferre.
In periculum venire.
Periculum suscipere.
Periculum adire.
In periculo esse.
Periculum esse in aliquo.
Periculum subire.
Periculum negligere.
Periculo defungi, vel perfungi.
Periculum declinare.
Periculum refugere.
Periculum depellere.
Periculum propulsare.
A` periculo prohibere.
Ex periculo eripere.
Ex periculis extrahere.
Periculis liberare.
Extra periculum esse.
A` periculo abesse.
A` periculo vacuus.
Periculi expers.

PERIVRIVM.

PERIVRIVM *est fidei, uel iusiurandi uiolatio.*
Periurium meditari.
Periurio latebram quærere.
Periurium confirmare.

PERNICIES.

PERNICIES *est calamitas, uel exitium.*
In perniciem incumbere.
Ad perniciem instruere.
Perniciem moliri.
Perniciem comparare.
In perniciem incurrere.
Pernicie opprimi.
Perniciem depellere.
Perniciei occurrere.

PERPENDICVLVM.

PERPENDICVLVM *instrumentum est Fabri materiarij, seu cæmentarij, quo plumbo à filo, & gnomone pendente rectitudo, seu obliquitas operis perpenditur, id est, examinatur. Vel est linea laterum æqualitatem à summo ad imum latitudine probans.*
Ad perpendiculum aliquid facere: *Id est, exactè, &, ut nihil suprà.*

PERSEVERANTIA.

PERSEVER ANTIA *est constantia.*
Perseuerantiam retinere.

PERSONA.

PERSONA *uariè à Latinis ponitur. Modò enim pro homine, uel hominis statu accipitur. Modò pro onere, uel quibusdam quasi agendi partibus, munere, officio. Modò pro fabularum actore. Modò pro conficta facie.*
Personam imponere.
Personam suscipere.
Personam sustinere.
Personam gerere.
Personam tenere.
Personam tueri.
Personam deponere.

PERSVASVM.

PERSVASVM *est nobis, quod probamus, uel ad quod credendum ducimur.*
Persuasum aliquid habere.
Persuasum esse aliquid alicui.

PERTVRBATIO.

PERTVRBATIO *est auersa à recta ratione contra naturam animi commotio.*
Perturbationem afferre.
In perturbationem incidere.
Perturbatione commoueri.
Perturbatione incitari.
Perturbatione exanimari.
In perturbatione versari.
In perturbatione iacêre.
Perturbationi succumbere.
Perturbatione vacare.

PES.

PES *incipit à malleolis: finit ad ungues. Præter hanc uulgarem significationem ponitur usitatè pro pedali spacio. Ponitur item pro fune nautico, quo in naui tenditur uelum. Ponitur quoq; pro mensura metrica.*
A` pedibus seruus: *Id est, quo in itinere faciendo utimur.*
Pedibus valere.

Expe-

Ex pedibus laborare.
Pedibus proficisci.
Pedibus iter facere, vel conficere.
Pedibus ire, venire, vel reuerti.
Pedibus ingredi.
Pedibus transire, vel transmittere.
Pedem ponere.
Pedem conferre.
Pedem referre.
Pedibus trahi. *Designatur per hoc loquendi genus pessimus quidam rerum status, uel quædam uelut desperatio: uel exprimitur ad calamitatem assensus. Cic. Famil. vij. Trahantur per me pedibus omnes Rei: non laboro. Idem ad Att. iiij. Per me ista pedibus trahantur.*
Nec pedes, nec caput habere. *Dicitur res nec pedes, nec caput habere, cuius exitus difficilis est, & ita implicatus, ut desperari potius debeat, quàm in spe ulla esse.*
Ad pedes alicuius se abijcere, vel sternere.
Ad pedes iacêre, vel volutari.
Pedibus stipendia facere.
Ad pedes se dare.
Ad pedes desilire.
Pedem tollere. *Tollit propriè pedem mulier in opere uenereo, ut Cunni os patentius præbeat, uel clunibus elatioribus crisset.*

PESTILENTIA.

PESTILENTIA *loci est: & opponitur salubritati.*
Pestilentiam esse in aliquo loco.
Pestilentiam abire de aliquo loco.

PESTIS.

PESTIS *est pernicies, uel calamitas.*
Pestem machinari.
Pestem afferre.
Pestem importare.
Pestem depellere.
Pestem auertere.
Pestem comprimere.
Pestem reprimere.
Pestem exsecare.
Pestem extinguere.

PETITIO.

PETITIO *accipitur aliquando pro honorum ambitione, & ambitiosorum studio. Aliquando uerò pro actione sumitur. Præterea aliquando inuadentis, uel adorientis est: ut sunt petitiones captantium hostem, uel aduersarium ad plagam inferendam: quibus uitationes, & declinationes opponuntur.*

AD HONORVM AMBITIONEM pertinens.

Petitionem adornare.
Petitioni se dare.
Petitionem oppugnare.

CVM EST ADORIENTIS.

Petitiones effugere.
Petitiones declinare.
Petitiones vitare.
Petitiones eludere.

PETVLANTIA.

PETVLANTIA *modestiæ opponitur.*
In petulantiam incidere.
Petulantia vti.
Petulantiam frangere.

PIETAS.

PIETAS *est, per quam sanguine coniunctis, patriæque beneuolis officium, & diligens cultus tribuitur. Vel est iustitia, aut grata uoluntas in parentes. Vel est iustitia aduersum Deos. Et sæpe pietas, charitas, & bonitas quasi idem ualere uidentur.*
Pietatem colere.
Pietate summa esse.
Pietatem præstare alicui.

PIGMENTVM.

PIGMENTA *dicuntur colores Pictorum. Sunt etiam unguenta, quibus utuntur Puellæ ad uenustandam faciem. Per translationem uocamus pigmenta colores rhetoricos: uel mendacia, & fraudes.*
Pigmenta aspergere.

PIGNVS.

PIGNVS *est, quod datur, ut creditor sit securus rei creditæ: sic pro fiducia, uel securitate accipietur. Græci hypothecam uocant: quasi obligationi suppositum, uel quasi ob fidem debiti suppositum: quod Latini pignori opponere dicunt. Pignus enim tam de immobili, quàm de re mobili dicitur. Porrò pignus sæpe dicimus, cùm aut munus nostrum, aut aliquid simile, pignus esse amoris, & beneuolentiæ uolumus: id est, indicium, siue documentum, & argumentum idoneum, uel etiam signum certum. Adde, pignora aliquando pro filijs accipi: quoniam filij uidentur tanquam pignora inter uirum, & uxorem esse, tum uinculi, ne alioqui diuortium fiat: tum charitatis. Adde item, pignus appellari id à Latinis aliquando, quod deponitur ab ijs, qui simul decertant. In quibus omnibus significationibus tam translatè, quàm propriè, usurpatur.*
Pignus dare.
Pignori dare.
Pignus capere.

Pignoribus ablatis coërcere: *Id est, quod uulgò dicimus, per bonorum captionem cogere.*

PIGRITIA.

PIGRITIA *est negligentia, ignauia, uel inertia, metus consequentis laboris.*

Pigritiæ se dedere.

Pigritia tabescere.

PILVS.

PILVS *nomen generale est, & notæ significationis. Extra uulgarem uerò significationem utuntur hoc nomine aliquando Latini: idq; penè prouerbialiter.*

Ne pilo quidem minus amare.

Ne pilum quidem uiri boni habere.

Ne pili quidem facere.

PIRATICA.

PIRATICA *est ars ipsa Piratæ.*

Piraticam facere. *Piraticam faciunt Piratæ, & prædones, dum artem suam exercent.*

PISTRINVM.

PISTRINVM *locus est, in quo panis pinsitur, & fit. In pistrinum autem antiquitus à dominis trudebantur serui ob noxam.*

In pistrinum contrudere.

In pistrinum compingere.

In pistrinum dare, uel dedere.

In pistrinum tradere.

In eodem pistrino eundem uiuere: *Id est, in eadem seruitute, & calamitate.*

PLAGA.

PLAGA *uarijs significationibus est apud Latinos. Interdum enim plagæ dicuntur rariora retia ad capiendas feras. Alia est plagæ significatio, cum ponitur pro Cœli, uel Terræ spatio amplissimo: quod etiam clima, & tractus dicitur. Ponuntur quoque plagæ pro tapetibus, uel stragulis. Ponitur præterea plaga pro uulnere, uel percussione. Ex hac significatione transfertur nonnunquam: & tunc idem est, quod calamitas, damnum, exitium, uel offensio.*

Plagam facere.

Plagam inijcere.

Plagam accipere.

PLAVSVS.

PLAVSVS *est secunda admurmuratio, & uox populi studium suum indicantis.*

Plausum quærere.

Plausum captare.

Plausum excitare.

Plausum dare.

Plausum impertiri.

Plausum tribuere.

Plausum mori.

Plausum refrigescere.

PLORATVS, us, ui.

PLORATVS *est actus plorandi.*

Ploratum edere.

Ploratu complere.

POCVLVM.

POCVLVM *est scyphus, uas scilicet, in quo bibitur.*

Poculum dare.

PODAGRA.

PODAGRA *est dolor artuum, uel pedum.*

Podagræ doloribus cruciari.

Podagræ doloribus ardere.

POEMA.

POEMA *est Poëtarum opus.*

Poëma facere.

Poëma componere.

Poëma condere.

POENA.

POENA *est supplicium, quo quis ob delictum affligitur.*

Pœnam constituere.

Pœnam comparare.

Pœnas persequi.

Pœnam petere ab aliquo.

Pœnas expetere ab aliquo.

Pœnas repetere. *Pro expetere.*

Pœna afficere.

Pœnas conuerti in aliquem.

Pœnam appropinquare.

Pœnam peruenire ad aliquem.

Pœnam subire.

Pœnam suscipere.

Pœnam sustinere.

Pœnam ferre.

Pœnam capere.

Pœnas pendĕre.

Pœnas dependere.

Pœnas dare.

Pœnas dedere.

Pœnas soluere, vel persoluere.

Pœnas luere.

Pœnas reddere: *Id est, luere.*

Pœna teneri.

In pœna esse.

In pœnis hærere.

Pœnam effugere.

E pœna elabi.

Pœna liberare.

POMPA.

POMPA *dicitur omne spectaculum, & apparatus solemnis cum ostentatione, & specie quadam triumphi tam in aduersis, quàm in prosperis, & lætis. Sic dicitur pompa nuptiarum, sacrorum, funerum. Et pompa in supplicatione (processionem Barbari uocant) longus ordo incedentium.*

Pompam adhibere in dicendo.

PONDVS.

PONDVS *propriè est, quod librando ad stateram ponderatur. Sed quoniam, quod propriè ponderosum est, hoc graue esse uidemus, fit, ut pondus translatè à Latinis pro grauitate dicatur: & res etiam, uel homo nullius ponderis uocetur, qui nullo numero est, & pro nihilo ducitur.*

Pondus afferre.
Pondus accedere.
Pondus habere.
Ponderis, vel pondere esse: *Pro, pondus habere.*

PONS.

PONS *generaliter significat omne, per quod super aquas transimus. Vnde & pro scala nauium quandoq; ponitur.*

Pontem facere.
Pontem efficere.
Pontem interrumpere.
Pontem rescindere, vel interscindere.
Pontem disturbare.
Pontem reficere.
Pontem instaurare.

POPINA.

POPINA *est ganea, uel culina.*

Popinam inhalare.
Ex popina extractus.

PORTICVS.

PORTICVS *est ambulatio, hexedra, xystus.*

Porticu ædes cingere.

PORTIO.

PORTIO *idem est quod pars.*

Pro rata portione: *Id est, pro rata parte.*

PORTORIVM.

PORTORIVM *dicitur uectigal portus, uel fluminum, uel lacuum, uel stagnorum. Nam & portitor ille dicitur, qui traducit homines, ac uehit nauigio uel de naui ad litus: uel ad ulteriorem fluminis, lacus, stagniúe seu ripam, seu litus.*

Portorium imponere.
Portorij nomine aliquid exigere.
Portorium dare.

PORTVS.

PORTVS *est locus conclusus, in quem importantur merces, & unde exportantur. Vel ad quem applicant naues, & in quo persæpe hiemant. Translatè pro profugio usurpatur: ducta translatione à Nautis, qui aduersa tempestate iactati, sese in portum, si portum nancisci possunt, ut ad profugium, recipiunt. Vnde dicimus aliquem hominem portum esse alicui.*

Ex portu prodire.
Ex portu progredi.
In portum cogere.
In portum compellere.
In portum conijcere.
In portum inuehi.
In portum deferri.
In portum se recipere.
In portum venire, vel peruenire.
Portum capere.
Portum tenere: *Id est, portum capere: uel occupare. Et sic duplicis significationis est hæc locutio.*
In portu nauigare. *Hoc prouerbio significamus, nos iam à periculis abesse. Propterea quòd qui medijs adhuc in fluctibus nauigant, hi uentorum, & æstus arbitrio nauigant. Contrà, qui iam intra portum sunt, nihil habent negotij cum undis, ac uentis. Vnde uulgatissima metaphora hominem, in cuius præsidio conquiescimus, portum appellamus. Et qui sese ad tranquillam, tutamq; aliquam uitæ rationem traducunt, in portum se recipere dicuntur.*
In portu esse: *Id est, in tuto.*
In portu impingere. *In portu impingere per prouerbium dicuntur, qui statim ad principium peccant. Ducta metaphora à Nautis, qui uixdum anchoris solutis, & naue uento commissa in saxum incidunt, uel naufragium faciunt.*

POSSESSIO.

POSSESSIONEM *ita intrepretantur, ut aliquando proprietatem, & usum, siue actum possidendi agri, aut ædificij, non agrum, aut ipsum fundum significet. Aliquando uerò bona ipsa designet. Sic igitur erit pro iure possidendi: siue pro re possessa. Possessio quoq;, ut possidere, non solum bonorum est, sed rerum etiam aliarum. Præterea obserua, possessionem fiduciariam à Latinis dictam, quam sub manu regia possidere hoc tempore dicunt.*

In possessionem mittere. *In possessionem mittere dicitur Iudex ex edicto, qui rem alterutri litigantium adiudicat.*
Possessionem dare.
In possessionem irruere.
In possessionem proficisci, uel venire.
In possessionem pedem ponere.
Possessionem vsurpare.
Possessionem occupare.

Possessionem habere.
Possessionem esse alicui.
In possessione esse, vel consistere.
Possessionem tenere.
In possessione retinere.
In possessione manere.
Possessione pellere.
Possessione depellere.
Possessione deturbare.
Possessione exturbare.
Possessione mouere, vel dimouere.
Possessione deijcere.
Possessione cedere.
De possessione decedere.
Possessionem recuperare.
Possessionem restituere.

POSTERITAS.

POSTERITATEM *ponunt Latini pro seculis futuris.*
Posteritati seruire. *Posteritati seruimus, cùm rebus gestis nostris memoriam Posteritatis aucupamur.*

POSTERVS.

POSTERVS *idem est quod consequens.*
In posterum.
In posterum prospicere.
In posterum prouidere.
In posterum differre.

POSTLIMINIVM.

POSTLIMINIVM *est ius amissæ rei recipiendæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ, inter nos, ac liberos populos, Regesq́; , legibus, ac moribus constitutum. Nam quod bello amisimus, aut etiam citra bellum, hoc si rursus recipiamus, dicimur postliminio recipere. Id quod naturali æquitate introductum est, ut, qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is, ubi in fines suos rediisset, pristinum ius suum reciperet.*
Postliminium esse alicui: *Id est, ius postliminij.*
Postliminio redire.

POSTRIDIE.

Postridie, *Id est, postero die.*
Postridie: *Absolutè positum.*
Postridie eius diei.
Postridie quàm.

POSTVLATIO.

POSTVLATIO *modò pro supplicatione ponitur: modò pro accusatione. Cùm pro supplicatione ponitur, ferè intelligitur de sacra: quam uulgò uocant processionem. Si uerò pro querela, uel quasi iusta interpositione querelarum usurpetur, tunc inter postulationem, & expostulationem id differentiæ constituunt, ut expostulatio sit apud illum ipsum, qui peccauerit. Postulatio, de illo apud alterum.*
Postulationem deberi.
Postulationem decernere.
Postulationibus uacare: *Id est, ut Barbari loquuntur, requestas expedire.*
Postulationi resistere.

POSTVLATVM.

POSTVLATVM *postulationis significationes retinet.*
Postulata edere.
Postulata deferre.
Postulata accipere.
Postulata remittere.

POTENS.

POTENS *dicitur, qui in magna potentia est: uel magnis opibus, & copijs præditus, atq; affluens.*
Potens re aliqua.
Potens rei alicuius.

POTENTIA.

POTENTIA *est ad sua conseruanda, & alterius obtinenda idonearum rerum facultas.*
Potentiam consequi.
In potentia esse.

POTESTAS.

POTESTAS *Latinis est facultas, optio, ditio, imperium, ius, uis, potentia. Cuius nominis multa tradit Paulus Iurisconsultus, de Verborum significatione, Leg. Potestatis. Potestatis, inquit, uerbo plura significantur. In persona Magistratuum, imperium: in persona Liberorum, patria potestas: in persona Serui, dominium. At cùm agimus de noxæ deditione cum eo, qui seruum non defendit, præsentis corporis copiam, facultatemq́; significamus. Præter hæc, dicuntur potestates in plurali numero Principes, potentes (quos Græci Dynastas uocant) & ij, qui magistratus gerunt, & iudicijs præsunt.*
Potestatem obsidere.
In potestatem redigere.
In potestatem cadere.
In potestatem venire, vel peruenire. *Passiuæ significationis est hæc locutio. Etenim in potestatem uenire, uel peruenire, non est potestatem assequi, aut adipisci: sed in potestatem cadere, uel sub potestatem alicuius subijci.*
Sub potestatem se subijcere.
In potestate esse. *Non actiuè, sed passiuè, sonat hæc locutio. Nam ea dicuntur esse in potestate nostra, quæ in potestatem nostram uenerunt: sed dicimur in potestate esse eius, qui potestatem, autoritatemq́; in nos habet, uel sub cuius potestatem subiecti sumus aut sponte, aut dominationis iure, aut*

emptionis nexu, aut accepti beneficij obligatione.
In potestate habere.
In potestate contineri.
In potestate tenere, vel retinere.
Potestatem dare.
Potestatem concedere.
Potestatem permittere.
Potestatem tradere.
Potestatem deferre.
Potestatem facere.
In potestate alicuius aliquid ponere.
In potestatem suscipere.
Potestatem esse alicui alicuius rei.
In potestate alicuius aliquid esse situm.
Potestatem esse sitam in aliquo.
Potestatem penes aliquem esse.
Potestate præditum esse.
Potestatem habere.
Potestatem gerere.
Potestatem adimere.
Potestatem præcidere.
Potestatem eripere.
Potestatem abrogare.
Potestate priuare.
Potestatem delere.
De potestate exire, *Pro insanire.*
In potestatem redire, *Pro ad sanam mentem referri.*

PRAECEPTA.

PRAECEPTVM *idem est quod monitum, admonitio, institutum, iussum, uia, ratio.*
Præcepta dare.
Præcepta tradere.
Præcepta accipere.
Præcepta tenere, *Pro seruare.*

PRAECEPTOR.

PRAECEPTOR *est doctor, qui nos erudit, uel cuius consilio utimur.*
Præceptorem habere.
Præceptore aliquo vti.

PRAECEPS.

PRAECEPS *interdum ad locum pertinet: & dicitur preceps locus, unde quis se præcipitem dare facilè posit: uel uia preceps est, in qua uix licet sine aliqua prolapsione consistere. Ad alia etiam quadrat: dicitur enim homo preceps, qui nullo capto consilio ad omnia proiectus est, uel omnia inconsultè, & temere aggreditur nulla utens prudentia, nulla deliberatione. Ponitur uerò interdum pro uehementer celeri, & subito: id quod tam ad res, quàm ad personas, refertur. Etenim appellamus præcipitem profectionem, præcipitem discessum, præcipitem reditum, & similia. Quorum susceptio plena temeritatis, & inconsulti animi est.*
Præcipitem agere. *Præcipitem agere est exturbare: sed certo quodam loquendi modo dicunt Latini aliquem à furore, uel furijs, uel amentia agi præcipitem, qui furoris, uel amentiæ plenus uideatur, & quasi per furorem, uel amentiam à mente, & ratione deiectus.*
Præcipitem ferri. *Præceps ferri dicitur, qui præceps agitur. Vnde præcipitem amentia ferri. Præcipites etiam ferri dicimur, cum nimia celeritate utimur, & non satis consideratè, aut consultò aliquid agimus.*

PRAECO.

PRAECO *est buccinator, uel prædicator: dictus à prædicendo, quòd antè canat, & annunciet, quod est faciendum. Erant enim præcones, qui iussu Magistratus publicè aliquid ore denunciabant: qui auctionem faciebant: & qui audientiam in theatris indicebant. Erant quoq; præcones in iudicijs, qui Senatusconsulta prædicabant, & recensebant, posteaquàm erant decreta. Qui iudices, & Candidatos suis nominibus appellabant: quales sunt, quos Hostiarios uulgò uocamus: qui etiam literas in Senatu publicè legebant: qui item bona, quæ proscribebantur, publicè auctioni proponebant, ac proclamabant, & precia conficiebant.*
Præconem suæ virtutis inuenire.
Præconem esse aliquem alicui.
Præconi subijcere bona alicuius.
Præconis voci subijcere.
Sub præcone subijcere. *Tres hæ locutiones ad auctionem, & hastam pertinent.*

PRAECONIVM.

PRAECONIVM *est laus: uel ars præconis.*
Præconium facere: *Id est, artem præconis exercere. Vt piraticam, argentariam facere: & similia.*
Præconium alicui impertiri.
Præconium tribuere.
Præconium præstare.

PRAEDA.

PRAEDAM *propriè dici uolunt corpora ipsa rerum, quæ capta sunt.*
Prædæ esse.
Prædam facere.
Prædam agitare, vel agere.
Prædam parere.
Prædæ dare.
Prædam capere.
Prædam diuidere.
Prædam condonare.
A' præda cohibere.
A' præda repellere.

PRAEFECTVRA.

PRAEFECTVRAE ea appellabantur in Italia, in quibus & ius dicebatur, & nundinae agebantur: & erat quaedam earum Respublica: neq; tamen magistratus suos habebant: in quas legibus praefecti mittebantur quotannis, qui ius dicerent.

Praefecturam petere.
Praefecturam deferre.
Praefecturam dare.

PRAEIVDICIVM.

IVDICIVM à praeiudicio differt, ut praeiudicium antecesse, iudicium sequi uideatur. Nam iudicium est, quod ex causa ipsa fit: praeiudicium autem, quod iudicibus exemplum praebet ad iudicandum postea in eadem causa, uel paribus causis: ut clarè in oratione Ciceronis pro Cluentio colligitur: qui duobus praeiudicijs, uno in Scamandrum, altero in Fabritium eadem ueneficij causa factis Oppianicum damnatum esse demonstrat.

Praeiudicium facere.

PRAELIVM.

PRAELIVM est ipsum armorum certamen, uel pugna, conflictusq;, qui in bello committitur.

Praelium pronuntiare.
Praelio lacessere.
Ad praelium elicere.
Praelium ciere.
Praelium inire.
Praelium incipere.
In praelium ruere.
Praelium inferre.
Praelium conserere.
Praelium edere.
Praelium facere.
Praelium committere.
Praelio contendere.
Praelio decertare.
Praelio confligere.
Praelium pugnare.
Praelium sustinere.
Praelio defungi.
Praelium conficere.
Praelium dirimere.
Praelium intermittere.
Praelio abstinere.
Praelio supersedere.
Praelio excedere.
Ex praelio elabi.
Praelium renouare.
Praelium redintegrare.
Praelium restituere.

PRAEMIVM.

PRAEMIVM uocant Latini, mercedem, fructum, uel beneficium: uel id, quod in ludis proponitur ijs, qui se strenuè gesserint, & uictores euaserint.

Praemium proponere.
Praemijs inuitare.
Praemium deferre.
Praemium tribuere.
Praemium dare.
Praemio donare.
Praemio afficere.
Praemium soluere.
Praemium persoluere.

PRAEPARATIO.

PRAEPARATIO est apparatus.

Praeparationem adhibere.

PRAEROGATIVA.

PRAEROGATIVA significat specimen, uel tanquam praeiudicium. De praerogatiua autem ita scribit Asconius Paedianus: Praerogatiua significat aliquid dictum, aut factum liberaliter ab eo, qui nobis benefacturus est, ante ipsum beneficium nobis praestitum.

Praerogatiuam dare suae voluntatis.

PRAES.

PRAEDIS significationem hanc tradit Varro. Praes est (inquit) qui à Magistratu interrogatur, in publicum ut praestet: à quo, cùm responderit, dicitur praes. Festus quoq; sic praedem definit, ut sit praes, qui populo se obligat, interrogatus à Magistratu. Idem alibi mancipem etiam praedem dici ait, quia tam debet (inquit) populo praestare, quod promisit, quàm is, qui pro eo praes factus est. Hodie uerò praedes uocare possumus, qui sponsores Reipublicae, uel Principi facti pro ijs pecuniam publicam dispensant: quos Receptores uulgò uocant. Eorumq; bona, praedia possunt dici. Ii etiam, qui publicanos in locationibus uectigalium, aut eorum fideiussores locupletes affirmant (quos idoneos, & sufficientes testificari uocant) praedes dici propterea possunt, quòd locupletes eos esse ipsi praestare debent. Praedes quoq; interdum accipiuntur pro bonis praedijs.

Praedibus, & praedijs cauere.
Praedes dare.
Praedes accipere.
Praedem pro aliquo esse.

PRAESCRIPTIO,
Praescriptum.

PRAESCRIPTVM est formula, norma, regula, certa quaedam, & definita lex, uel religio. A praescripti significatione nihil differt praescriptio. Nonnulli pro exceptione, & transla-

& translatione interpretantur: & ita sanè, ut præscriptionem, exceptionem, & translationem unum, & idem in re forensi significare uelint: nempe præscribere, perscribere, subscribere, uerba sunt propria fori, & iudiciaria: unde hoc uerbum utraq; lingua tractum est. Atq; adeo Iurisconsulti in Pandectis promiscuè excipiendi uerbo, & præscribendi usi sunt: licet præscriptionis uocabulum apud recentiores legum interpretes, & apud Iuris Pontificij conditores ad præscriptionis, exceptionisq; temporis significationem coarctatum sit, & præfinitum.

Præscriptum dare.

Ex præscripto aliquid agere.

Præscriptum seruare.

PRAESENS,
Præsentia.

HARVM *uocum significationem pluribus explicare nihil opus est, quæ per se satis patet, & proximè ad uernaculam linguam accedit.*

Præsens animus. *Præsens animus dicitur, dum in id, quod propositum, uel susceptum est, totus incumbit, nec ulla alia cogitatione ad aliud auocatur.*

Præsentia animi, *Pro fortitudine.*

Præsens, *Pro subito, uel efficaci. Præsens pro subito, uel potenti, uel in primis efficaci ponitur. Quæ significatio tam in malam, quàm in bonam partem, inclinat: ut præsentißimum periculum, præsentißima medicina: præsentißimum remedium, præsentißimum uenenum: præsens pestis, præsens auxilium. In bonam partem captum hoc nomen, pro propicio interpretari potes. In malam rem uerò sumptum, rectè etiam pro uehementer pernicioso interpretabere. Cur autem in utramuis partem pro efficaci ponitur, in promptu ratio est. Et primùm de bona significatione: quia quod salutare est, faciliùs, si adiungatur, & citiùs, quàm id, quod abest, opem ferre, uel auxilio esse potest. De mala significatione: ea etiam, quæ exitiosa sunt, si cui sint proxima, aut si præsentia hereant, grauiorem uim pestis immittunt, quàm si remotiora sint, & à nobis longiùs abducta.*

Præsens, *Pro parato, uel in promptu. Cic. ad Att ij. Pro eo tibi præsentem pecuniam solui imperaui.*

In rem præsentem venire. *In rem præsentem uenire, non tempus, sed locum significat: & idem est, quod ad locum uenire, de quo controuersia sit.*

In re præsenti disceptare. *Cùm in rem præsentem uentum est, in re præsenti disceptatur.*

In præsenti. *In præsenti, in præsens, in præsentia. Tota ad tempus pertinent hæc loquendi genera.*

In præsens.

In præsentia.

In præsentiarum. *In præsentiarum ponunt Cato, Cor. Tacitus, & Vlpianus Iurisconsultus: sed apud alios uix, aut rarò reperias.*

PRAESIDIVM.

PRAESIDIVM *interdum adiumentum, siue auxilium significat. Aliquando uerò denotat numerum, & stationem militum ad urbis, uel arcis custodiam destinatorum: licet etiam in uniuersum præsidia in plurali numero significent parteis, & castra.*

PRO AVXILIO.

Præsidium ferre, vel afferre.

Præsidio esse.

Præsidijs abundare.

PRO NVMERO MILITVM.

Præsidia parare, uel comparare.

Præsidia habere.

Præsidia deducere.

In præsidium mittere.

Præsidium relinquere.

Præsidium constituere.

Præsidia ponere, vel disponere.

Præsidium imponere.

Præsidium collocare.

In præsidijs collocare.

Præsidijs obsidere.

Præsidijs intercludere.

Præsidijs tenere.

Præsidijs munire.

Præsidijs sepire.

Præsidijs firmare.

Præsidijs confirmare.

Præsidia munire, vel confirmare.

Præsidia dimittere.

Præsidijs nudare.

De præsidio deijcere.

De præsidio decedere.

De præsidio abire.

PRAESTANTIA.

PRAESTANTIA *est excellentia.*

Præstantiam rei alicuius consequi.

Præstantiam habere.

Præstantia excellere.

PRAESTO.

Præsto esse alicui. *Præsto esse dicunt Latini, cùm & aliquis nobis sit obuius: &, cùm opem fert in tempore. Ponitur etiam præsto pro parato.*

Præsto esse ad: *Vt, ad nutum alicuius.*

Præsto esse: *Pro aduenire. Cic. ad Heren. Hirundines æstiuo tempore præsto sunt.*

PRAEVARICATOR.

PRAEVARICATOR *est accusator à reo pecunia corruptus.*

Præuaricatorem apponere.

PRANDIVM.

PRANDIVM *notæ est significationis dictio.*

Ad prandium vocare.

Prandium denuntiare.
Prandium condicere.
Prandium parare.
Prandium dare.
Prandium præbere.
Prandio accipere.

PRATVM.

PRATVM *dictum uolunt, quòd semper paratum sit. Prati enim facilima Agricolis cura est, ac minimi impendij.*

Pratum cratire. *Cratire est inducta crate coæquare: quod fit in pratis, dum grumos dissipamus ita, ut necubi ferramentum fænisecæ possit offendere.*
Pratum cædere.
Pratum secare.
Pratum sicilire. *Sicilire est, quæ malè secta sunt, secare: ut fit, cùm fænisecæ prætereunt in pratis.*
Pratum renouare.
Pratum restituere.

PRAVITAS;

PRAVITAS *propriè est deformitas: ut prauitas membrorum, prauitas oris. Translatè uerò pro uicio, peruersitate, uel iniquitate usurpari à Latinis solet.*

Prauitatis errore imbui.
Prauitatem aliquem tenere.
In prauitate perstare.
De prauitate deducere.

PRECES.

PER *nominatiuum pluralem hoc nomen annotamus, quòd nominatiuum singularem usitatum non habeat: uix enim dicitur prex. Reliqui casus singulares satis in usu positi sunt: maximè ablatiuus. Ponuntur autem preces pro precatione, rogatione, uel obtestatione.*

Precibus agere cum aliquo.
Preces audire.
Preces repudiare.

PRETIVM.

PRETIVM *significat præmium, uel mercedem, uel id, quod datur pro re empta.*

Pretium statuere.
Pretium constituere.
Pretium facere: *Id est, pretium statuere, uel apponere.*
Pretium pacisci.
Pretium habere. *Pretium habere res dicitur, quæ in summo pretio est.*
Pretij esse. *Pretij esse, idem est, quod pretium habere: & dicitur tam de personis, quàm de rebus. Atq; cùm de personis dicitur, accipi solet pro existimatione, uel autoritate.*
Pretium dare.
Pretium enumerare.
Pretium pendĕre.
Pretium persoluere.
Pretium iacêre. *Pretium rei alicuius iacêre dicitur, quod admodum paruum est.*

PRIDIE.

PRIDIE *est quasi heri, non tamen diei præsentis, sed cuiusdam alterius aut præteriti, aut futuri. Præteriti sic: pridie, quàm intrarem nauem, lux serena effulsit. Futuri sic: pridie, quàm intres patriam, sacrificium facito: id est, die præcedenti, quo aut mare intrarem, aut patriam intrabis.*

Pridie sine casu.
Pridie calendas.
Pridie calendarum.
Pridie calendis.
Ad pridie.
Vsq; ad pridie.
Pridie quàm.

PRIMAE.

PRIMAS *ferre, primas deferre, primas dare, primas tenere Veteres dicebant: subintelliguntur tamen partes. Sed hoc quoq; obseruandum est: cùm primas deferri dicimus, significamus primas parteis alicui concedi. Cùm uerò ferre primas aliquis dicitur, id significatur, illum primas auferre, & tenere.*

Primas deferre.
Primas dare.
Primas concedere.
Primas ferre.
Primas tenere.
Primas agere.

PRIMORDIVM.

PRIMORDIVM *idem est quod principium.*

Primordium capere. *Cic. de Leg. A` Dijs immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia.*
Primordium ducere.

PRINCEPS.

PRINCEPS *est, non qui rerum, aut regni alicuius potitur: sed qui primas in re aliqua tenet, uel qui primaria est autoritate: uel qui alacrius studium in re aliqua suscipienda profitetur, & operam paratissimam defert: adiectiuumq; semper est, non substantiuum. Cùm enim principem aliquem uocamus, uirum subintelligimus.*

Principem esse rei alicuius: *Id est, autorem, ducem, uel quo res tota nititur.*
Principem esse in re aliqua.
Principem locum tenere.
In principibus esse. *Cic. in Brut. In principibus patronis aliquot annos fuit.*

PRINCIPATVS.

PRINCIPATVM *uocant Latini primas, uel dominatum.*

Principatum concupiscere.
Principatum petere, uel appetere.
Principatum deferre.
Principatum dare.
Principatum tribuere.
Principatum ferre.
Principatum tenere.
Principatum obtinere.
Principatum delere.
Principatum auferre.

PRINCIPIVM.

PRINCIPIVM *est initium, primordium, exordium, uel procemium. Quod nomen modò ad numerum, modò ad tempus, modò ad fundamentum refertur. Extra uerò uulgarem significationem ponunt Latini principia pro loco in castris, à Principibus militibus sic appellato. Inde post principia esse: id est, in tuto, citráque periculum. Sumptum à bellis, in quibus tutißimus locus est post principia: siquidem in prima acie stabant Hastati: in secunda Principes. Hos sequebantur Scutati omnes, maximè insignes armis. Post hos Triarij: quemadmodum indicat Tit. Liuius Decad. prima Lib. viij. Itaq; nullus in acie locus tutior erat, quàm post principia. Terent. Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo. Erat autem hic locus timido nebuloni conueniens. Id quod ridens Gnato: Istud, inquit, est sapere: ut hosce instruxit, ipse sibi cauit loco: idem hoc Pyrrhus factitauit. Tit. Liuius ab Vrbe cond. Lib. ij. Quia à tergo erant cliui, in eos post principia, integris ordinibus tutus receptus fuit. Insignior ea sit principiorum significatio: nunc ad uulgariores locutiones uenio.*

Principiò: *Id est, initiò.*
A`principio.
In principio.
Principium dare.
Principium ducere.
Principium habere.
Principium protendere.

PRIVILEGIVM.

PRIVILEGIVM *est lex priuato homini irrogata.*

Priuilegium rogare.
Priuilegium ferre.
Priuilegium irrogare.
Priuilegium tollere.
Priuilegium infirmare.

PROBRVM.

PROBRVM *est dedecus, conuitium, maledictum, flagitium, stuprum, adulterium.*

Probrum obijcere.
Probrum inferre.
Probrum ingerere.
Probro esse.
Probris vexare.
Probri insimulare.
Exprobris emergere.

PROCESSVS.

PROCESSVS *idem est quod progressus, uel auctus, us, ui. Et id translatè.*

Processum facere.
Processum efficere.
Processum habere.

PROCINCTVS, us, ui.

PROCINCTVS *est apparatus, uel expeditio bellica.*

In procinctu facere: *Id est, expeditè, & celeriter.*
In procinctu stare: *Id est, accinctum esse.*
In procinctu habere: *Id est, in promptu.*

PROCVRATIO.

PROCVRATIO *uerbi sui significationis uarietatem retinet. Ponitur enim interdum pro administratione. Interdum pro expiatione.*

PRO ADMINISTRATIONE.

Ad procurationem uocare.
Procurationem committere.
Procurationi præficere.
Procurationem habere.
A`procuratione amouere.
Procuratione priuare.

PRO EXPIATIONE.

Procurationem constituere.
Procurationem facere.

PROFECTVS, us, ui.

PROFECTVS *dicitur utilitas, quæ ex alicuius rei tractatione nobis prouenit.*

Profectum facere: *Profectum facere idem est, quod progressum facere, uel progressum habere: scilicet in re aliqua procedere, proficere, uel progredi.*

PROGRESSIO;

Progressus, us, ui.

PROGRESSIO, *uel progressus, idem est, quod processus.*

Progressum facere.
Progressum habere.
A`progressu arcere.
A`progressu tardare.

PROMISSVM.

PROMISSVM *est fides, uel receptum.*

Promissum facere.

Promisso teneri. *Promisso teneri dicitur, qui promissum fecit.*

Promisso tenere. *Promisso aliquem tenemus, quem promisso facto prolectamus.*

Promissis alicuius pendêre.

Promissum expetere, repetere, uel exigere.

Promissis stare.

Promissum seruare.

Promisso satisfacere.

Promissum soluere, uel exoluere.

Promissum efficere.

PROPENSVS.

PROPENSVS *idem est, quod procliuis, uel deditus.*

Propensus ad aliquid.

Propensus in aliquid.

PROMPTVS, us, ui.

In promptu ponere.

In promptu habere.

In promptu esse.

PROPORTIO.

PROPORTIO *est pars, uel comparatio.*

Proportionem habere. *Cic. de Vniuers. Habebat numerus ad numerum eandem proportionem.*

PROPOSITVM.

PROPOSITVM *est mens, uel consilium, aut ratio rei alicuius propositæ, uel institutum.*

In proposito manere.

A' proposito declinare, uel egredi.

A' proposito aberrare.

Ad propositum redire.

Ad propositum reuerti.

PROPVGNACVLVM.

PROPVGNACVLVM *est locus munitus, unde uehementer certari posit, & defendi procul. Per translationem pro præsidio el gans est.*

Propugnaculum habere.

Propugnaculum opponere.

Propugnaculum obijcere.

Propugnaculo esse.

Propugnaculum deijcere.

PROPVGNATIO.

PROPVGNATIO *est defensio.*

Propugnationem suscipere.

PROROGATIO.

PROROGATIO *est dilatio, uel prolatio.*

Prorogationem efflagitare.

Prorogatione uti.

PROSCRIPTIO.

PROSCRIPTIO *est damnatio, uel publica uenditio, aut uenditionis significatio.*

Proscriptionem ferre.

Proscriptionem instaurare.

Proscriptionem facere.

PROSPERITAS.

PROSPERITATEM *uocant Latini res secundas, uel commoditatem.*

Prosperitatem uitæ ab aliquo habere.

Prosperitate rerum nimia inflari.

Prosperitate superbire.

PROVERBIVM.

PROVERBIVM *dicitur quasi commune omnium uerbum: est enim sententia, quæ in ore omnium uersatur.*

Prouerbium sermone tritum.

Prouerbij locum aliquid obtinere.

Aliquid in prouerbij consuetudinem uenire.

In prouerbium cedere.

Prouerbij loco aliquid dici.

In prouerbio communi aliquid uersari.

In prouerbio aliquid esse hominibus.

PROVINCIA.

PROVINCIA *aliquando est terra: ut, prouincia Sicilia, prouincia Asia, prouincia Gallia, prouincia Consularis, Prouincia Prætoria. Aliquando accipitur pro onere, negotio, munere, partibus, penso, labore, officio. In qua significatione quare ponatur prouincia, rationem, quæ sequitur, afferre solent. Quoniam Præfecti ad prouincias gubernandas cum officio mitti solebant, factum est etiam, ut ipsi magistratus, & omne onus nobis impositum, prouincia appelletur. Ad utramque uerò significationem eædem pertinent loquendi formæ. Quare eas non distinguam.*

Prouinciam deposcere.

Prouinciam sortiri.

Prouinciam decernere.

Prouinciam dare.

Prouinciam tribuere.

Prouinciam tradere.

Prouinciæ præficere.

Prouinciam obtingere.

Prouinciam obuenire.

Prouinciam capere.

Prouinciam accipere.

Prouinciam habere.

Prouinciam

Prouinciam ſuſtinere.
Prouinciam obtinere.
Prouinciæ præeſſe.
In prouincia uerſari.
Prouinciam gubernare.
Prouinciam adminiſtrare.
Prouinciam obire.
Prouinciam conſeruare.
Prouinciam prorogare.
Prouinciam deponere.
Prouinciam finire.
Prouinciam abrogare.
Prouincia ſe abdicare.
Prouinciæ ſuccedere.

PROVOCATIO.

PROPRIE ad maiores, potentiores'que, quorum ope, atque gratia indigemus, pertinet prouocatio: & neſcio quid maius habet, quàm appellatio.

Prouocationem dare.
Prouocationem habere ab aliquo ad aliquē.
Prouocationem eſſe alicui ab aliquo ad aliquem.

PRVDENTIA.

PRVDENTIA eſt calliditas, quæ ratione quadam poteſt delectum habere bonorum, & malorum.

Prudentiam habere.

PVBLICVS.

PVBLICVM idem eſt, quod commune, uel quod non eſt priuatum alicuius. Hinc Reſpublica dicta eſt, res populi. Et publica uectigalia: ex quibus uectigal Fiſcus capit: quale eſt uectigal portus, uel uenalium rerum, item ſalinarum, & metallorum, & piſcariarum. Hinc dictum etiam publicum conſilium pro Senatu. Hinc etiam appellata publica fides. Hinc publica uerba. Hinc publica pecunia. In neutro genere ſubſtantiuato aliquando ſignificat uectigal: unde & Publicani dicti ſunt, ut in primo noſtrorum Commentariorum Tomo oſtendimus, cùm Publicani ſignificationem interpretaremur. Præterea non uulgaris eſt elegantiæ locutio apud Latinos, cùm ponunt publicum in neutro genere pro conſpectu publico.

In publicum prodire.
In publico ambulare.
Publico frui.
Publico carere.
In publicum, uel in publico proponere.

PVDICITIA.

PVDICITIA pro pudore accipi ſolet: ſed maximè corporis eſt: cui opponitur libido, uel luxuria.

Pudicitiam expugnare.
Pudicitiam eripere.
Pudicitiæ parcere.

PVDOR.

PVDOR pro uerecundia, ingenuitate, uel modeſtia ponitur.

Pudorem eſſe in aliquo.
Pudorem retinere.
Pudorem dimittere.

PVER.

PVERI appellatio treis ſignificationes habet. Vnam, cùm omneis ſeruos pueros appellamus. Alteram, cùm puerum contrario nomine puellæ dicimus. Tertiam, cùm ætatem puerilem demonſtramus.

Ex pueris excedere.
A' puero: Id eſt, ab ineunte ætate.

PVERITIA.

PVERITIA eſt primum tempus ætatis, primus actus uitæ, ætatis tyrocinium.

A' pueritia, uel à prima pueritia: Id eſt, à paruis, uel à teneris.

PVGNA.

PVGNA aliquando uerborum eſt, & controuerſiæ, ut pugnare. Aliquando uerò tota ad bellum pertinet: & ſignificat prælium, uel conflictum.

Pugnæ diem conſtituere.
Pugnæ locum quærere.
Ad pugnam euocare.
Ad pugnam elicere.
Pugnæ poteſtatem, uel copiam facere.
Pugnam ciere.
Pugnam capeſſere.
Ad pugnam procedere.
In pugnam procurrere.
Pugnam conſerere.
Pugnam facere.
Pugnam committere.
Pugnam pugnare.
Pugna decertare.
Pugnam extendere.
Pugnam laxare.
Pugnam remittere.
Pugnam inclinari.
Pugnam ſeneſcere.
Pugnam dirimere.
Pugnam detrectare.
Pugnam extrahere.
A' pugna cohibere.
A' pugna continere.

Pugnam restituere.
Pugnam iterare.

PVGNVS.

PVGNVS à punctione: id est, percussione dicitur.
Pugnum facere: Id est, digitos comprimere.
Pugnis contendere.
Pugnis certare.
Pugnis conscindere.

PVLCHRITVDO.

PVLCHRITVDO est apta figura membrorum, cum coloris quadam suauitate. Non tamen corpori solùm conuenit: sed rerum etiam aliarum est.
Pulchritudinem habere.
Pulchritudine eximia esse.

PVLLVS.

PVLLVS est tener uolucris. Et dicitur pullus miluinus, anserinus, sicut etiam gallinæ. Praetereà, pullos uocamus paruos fœtus quorumcunque animalium: ut pullos Asini, pullos Ranarum. Ac pullos arborum Latini non absurdè dicunt.
Pullos ex ouis excludere.
Pullos ex ouis oriri.
Pullos cauea liberare.

PVNCTVM.

PVNCTVM est corpus indiuiduum, quod neque longitudinem, neque latitudinem, neque altitudinem habet. Temporis punctum dicimus, pro horæ momento. Ponunt etiam Latini punctum pro suffragio, & fauore: quoniam Veteres suffragia non scribebant, sed puncto notabant.
Puncta ferre: Id est, suffragia habere.
Puncta detrahere. Cic. pro Murena. Recordor, quantum hæ quæstiones in Senatu habitæ punctorum nobis detraxerint.
Puncto temporis aliquid fieri, perire, dilabi.
Ad punctum temporis item aliquid fieri.

PVPPIS.

PVPPIS est posterior pars nauis.
Puppim, & proram esse aliquid alicui rei alicuius faciendæ. Cic. Famil. xvj. Mihi prora, & puppis fuit à me tui dimittendi, ut rationes meas explicares: Prora itaque, & puppi summam consilij nostri significamus: propterea quòd à prora, & puppi, tanquam à capite, & calce, pendeat tota nauis.

Q

QVADRVM.



QVADRVM est, quod rectas, atq; æquales lineas quatuor, & quatuor rectos angulos habet.
In quadrum redigere: Id est, æqualiter fundere, & suo numero seruato æqualiter disponere: forma enim quadrata nulla est ex parte neq; longior, neque breuior. Cic. in Orat. Qui in redigeret omnes ferè in quadrum, numerum'que sententias.

QVAESITOR.

QVAESITOR dicitur Prætor, uel Iudex, qui quæstioni præest, qui iudicium exercet rerum capitalium, uel de repetundis. Hic quæsitor sedebat pro Tribunali: Iudices autem in subsellijs: omnia'que ferme in potestate habebat.
Quæsitorem edere.

QVAESTIO.

QVAERERE quemadmodum & extra forum, & in foro est, ita etiam quæstio uel forensis est, uel extra forum.

CVM FORENSIS EST.

A' FORENSI quærendi significatione quæstio pro iudicio publico accipitur: unde iudex quæstionis Prætor dicebatur, idem qui & quæsitor, qui iudicijs publicis præerat. Id uerò diligenter obseruandum est, quæstionem etiam in iudiciali materia dupliciter accipi. Altero modo, quo dicimus multas quæstiones habere controuersiam: quo etiam minores omneis complectimur. Altero, quo significamus summam illam, in qua causa uertitur. Ex qua nascitur status, an factum sit: an rectè factum sit.
Quæstionem postulare, uel flagitare. Postulare quæstionem, cum est, qui iniuriam sibi factam queritur, aut alteri: quam uindicare ad eum pertineat.
In quæstionem postulare.
Quæstionem ferre. Ferre quæstionem, est uindicandum facinus iudicibus præbere, & mandare: uel potius ad Senatum referre, ut de uindicando scelere extra ordinem S. C. fiat, & in iudicium res deducatur.
Quæstionem decernere, uel constituere. Duæ hæ loquendi formæ nihil inter se planè differunt. Est'que decernere, uel constituere quæstionem, statuere, ut quæratur de crimine, ut in reos animaduertatur.
Quæstionem habere. Haberi quæstio dicitur, cùm res queritur, & crimen uindicatur.
Quæstionem exercere.
Quæstioni præesse.

EXTRA FORVM.

QVAESTIO extra forum ponitur pro dubitatione, disputatione, uel disceptatione.

In

In quæstionem vocare.
Quæstionem afferre.
Quæstionem ponere.
Quæstionem habere. *Quæstionem habere ad rem etiam forensem conuenit, ut antè exposuimus: sed ibi actiuè solùm ponitur, & totum ad personas conuersum est. Hic autem & actiuè, & passiuè sonat. Nam dicitur res quæstionem habere, quæ dubia est, & de qua quæritur. Habemus etiam quæstionem de eo, quod est controuersum.*
Quæstionem tractare.
In quæstionem uenire.
In quæstione esse.
Quæstione liberare.
Quæstionem dissoluere.

QVAESTVS, ui.

QVAESTVS *est lucrum, uel merces, uel cōpendium.*
Quæstum comparare.
Quæstui habere.
Quæstum facere.
In quæstu aliquid esse.

QVARTANA.

QVARTANA *dicitur febris, quæ quarto quoque die nouam accessionem habet, & ingrauescit, ac sæuit.*
In quartanam incidere.
Quartanâ laborare.
Quartanâ languere.
Quartanâ tabescere.
Quartanam excutere, *Pro sanare.*
Quartanam leuiorem accedere.
Quartanam ab aliquo decedere.

QVERELA.

QVERELA *est querimonia, uel conquestio.*
Querelam habere. *Querelam habere res dicitur, & persona. Res, cùm ex ea querela nasci potest. Persona, cùm queritur de iniuria, uel molestia aliqua.*
A querelis abducere.

QVIES.

QVIES *est curæ laxamentum, cessatio, animi tranquillitas, uel remißio. Ponitur etiam pro somno. Tu uerò ne cura, quam Grammatici differentiam inter quietem, & tranquillitatem ponunt, scilicet ut quies sit corporis: tranquillitas uerò animi: ea enim falsa est, & ridicula, neque ullo modo à Latinis obseruatur: & indifferenter quies tam animi est, quàm corporis, ac pro omni cessatione accipitur.*
Quietem dare.
Ad quietem reuocare.
Quietem capere.
Quiete uti.

PRO SOMNO.

Ad quietem ire.
Quieti se tradere.
Secundum quietem, uel in quiete aliquid alicui uideri.

R

RADIX.



RADIX *tam in arbore, quàm in alia quauis planta, est id, quo alimentum à terra attrahitur: dicta, ut quibusdam placet, quòd sæpe effossa terra parumper radatur, ut arbor fruticescat. Cuius partes circunquaque adhærentes, quibus, ueluti lacertis, nititur, & terram undique comprehendit, uocantur capillamenta. Hoc nomine crebrò translatè utuntur Latini tum Oratores, tum Historiographi. Apud Historiographos persæpe leges fontem, uel amnem ab alicuius montis radicibus oriri: uel castra ad radices alicuius montis posita: id est, ad pedem montis, ut uulgus loquitur. Apud Oratores uerò dici uideas radicem mali, seditionis, & rerum similium.*
Radicem capere.
Radicem agere.
Radicem mittere.
Radicem altam habere.
Radicem circunfodere.
Radicem subarare.
Radicem luxare.

RAMVS.

RAMVS *est in arbore, quod à caudice fissum, multiplexque spargitur: unde ramos nonnulli nodos appellaure: sunt que ueluti quædam ipsarum arborum brachia.*
Ramum defringere.

RAPINA.

RAPINA *ad rem refertur: & est ablatio rei.*
Rapinam fieri.

RATIO.

PONITVR *ratio pro communi prudentia, & eo sensu, quo à beluis distamus. Ponitur etiam pro modo, forma, proposito, instituto, statu uitæ, commercio, probatione, argumento, æquitate, causa, &, ut Barbari dicunt, respectu. Interdum quoque pro eo est, quod linguæ Latinæ ignari uocant computum. Omnino uix huius uocis usum satis hic demonstrare possumus. Quem in primo Tomo nostrorum Commentariorum liquidiùs multò disces. Nos tantùm compendiariè in re compendiaria agimus.*

RATIO VT SIT PRO COMmuni prudentia, & eo sensu, quo à beluis distamus: uel pro æquitate, aut æquabili uitæ statu.

Rationis participem esse.
Rationem habere: *Id est, rationis participem esse.*
Ratione vti.
Rationi locum dare.
Rationi obedire.
Rationi parêre.
De ratione deduci.
De ratione decedere.
De ratione desciscere.
Ad rationem reuocare.
Ad rationem redire.

RATIO VT SIT PRO *commodo.*

Rationibus prouidere.
Rationibus prospicere.
Rationibus consulere.
Rationibus conducere.

RATIO VT SIT PRO RE*spectu, ut ita dicam.*

Rationem habere, vt.
Rationem habere alicuius. *Habere rationem, non tam significatione, quàm usu, multiplex est. Significatio enim per se penè patet: quam tamen si curiosius explicari cupis, habere rationem rei alicuius: idem est, quod consulere, & prospicere. Refertur etiam ad personam: quod sæpe in Magistratuum, & honorum ordinatione uersatur. Et dicebatur apud Romanos ratio alicuius haberi, cùm absens secundum præsentem tractabatur: id est, cùm in Comitiorum ratione perinde absentium ratio habebatur, ac si præsentes in honorum petitione fuissent. Si uerò absolutè: id est, sine genitiuo, ponatur hæc locutio, idem tunc est, quod considerare, uidere, cogitare, dispicere, constituere.*
Rationem habere cum: *Id est, agere. Cic. ad Att. ij. Nunc uerò, quoniam, quæ putaui præclara esse, expertus sum, quàm essent inania, cùm omnibus musis rationem habere cogito. Idem de Senect. Habent rationem cum terra.*
Rationem ducere: *Pro habere.*
Rationem inire: *Id est, consilio inito modum, uiamque rei alicuius faciendæ reperire.*

RATIO VT SIT PRO *causa, probatione, uel argumentationis summa.*

Nihil nisi summa ratione facere, vel cum ratione.
Rationem habere. *Cic. Famil. iiij. Nunc non modò agendi rationem nullam habeo, sed ne cogitandi quidem.*

Rationem colligere.
Rationem concludere.
Rationem adhibere.
Rationem exponere.
Rationem afferre.
Rationem reddere.
Rationem ostendere.
Rationem probare alicui.
Rationem refutare.
Rationem reijcere.

RATIO VT SIT PRO *eo, quod uulgò dicunt computum.*

Rationes putare. *Putantur rationes, cùm summa colligitur. Inde perputatæ rationes: id est, exactè discussæ.*
Rationes conferre.
Rationem subducere: *Id est, computum facere.*
Rationum summa quadrans. *Rationum summa quadrans dicitur, in qua nihil excurrit, & in qua nulla sunt reliqua: id est, cùm æqualis est summa accepti, ac expensi. Illi contraria est summa excurrens.*
Rationes tractare.
Rationes conficere.
Rationes referre. *Referre ad Aerarium rationes & Quæstores, & reliqui Magistratus dicebantur, pro eo, quod nunc computum reddere dicunt. Imperatores quoque exercituum ex prouincijs, quas obtinuerant, decedentes, rationes suas ad Aerarium referebant.*
Rationes edere: *Id est, referre.*
Rationes deponere.

RATIO VT SIT PRO *commercio, uel societate.*

Rationem esse alicui cum aliquo.
Rationem intercedere alicui cum aliquo.
Rationem habere cum aliquo.
Rationem contrahere cum aliquo.

RATVS.

RATVM *nobis est, quod probamus: irritum, quod improbamus. Vtrunque rei omni generaliter conuenit, & pro firmo ponitur: sed separatim ad nonnulla eleganter quadrat: ut, ad testamentorum, & contractuum approbationem, uel improbationem.*
Pro rata parte: pro rata portione.
Rato tempore aliquid fieri: *Id est, stato, uel certo.*
Ratum habere.
Ratum esse aliquid alicui.

REBELLIO.

REBELLARE *dicuntur, qui mouent bellum in eum, cuius ditioni subiecti sunt: uel qui in fide non permanent,*

nent, & iustis Magistratuum repugnant. Unde rebellio pro repugnantia, & defectione à fide, quæ præstanda erat.

Rebellionem facere.

RECEPTACVLVM.

RECEPTACVLVM *est perfugium.*

Receptaculum aliquod alicui patêre.

Receptaculum aliquod alicui esse.

RECEPTVS, us, ui.

RECEPTVS *est ipse recipiendi actus: uel est locus, in quem se tutò recipit exercitus, & ubi sine periculo hostem expectare potest.*

Receptui canere: *Id est, tuba è prælio exercitum reuocare. Translatè miram habet elegantiam hæc locutio.*

Receptui signum dare.

Receptum habere.

RECONCILIATIO.

RECONCILIATIO *est reditus in gratiam: quæ post alienationem fieri solet.*

Reconciliationem gratiæ fieri.

RECORDATIO.

RECORDATIO *est memoria.*

Recordationem dare.

Recordationem repetere.

Recordationem habere.

RECVSATIO.

RECVSATIO *est declinatio.*

Sine aliqua recusatione aliquid suscipere, vel facere.

Recusationem habere. *Habet res recusationem, quæ nobis causam recusandi dare potest. Cic. de Leg. Pœna uiolatæ religionis iustam recusationem non habet.*

REDITVS.

REDITVS *est reuersio.*

Reditum aperire.

Reditum conficere.

Reditum patêre.

Reditu prohibere.

REDVX.

REDVX *dicitur, qui à periculis in tutum: uel ab exilio, siue captiuitate reducitur in patriam. Ponitur etiam simpliciter pro redeunte.*

Reducem facere in lucem, in patriam, in libertatem: & similia.

REFVGIVM.

REFVGIVM *est perfugium, portus, præsidium, arx.*

Aliquid esse refugium alicuius. *Cic. in Offic. Nationum portus erat, & refugium Senatus.*

REGIO.

REGIO *est ora, uel plaga. Dicuntur etiam regiones maiores urbis partes. Accipiuntur quoque regiones pro finibus, & terminis.*

Eregione. *Eregione tanquam aduerbium ponitur in oratione, pro, in conspectu, uel quasi rectis lineis. Legi etiam potest duobus uocabulis, ut sit, è regione.*

REGNVM.

REGNVM *est Regis dominatus, uel dominatio. Ponitur etiam pro celebritate singulari.*

Regnum appetere.

Regnum deferre.

Regnum dare.

Regnum occupare.

Regnum possidere.

In, vel sub regno alicuius esse.

Sub regno viuere.

Regno pellere, uel expellere.

Regno eijcere.

Regnum adimere.

Regno spoliare.

In regnum restituere.

Regnum recuperare.

REGVLA.

REGVLA, *cùm propriè accipitur, significat normam, qua lineæ diriguntur. Cùm translatè, usurpatur pro lege, uel exemplo.*

Ad regulam virtutis dirigere, uel referre sua consilia.

Regulam habere, qua aliquid metiaris.

Regulam sequi.

REIECTIO.

REIECTIO *est ipse reijciendi actus, ut reiectio Iudicum: cui contraria est selectio: quanquam reijcere Iudices aliquando etiam pro eligere, & accipere Latinus fit, ut apud Ciceronem patet in orationibus in Verrem.*

Reiectionem facere.

Reiectonem interponere.

RELIGIO.

RELIGIO *est, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam uocant, curam, cerimoniamque affert. Est etiam Latinè loquentibus id, quod uulgò debitum officij, hoc est, iustam muneris functionem appellant. Vel pro eo ponitur, quod uulgò dicitur conscientiæ scrupulus, aut conscientia recta, uel fides. Accipitur præterea pro metu, uel solicitudine anxia.*

Religionem offerre. *Id est, ut uulgus loquitur,*

scrupulum, & metum conscientiæ.
Religionem afferre.
Religionem inferre.
Religionem inducere.
Religionem interponere.
Religionem adhibere.
Religionem inijcere.
In religionem uertere.
In religionem trahere.
Religione implicare.
Religione obstringere.
Religione obligare.
Religione religare.
Religione impedire.
In religionem venire. *Venire in religionem res dicitur, cùm religiosa esse putatur, & sancta: hoc est, quæ religiosè tractanda est.*
Religionem habere. *Habet res religionem, quæ in religionem uenit.*
Religionem possidere: *Id est, religionem habere.*
Religionem suscipere.
In religionem incidere.
Religione tangi.
Religioni aliquid habere: *Id est, ucreri: uel aduersari.*
Religionem esse. *Religionem esse, pro eo ponunt Latini, quod uulgò dicunt, facere conscientiam. Tit. Liuius ab Vrb. cond. v. Vbi nunc despui, religio est: id est, nefas est, non licet.*
Religionem esse alicui.
Religionem colere.
Religioni seruire.
Religionem polluere.
Religionem uiolare.
A religione declinare.
Religionem expiare.
A religione deducere.
Religionem eripere.
Religionem eximere.
Religione soluere.
Religione exoluere *Id est, scrupulum adimere.*
Religione liberare.
Religionem tollere.
Religionem delere.

RELIQVIAE.

RELIQVIAE *à Latinis ponuntur pro uestigijs: uel pro eo generaliter, quod superest.*
Reliquias magnas cœnarum fieri. *Cic. Famil. ix. Non eas cœnas quæro, ut reliquiæ magnæ fiant.*
Reliquias hostium persequi.
Reliquias uitæ lacerare.
Reliquias alicuius mortui dissipare.
In pristinæ fortunæ miseris, & afflictis reliquijs iacêre.

RELIQVVS.

RELIQVVM *dicitur, quicquid restat, uel superest ex re iam cœpta, siue in sermone, siue in actione, siue in persona consistat. Ponitur etiam pro futuro.*
Reliquum facere. *Cic. in Verr. Quibus iste nihil reliqui fecerat: Id est, nihil reliquerat:*
Reliquum habere.
Reliquum est, *Pro sequitur, uel restat.*
De reliquo, *Pro, quod reliquum est: uel quod ad reliquum pertinet.*

REMEDIVM.

REMEDIVM *est medicina, uel medicamentum. Translatè pro ope, uel auxilio ponitur.*
Remedium quærere ad aliquam rem.
Remedium inuenire suo malo.
Remedium comparare.
Remedium adhibere.
Remedium habere.
Remedium esse alicui.
Remedium effundere. *Cicero ad Att. ij. Qui omnia Reip. remedia effuderunt.*

REMEX.

REMEX *dicitur, qui remos agit, uel qui remigandi ministerio mancipatus est: uel qui scalmo hæret: id est, lembo nauis, ubi remi adnexi sunt.*
Remiges imperare.
Remiges exigere.
Remigum delectum habere.

REMISSIO.

REMISSIO *est relaxatio, uel dissolutio.*
Ad remissionem animi, ludumq; descendere.
Remissionem pœnæ ab aliquo obtinere.

REMVS.

REMVS *instrumentum est, quo naues aguntur.*
Remum inflectere.
Remos detergere: *Id est, collidere, uel confringere.*
Remis, velis'que: *Id est, omnibus neruis, totis uiribus.*

RENOVATIO.

RENOVATIO *est instauratio.*
Renouationem fieri rei alicuius.

REPAGVLVM.

REPAGVLVM *pro obice poni potest. Vel repagula sunt, quæ patefaciendi gratia ita figuntur, ut ex contrario oppagantur.*
Repagula conuellere.

Repagula perstringere.

REPRAEHENSIO.

REPRAEHENSIO *est uituperatio. Quod nomen tam passiuæ, quàm actiuæ significationis esse uidetur.*

Repræhensionem habere. *Dicitur reprehensionem habere, quod potest reprahendi.*

In repræhensionem incurrere.

Repræhensionem fugere.

A' repræhensione abesse.

Repræhensione carere.

REPVLSA.

REPVLSA *dicitur, cùm aliquis in petendis Magistratibus, & honoribus, quod ambit, non obtinet, neque Magistratum assequitur.*

Repulsam afferre: *Id est, causam esse repulsæ.*

Repulsam ferre: *Id est, in suffragijs præteriri.*

Repulsam accipere.

Repulsam referre.

Repulsam pati. *Repulsam pati Latinum multi negant: quod tamen Latinum est, nisi Poëtarum autoritatem negligas.* Ouidius Metamorph. ij.

Denique, quicquid habet diues, circumspice, Mundus:
De'que tot, ac tantis Cœli, Terrá que, Marís que
Posce bonis aliquid: nullam patiere repulsam.

REQVIES.

REQVIES *idem est, quod quies, scilicet curæ laxamentum, cessatio, animi remißio, uel tranquillitas.*

Requiem quærere.

Requietem afferrre.

Requietem habere.

RES.

R E S *nomen est multùm generale, quod pro suarum significationū uarietate cum multis Substantiuis, Adiectiuis, & Verbis iungitur, ita certè diuerse, ut uix locutiones commodè distinguere poßimus. Nos tamen aliquantum rem tam implicatam euoluemus.*

RES PRO NEGOCIO, *uel rerum statu.*

Res magna.

Res luculenta.

Res operosa.

Res plurimi otij: *Id est, in qua explicanda multo otio opus est.*

Rerum natura.

Rerum cursus.

Rerum status.

Rerum tumor.

Rerum grauitas.

Rerum asperitas.

Rerum varietas.

Rerum perturbatio.

Rerum confusio.

Rerum turba.

Rerum motus.

Res perturbatæ.

Res conuersæ.

Res turbulentæ.

Res dubiæ.

Res incommodæ.

Res aduersæ.

Res deteriores.

Res calamitosæ.

Res periculosæ.

Res desperatæ.

Res contractæ.

Res perditæ.

Res euersæ.

Rerum interitus.

Rerum occasus.

Res saluæ.

Res integræ.

Res bonæ, uel optimæ.

Res secundæ.

Res amplißimæ.

Rem ad aliquem deferre.

Rem alicui committere.

Rem suscipere.

Rem procurare.

Rebus cautionem adhibere.

Res mouere.

Res agere.

Res alias agere. *Isto loquendi modo utebantur Latini, cùm rei superuacaneæ operam dari significabant: uel, cùm aliquid non præsenti animo audiri designabant. Cic. Ita furebat, ut mirarer tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus. Idem: Vsque eò animaduerti Iudices iocari, atque alias res agere, antequam Chrysogonum nominaui: Id est, ita oscitanter ad causam attentos, ut alias res agere uiderentur.*

Res gerere: *Vnde res gestæ, quæ ab alijs gesta dicuntur.*

Rem in locum adducere, vel deducere: *Id est, statum.*

Rem adducere in discrimen.

Rem habere se.

Rem esse loco: *Id est, statu.*

Rem esse in integro.

Rem ire, *Pro expediri.*

Rem inclinari.

Rem confici.

Rem differre.

Rem extrahere.

Rem procrastinare.

 Rem reijcere.

Rem reijcere.
Rem refrigere.
Rem abijcere.

RES PRO FACVLTATIBVS, *utilitate, pecunia, patrimonio, professione, & simi- libus.*

Res familiaris.
Res domestica.
Res militaris.
Res pecuniaria.
Res frumentaria.
Res pecuaria.
Res literaria.
Res rustica.
Rei familiari dare operam. *Hic attende, locutiones sequenteis omneis cum hac etiam conuenire: & rei militari, literariæ, & reliquis modò à me designatis.*
Rem quærere.
Rem familiarem augere.
Rem familiarem amplificare.
Rem facere.
Rem nasci.
Rem adolescere: *Id est, augeri.*
In rem suam conuertere.
Rerum suarum satagere.
Rebus suis prouidere.
In rem esse: *Id est, utile esse.*
Ex re esse: *Id est, ex usu, uel utilitate.*
Rem familiarem diminui.
Rei familiaris naufragia.
Rem familiarem dissipare.
Rem familiarem conficere.
De re familiari impertiri.
De re familiari commodare.

RES PRO IMPERIO.

Rerum potiri. *Cic. Prudentissima ciuitas, dum rerum potiretur, fuisse traditur.*

RES PRO CONTENTIONE.

Rem esse alicui cum aliquo. *Cic. Cum huiusmodi portento res mihi fuit.*

RES PRO AMORE, VEL *actu uenereo.*

Rem esse alicui cum aliquo.
Rem habere cum aliquo. *Rem habere cum aliquo dicunt Latini honesto loquendi modo, pro coniunctionem uenerean cum aliquo habere. Ita enim rerum turpitudinem uerbis honestis tegimus: ut, Liberis operam dare. Quæ omnia quanquam re ipsa turpia sunt, tamen sic elata, minus turpiter sonant.*

QVAEDAM VENVSTISSIMAE *locutiones ex hoc nomine ductæ.*

Pro re nata, vel è re nata. *Prò re nata, uel è re nata, antiquo modo loquendi idem est, quod pro occasione oblata: uel, ut occasio fert.*
Rem diuinam facere: *Id est, sacris operam dare. Cic. in Verr. Act. vj. Res illum diuinas facientem apud eos Deos in suo sacrario propè quotidie uidisti.*
Ita res habet: uel, res ipsa indicat. *Cic. pro Rosc. Amer. Ita res habet, Iudices. Sallust. in Catil. Possum equidem dicere id, quod res habet. Terent. Quid isti credam? res ipsa indicat.*

RESPECTVS.

RESPECTVS *per träslationem est ratio, uel religio.*
Respectum habere ad aliquid.

RESPONSVM.

NOTAE *est significationis hoc nomen.*
Responsum dare.
Responsum reddere.
Responsum ab aliquo auferre.

RESPVBLICA.

RESPVBLICA *est politia, uel communis municipij res.*
Reipublicæ forma.
Reipublicæ status.
Reipublicæ summa. *Totus scatet hac uoce Cicero, Latiníque omnes, cum sermonem de Republica habent. Huius autem nominis ut proprietatem scias, omnino & rationem, & formam, & statum Reipublicæ complectitur.*
Rempublicam serere: *Id est, constituere.*
Rempublicam ædificare.
Rempublicam constituere, *Pro ædificare.*
Rempublicam constituere, *Pro stabilire, uel confirmare.*
Rempublicam amplificare.
Rempublicam stabilire.
Ad Rempublicam se conferre.
Rempublicam capessere.
Rempublicam accipere.
Rempublicam attingere.
In Rempublicam incumbere.
Rempublicam gerere.
Rempublicam tractare.
Rempublicam administrare.
Rempublicam gubernare.
Rempublicam regere.
Rempublicam temperare.
Rempublicam sustinere.
Rempublicam tenere, *Pro gubernare.*
A Republica deficere.

Rempublicam oppugnare.
Rempublicam tenere, *Pro occupare.*
Rempublicam capere, *Pro occupare.*
Rempublicam perturbare.
Rempublicam labefactare.
Rempublicam uiolare.
Rempublicam conuellere.
Rempublicam opprimere.
Rempublicam profligare.
Rempublicam uastare.
Rempublicam delere.
Rempublicam obruere.
Rempublicam inclinari.
Rempublicam præcipitare.
Rempublicam cadere, vel occidere.
Rempublicam interire.
Rempublicam excitare.
Rempublicam erigere.
Rempublicam continere.
Rempublicam seruare.
Rempublicam reuiuiscere.
Rempublicam exurgere.

REVERENTIA.

REVERENTIA *est honor, quem tam uerbis, quàm factis, alicui adhibemus.*
Reuerentiam adhibere.
Reuerentiam præstare.

REVERSIO.

REVERSIO *profectioni opponitur.*
Reuersionem facere. Cic. de Nat. Deo. ij. *Sol modò accedens, tum autem recedens binas in singulis annis reuersiones ab extremo contrarias facit.*

REVS.

REOS *appellant Latini non eos modò, qui arguuntur, sed omneis, quorum de re disceptatur, quorumque res est, etiam si nihil admiserunt. Præterea uocamus reos non solum criminis, & culpæ obnoxios, sed honesti, uel uoti promissi debitores. Et dicitur aliquis reus rei alicuius: uel de re aliqua.*
Reum facere aliquem.
In, vel inter reos referre.
Reum citare.
Reum peragere.
Reum se supponere.
Ex, vel de reis eximere.

RHEDA.

RHEDA *est genus uehiculi.*
In rheda vehi.
In rheda sedere.

RIMA.

PROPRIE *rimæ dicuntur exiguæ distantiæ tabularum in iuncturis. Vnde tractum est, ut omnes fissuræ rimæ dicantur.*
Rimas agere: *Id est, findi.*
Rimas inuenire. *In tergiuersatores dicuntur, qui nulla in causa tot fidei uinculis astringi possunt, quin aliquid inueniant, quo elabantur.*
Rimas explere. *Rimas explere dicuntur Oratores per translationem, cùm uerba infarciunt, ut pleniorem orationem faciant.*

RISVS.

RISVS *ridendi uerbale est, designatque ridendi actum, quouis modo rideamus: id est, uel lætitiæ specie, uel contemptus.*
Risum captare.
Risum quærere.
Risum excitare.
Risum mouere.
Risum facere. *Risum facere non uno tantùm modo à Latinis dicitur. Nam interdum est idem quod risum excitare, uel mouere. Interdum uerò significat risum edere.*
In risum conuertere.
Risum edere.
Risu corruere.
Risum tenere.

RITVS.

RITVS *est mos comprobatus in administrandis sacrificijs, vel est generaliter ritus mos, & approbata consuetudo, quamque omnes ratam habent.*
Ritu pecudum viuere.
Ritus seruare.

RIXA.

RIXA *est uerbosa, & iurgij plena contentio.*
Rixam concitare.
Rixam esse alicui cum aliquo.

ROBVR.

ROBVR *propriè est species quercus durissimæ: ut apud Ciceronem de Diuinat. ij. Quis robur illud cecidit? dolauit? inscripsit? Translatè uerò pro corporis firmitate, uel pro animi fortitudine sumitur, uel rei cuiuslibet firmamento.*
Robur assumere.
Robur accedere.
Robur habere.

ROGATIO.

ROGATIO *uulgari usu ponitur pro rogato, uel rogatu. Eleganter uerò rogationis nomine continetur lex, plebiscitum, & priuilegium.*
Rogationem ferre.
Rogationem proferre.
Rogationem promulgare.

Rogationi intercedere.
Rogationem antiquare.

ROGVS.

PYRA est lignorum congeries. Rogus, cùm ardere cœperit, dicitur. Bustum uerò iam exustum uocatur.

Rogum extruere.
Rogum facere.
In rogum inferre.
In rogum imponere.

RVBOR.

PROPRIE sic ruborem ponit Cicero in Oratore: Fucati medicamenta candoris, & ruboris omnia repellantur. Translatè uerò pro pudore ponitur.

Ruborem suum præstare.

RVDIMENTVM.

RVDIMENTVM est prima disciplinarum exercitatio.

Rudimentum ponere. Rudimentum ponere dicitur, qui iam rudis esse desinit, & aliquem progressum habet, cœpitque fieri politior, & instructior.

RVDIS, de.

RVDIS dicitur impolitus propriè, uel imperfectus: ut, rudis, indigestaque moles. In ea etiam proprietate rudem uillam uocant Latini. Ad multa tamen transfertur: & per translationem uocant rudem Latini imperitum, & indoctum.

Rudis rei alicuius.
Rudis in re aliqua.

RVDIS, dis.

RVDIS est uirga impolita.

Rude donare, Id est, missum facere.
Rudem accipere. Rudem accipere, pro dimitti: & rude donare pro dimittere, crebrò apud idoneos Autores obuia sunt. Inde ducta metaphora, quòd antiquitus Gladiatores, quibus permissum erat à gladiatorio munere cessare, rude donati dicebantur. Ea cessatio dabatur uirga, quam rudem appellabant. Vnde hoc modo dimissi, rudiarij uocabantur. Proinde quicunque à munere quouis in otium restituuntur uel ob ætatem, uel ob imbecillitatem, rudem accepisse dicuntur.

RVINA.

RVINA ponitur pro pernicie, tempestate, uel procella, aut pro casu, uel excidio. Neque solùm domus est, aut ædium, sed rei cuiusuis, quæ concidit.

Ruinam impendere.
Ruinam inferre.
Ruinas edere: Id est, inferre. Cic. de Leg. 1. Si innuerit in hæc, quæ satis scitè nobis instructa, & composita uidentur, nimias edet ruinas.

RVMOR.

RVMOR à famæ significatione non differt, cùm fama accipitur pro dissipato, & disperso sermone, ac dicto quodam populari.

Rumorum uentos colligere.
Rumorem aucupari.
Rumores excipere.
Rumores spargere.
Rumores dissipare.
Rumorem oriri.
Rumorem serpere.
Rumorem afflare. Cice. ad Att. xvj. Rumoris nescio quid afflauerat, commissione Græcorum frequentiam non fuisse.
Rumorem affluere.
Rumorem afferre, uel proferre.
Rumorem uenire.
Rumorem esse.
Rumorem calere, Pro latè dissipari, uel uagari.
Rumorem crescere.
Rumorem refrigescere.
Rumorem raucum fieri.
Rumorem extingui.
Rumores sedari.
Rumorem mori.

S

SACERDOTIVM.

SACERDOTIVM aliquando est sacerdotis dignitas: unde dicimus sacerdotium habere, uel sacerdotio præditum esse. Est etiam sacerdotium prouentus sacerdotis. Nam apud Romanos ea sacerdotia fuerunt, qualia apud Christianos beneficia uocatur. Sacerdotiorum autem duo fuerunt genera. Alterum, quod ædis, aut sacelli iuris esset à patre familiâs ea ratione erecti, dedicatique, ut & sacrorum cura, & fructuum ipsius sacerdotij perceptio ad solam gentem, familiamque suam perpetuis successoribus deuoueretur. Quæ sacerdotia a priscis gentilitia beneficia: à nostris, iuris patronatus appellata sunt. Alterum, quod sacris esset addictum locis, quæ Reipublicæ, aut Principum, aut Pontificum collegij collationis essent.

Ad sacerdotium eligere.
Sacerdotium dare.
Sacerdotium mandare.
Sacerdotium consequi.
In sacerdotium uenire.
Sacerdotium habere.
Sacerdotio præditum esse.
Sacerdotium inire.
Sacerdotio præesse.

SACRAM,

SACRAMENTVM.

MILITIAE *tria olim fuerunt genera: quorum primum erat sacramentum, quæ legitima dicebatur militia, cùm singuli milites iurabāt. Alius est sacramenti usus: ut, cùm dicimus iusto sacramento contendere: idq; ad pœnales lites pertinet: & tunc sacramentum, & sponsio idem representant, quemadmodum ostendimus in primo Tomo nostrorum Commentariorum. Tu uerò sic hoc loco habe, sacramentum poni generaliter pro iusiurando, uel fidei obligatione.*

Sacramentum, vel sacramento dicere. *Harum locutionum idem est sensus, & significatio: constructio tantùm uaria. Dicit enim uel sacramentum, uel sacramento, qui se militiæ sacramento astringit, solenniter in uerba Imperatoris iurans.*

Sacramento teneri.
Sacramento astringi.
Sacramentum redimere.
Sacramento soluere.

SACRARIVM.

SACRARIVM *locus est sacer in templo, in quo sacra reponuntur. Sumitur etiam pro sacello, uel loco sacrato: aut pro lerario in ædibus priuatis.*

Sacrarium facere.
Sacrarium constituere.

SACRIFICIVM.

SACRIFICIVM *est sacrum, res sacra, uel diuina.*

Sacrificium statuere.
Sacrificium facere.
Sacrificium factitare.
Sacrificium violare.
Sacrificium polluere.

SACRVM.

SACRVM *idem est, quod res sacra, res diuina, uel sacrificium: uel omne, quod Deorum habetur.*

Sacris initiari.
Sacra curare.
Sacra facere.
Sacra conficere.

SAEVITIA.

SAEVITIA *est crudelitas, uel ferocitas.*

Sæuitiam adhibere in aliquem.

SAGITTA.

SAGITTA *est iaculi genus, quod arcu emittitur.*

Sagittis aliquem configere.

SAGVM.

SAGVM *est uestis index belli, ut toga pacis: quam tamen Consulares non gestabant. Id quod ostendit Cicero in Antoniana octaua. Equidem patres Conscripti, quanquam honore usi togati esse solent, cùm est in sagis ciuitas, statui tamen, uobis, cæterisq; ciuibus in tanta atrocitate temporis non differre uestitu. Non enim ita nos gerimus hoc bello Consulares, ut æquo animo Populus Rom. uisurus sit nostri honoris insignia.*

Ad saga ire.
Saga sumere.
In sagis ciuitatem esse.
Saga ponere.

SALVM.

SALVM *mare dicitur à sapore salis. Pro iactatione accipere etiam uidetur aliquando Cæsar.*

In salo stare, vel esse. *Cùm anchoræ iactæ erant procul à portu, naues dicebantur in salo stare, uel esse, uel commorari.*

SALVS.

SALVS *idem est, quod incolumitas: opponiturq; exitio, uel pernicici.*

Salutem agi.
Salutem petere.
Salutem deserere.
Saluti deesse.
Salutem affligere.
Salutis rationem habere, vel ducere.
Saluti consulere.
Ad salutem vocare.
Ad salutem reducere.
Saluti esse.
Salutem ferre, vel afferre.
Salutem dare.
Salutem tradere.
Salutem reddere.
Salutem restituere.
Salutem ab aliquo accipere.
Salutem recuperare.
Salutem retinere.

SALVS, CVM EST *salutantis.*

SALVS *aliquando pro salutis denunciatione ponitur, cùm in literis, & epistolis scribendis statim ad principium salutem ei precamur, ad quem literas mittimus. Vel cùm in alicuius literis, aut epistola salutem cuipiam nostris uerbis ascribi iubemus.*

Salutem dicere. *Transfertur aliquando hoc loquendi genus: poniturq; in malam partem pro relinquere, uel refugere. Cic. Famil. vij. Ego uerò multam salutem & foro dicam, & curiæ,*

Salutem nunciare.
Salutem impertire.
Salutem ascribere.
Salutem mittere.
Salutem referre.

SALVTATIO.

SALVTATIO *est ipse actus salutandi.*

Salutationi se dare.
Salutationem facere.
Salutationibus tempus consumere.
Salutationem defluere.

SANGVIS.

SANGVIS *propriè est humor in uenis contentus. Per translationem modò ponitur pro uigore: modò pro affinitate: modò pro substantia: ut, sanguis ærarij.*

Sanguinem mittere.
Sanguinem detrahere.
Sanguinem elicere.
Sanguinem exorbere.
Sanguinem sistere.

SANITAS.

SANITAS *tum corporis, tum animi est. Sed præcipuam elegantiam habet, cùm ad animum refertur. Præterea ad res alias pertinet: ut, cùm dicimus sanitatem dictionis, sanitatem orationis: id est, integritatem, & quandam uelut perfectionem.*

CVM ANIMI EST.

CVM *animi est, ferè accipitur pro mentis constantia, recta animi constitutione, ratione, modo, probo consilio.*

De sanitate deturbare.
Sanitate spoliare.
A sanitate alienum esse.
Ad sanitatem reuocare.
Ad sanitatem reducere.
Ad sanitatem se conuertere.
Ad sanitatem redire.
Sanitatem esse alicui.

SATIETAS.

SATIETAS *est fastidium. Satias dixere Antiqui: post Antiquos, Poetæ, uel antiquæ dictionis studiosi.*

Satietatem habere, *Pro afferre.*
Satietatem parere.
Satietatem facere.
Satietatem dare.
Satietatem afferre.
Satietate afficere.
Satietatem capere. *Capit nos rei satietas, cuius satietate affecti sumus.*
Satietatem tenere. *Tenet etiam nos rei satietas, cuius satietate affecti sumus.*
Satietate defatigari.
Satietate defessum esse.
Satietati occurrere.
Satietatem vitare.
Satietatem fugere.
Satietatem depellere.
Satietatem releuare.
Satietatem vincere.
Satietatem superare.

SATISDATVM.

HOC *nomen ponunt Latini pro quadam obligationis forma, quæ committitur, & concipitur satisdando: ferèque usurpatur in ablatiuo casu non sine aduerbiali specie.*

Satisdato aliquid debere.

SATISFACTIO.

SATISFACTIO *est purgatio.*

Satisfactionem alicuius accipere. *Pro approbare.*

SCELVS.

SCELVS *tam generalis est significati, quàm maleficium: pro quocunque enim maleficio ponitur.*

Scelerum machinator.
Scelerum architectus.
Scelus concipere.
Scelus moliri.
Scelus facere, vel perficere.
Scelus admittere.
Scelus suscipere.
Scelus edere.
Scelere se contaminare.
Scelere se deuincire.
Scelere se alligare.
Scelere se astringere.
Scelus scelere cumulare.
In scelere esse.
Sceleri affinis.
Scelere imbuere.
Scelere affluere.
In scelere volutari.
Scelere cooperiri.
A scelere abesse.
Scelere solutus.
Scelere, vel à scelere liberari.
Scelus expiare.

SCENA.

SCENA *dicebatur, ubi ludi edebantur, uel agebantur Comœdiæ, aut Tragœdiæ.*

In scenam immittere.
In scenam producere.
Scenæ seruire: *Id est, seruire tempori, & rebus præsentibus sese accommodare. Translata ab histrionibus fabularum metaphora, qui non suopte ingenio agunt, sed unum spectant, ut quouis modo populi oculis placeant, alioqui explodendi, & exsibilandi.*

SCIEN-

SCIENTIA.

SCIENTIA *est cognitio, uel intelligentia: aut doctrina, uel disciplina.*
Scientiam dare alicui.
Scientiam consequi.
Scientia comprehendere.
Scientiam habere.
Scientiam esse in aliquo.

SCITVM.

SCITVM *idem est, quod iussum, sancitum, uel decretum.*
Scitum facere.
Scitum conscribere.

SCRIPTVM.

SCRIPTVM *est scriptura: uel monumentum literarum, & annalium.*
Scriptum facere. *Scriptum facere interpretantur nonnulli pro artem scribendi profiteri, & exercere. De quo loquendi modo uide plura in* Primo Tomo *nostrorum* Commentariorum.
De scripto dicere.
De scripto recitare.
In scripta alicuius venire, vel peruenire: *id est, celebrari.*
Scriptis mandare.
Scriptis celebrare.
Scriptis illustrare.

SCROBES.

SCROBES *sunt fossiones, siue foueæ intra terram manufactæ ad uineas, uel arbores conserendas.*
Scrobem facere.
Scrobem subigere.
Scrobem inuertere.

SCRVPVLVS.

SCRVPVLVS *lapillus est, qui in calceo latens, pedem lædit, & pressus grauiter nos offendit. Vnde fit, ut à Latinis pro re ponatur, quæ nobis solicitudinem affert.*
Scrupulum inijcere.
Scrupulum esse alicui.
Scrupulum residere.
Scrupulum euellere.
Scrupulum eximere.

SCVTVM.

SCVTVM *est clypeus.*
Scutum reijcere: *Id est, post tergum.*
Scutum abijcere: *Id quod imbellis est, & formidolosi.*

SECTA.

SECTA *est factio, pars, heresis, certa quædam disciplinæ formula, ratio uitæ, ratio philosophandi.*
Sectam sequi.

SECVRIS.

SECVRIS *instrumentum est ad secanda ligna.*
Securi ceruices subijcere.
Securi ferire.
Securi percutere.
Securim infligere, vel inijcere. *Id facere dicuntur, qui uehementer lædunt, & uulnerant.*

SECVRITAS.

SECVRITAS *est uacuitas ægritudinis, requies curarum, ipsum esse sine curis.*
Securitatem præstare.
Securitatem habere.

SEDATIO.

SEDATIO *perturbationi opponitur.*
Sedationem afferre.

SEDITIO.

SEDITIO *uel à seorsum sedendo, uel à seorsum eundo dicitur: & tunc est, cùm populo discordante secum, res ad manum uocatur. Similiter dicitur seditio in exercitu, in classe, in schola, & si quid tale est. Est igitur seditio discordia, dissensio, uis, turba, impetus populi, uel militum.*
Seditionem concitare, vel excitare.
Seditionem commouere.
Seditionem conflare.
Seditionem facere.
Seditionem oriri.
Seditione ardere.
Seditionem gliscere.
Seditionem recrudescere.
Seditionem sustinere.
Seditionem lenire.
Seditionem sedare.
Seditionem extinguere.
Seditionem comprimere.

SEMEN.

SEMINA *ponuntur aliquando pro surculis depactis: qui, cùm radices egerunt, in seminarium, aut uinetum transferuntur. Vnde dicuntur seminaria pro plantarijs. Dicuntur etiam semina grana: ut est semen frumenti, semen hordei, & similium. Translatè positum, duplici significato usurpari solet: nempe uel pro genere: uel pro causa, & materia.*

PRO SVRCVLIS.

Semina scrobibus deponere.
Semina per ordines disponere.
Semina in regesto deprimere.

PRO GRANO.

Semen iacere.
Semen spargere.
Semen surgere.
Semen exire.
Semen prodire.
Semen grandescere.

CVM TRANSLATIONE.

Semen delere.
Semen extinguere.

SEMENTIS.

SEMENTIS *dicitur satio ipsa, uel semen, uel seminandi tempus.*
Sementem facere. *Translatè ponitur sæpe.*
Sementem conficere, vel peragere.

SENATVS.

SENATVS *& locum, in quo ipsi Senatores conueniunt: & Senatores ipsos significat.*
Senatum vocare.
Senatum conuocare.
Senatum cogere.
Senatum frequentem efficere, *Pro, cogere.*
Senatum dare.
Senatum haberi.
Senatum esse, *Pro conuocari.*
Senatum cooptare: *Id est, senatum constituere.*
In senatum legere: *Id est, senatorem facere.*
In senatum venire, *Pro senatorem fieri.*
Senatu aliquem mouere: *Id est, expellere ordine senatorio.*
Ex senatu reijcere.
Senatum mittere, vel dimittere.
Senatum mitti, uel dimitti, idem est, quod Senatoribus domum abeundi facultatem dari: id quod à Prætore apud Romanos fiebat.
Senatum discedere.
Senatum tollere.
Senatum delere.
Senatum extinguere.

SENATVSCONSVLTVM.

SENATVSCONSVLTVM *est decretum Senatus, uel lex, aut autoritas Senatus scripta de re aliqua. Fiebat autem senatusconsultum aut per rogationem, cùm rogabatur unusquisq; sententiam, quam uerbis efferebat. Aut per discessionem, quando plerique idem sentientes, in unam partem pedibus ibant.*
Senatusconsultum facere.
Senatusconsultum inducere: *Id est, infirmare.*

SENECTVS.

SENECTVS *est propè acta, & decursa ætas, canicies, uitæ occasus. Cùm translatè accipitur, poni solet pro grauitate, & rei, de qua loquimur, maturitate, & pondere.*
Senectutem adipisci.
Senectute esse.
Senectute confici.
Senectutem sustentare.
Senectutem exuere.

SENIVM.

SENIVM *idem est, quod senectus. Ponitur etiam pro tristitia, & squallore.*
Senio confici.

SENSVS.

SENSVS *& ad corpus, & animum pertinet.*

AD CORPVS.

CERTVM *est, hanc uocem ad corpus aliquando referri: unde quinque esse sensus uulgò dicuntur, tactus, gustus, uisus, odoratus, auditus.*
Sensum habere.
Sensu moueri.
Sensu capi rei alicuius.
Sensu carere.

AD ANIMVM.

SENSVS, *cùm ad animum refertur, interdum pro communi quodam animorum affectu, & motu ponitur. Interdum pro opinione, consilio, uel assensione.*
In sensum allici.
Ad sensum alterius se conuertere.
Sensum deponere.
Sensum dimittere.
Sensus alicuius tenere. *Cice. pro Sest. Denique etiam sermonis ansas dabat, quibus reconditos eius sensus tenere possemus.*
Sensus exprimere.

SENTENTIA.

SENTENTIA *duplex est apud Latinos: priuata scilicet, & forensis.*

PRIVATA.

Ex sententia. *Ex sententia idem est, quod ex uoto, uel ex spe, etc.*

ex spe, atque ut optabamus. Cic. Famil. ij. Sanè feliciter, & ex mea sententia Rempub. gessimus. Ibidem: Et profectò confecta res ex nostra sententia est.

Ex sententia animi. *Ex animi sententia iurare, id est, ita iurare, ut mens iurantis concipiat fieri oportere, quod iuratum est.*

De sententia. *De sententia, id est, de nutu, & consilio. Vt: nihil sum facturus, nisi de tua sententia: id est, nisi tua summa uoluntate, atque assensione.*

In sententiam. *In sententiam eandem loqui dicitur, qui in eandem rationem uerba facit, uel eodem spectantia. Dicitur quoque, senatusconsultum, uel decretum in nostram sententiam fieri, quod fit secundum nos: id est, in utilitatem, & commodum nostrum.*

In sententiam ducere.
In sententiam adducere.
Ad sententiam perducere.
Ad sententiam traducere.
Sententiam inclinare.
In sententiam ire: *id est, assentiri.*
Sententiam sequi.
Sententiam destinare.
Sententiam confirmare.

Sententiam habere. *Sententiam habere & ad res, & ad personas refertur. Habet enim oratio sententiam eam, in quam scripta, uel prolata est. Habemus autem sententiam, quam sequimur.* AD RES. *Cic. ad Att. x. Curionis sermo postridie eandem habuit ferè sententiam.* AD PERSONAS. *Cic. de Nat. Deor. ij. Est Philosophi, & Pontificis, de Dijs immortalibus habere non errantem, & uagam, sed stabilem, certamque sententiam.*

In sententia esse. *Esse in sententia tripliciter à Latinis dicitur. Sumus enim in sententia aliqua, quam sequimur, uel in qua manemus. Sunt autem res in sententia, quae, ut uolumus, & optamus, acciderunt. Dicitur etiam aliquid scriptum in sententia quadam, quod eam sententiam habeat: ut apud Ciceronem Tusc. iij. Quae sequuntur, in eadem sententia sunt, totusque Liber.*

In sententia manere.
In sententia constare.
In sententia perseuerare.
Sententiam tenere, uel retinere.
Sententiam frangere.
De sententia deterrere.
De sententia, uel à sententia mouere.
De sententia deducere.
De sententia depellere.
De sententia deijcere.
De sententia detrudere.
Sententiam mutare.
De sententia decedere.
A sententia discedere.
Sententia, uel de sententia desistere.
A sententia abesse.
Sententiam repudiare.
Sententiam rogare.
Sententiam dicere.
Sententiam ferre.
Sententiam pronuntiare.
Sententiam diuidere.
Sententijs omnibus damnari.
Sententijs omnibus absolui.

SENTINA.

SENTINA *pars est nauis inferior: in quam, quicquid instillat aquarum, defluit, corruptaeque malè olent. A sentio, sentis, dicta: nam odorem foedum emittit. Per translationem dicitur sentina omnis locus, in quo receptaculum fit sceleratorum hominum: uel ipsi scelerati homines.*

Sentinam eijcere.
Sentinam exhaurire.

SEPTVM.

SEPTA *generali uocabulo dicuntur omnia loca munita, & quodam sepimento uallata. Inde stabula ouilia, bubilia, caprilia, & id genus reliqua, septa nuncupantur. Pro obicibus, & claustris, quibus utimur ad impetus fluuiorum coërcendos, accipiunt Iurisconsulti.*

Septa facere.
Septis cingere.
Septis continere aliquid.
Septa reuellere.

SEPVLCHRVM.

SEPVLCHRVM *est tumulus, bustum, uel monumentum: locus scilicet, in quo corpus, ossaue demortuorum corporum reconduntur.*

Sepulchrum construere.
Sepulchrum decernere.
Sepulchrum ponere.
In sepulchro condere.

SEPVLTVRA.

SEPVLTVRA *est humatio, uel bustum.*

Sepultura afficere.

SERMO.

SERMO *est, ut inquit Cic. Libr. iij. ad Herenn. oratio remissa, & finitima quotidianae loquutioni. Vel, ut scribit Seruius, est consertio orationis, & confabulatio duorum, uel plurium: est etiam saepe unius. Nos uerò ut huius dictionis significationem illustriorem faciamus, id addere non poenitebit: sermonem scilicet praeter superiorem & Ciceronis, & Seruij expositionem, quarum utraque & doctissima, & uerissima est, ab eodem ipso Cicerone saepe poni pro peruulgato quodam rumore: quanquam si te cum Grammaticis ineptè torqueri in rebus frigidis, & minutulis ue-*

minutulis uelis, de hoc nomine sic tradere licet: sermonem non rumorem esse, sed causam rumoris. Hæc uerò inania, & ridicula sunt. Sermonem igitur disces aut in colloquutione uersari: aut in rei demonstratione (ut cùm aliquis uerba de re aliqua facit) aut in rumore perulgato, & dissipato. Huc addes, sermonis significationem modò actiuam, modò passiuam esse, ut etiam uel actiua, uel passiua est significatio inuidiæ, odij, opinionis, existimationis, suspicionis, & multarum aliarum Latinarum uocum.

Sermo facetus.
Sermo ludicer.
Sermo suauis.
Sermo liberior.
Sermo longus.
Sermo multus.
Sermo vanus.
Sermo obscurus.
Sermo varius.
Sermo dubius.
Sermo tectus.
Sermo peruagatus.
Sermo exploratus.
Sermo commodus.
Sermo honorificus.
Sermo præclarus.
Sermo maleuolus.
Sermo stultus.
Sermo puerilis.
Sermo vrbanus: *Id est, in urbe peruagatus.*
Sermo quotidianus.
Sermonem captare.
Sermonem aucupari.
Sermonem quærere.
Sermonem lacessere, *Pro captare.*
Sermonem arripere.
Sermonis autorem esse.
Sermoni locum relinquere.
Sermonis ansam dare.
Sermonem inferre.
Sermonem excitare.
Sermonem inducere.
Sermonem dare.
Sermonis materiem præbere, uel suggerere.
In sermonem venire, vel incidere, *Pro sermonis ansam dare. Et sic passiuæ sunt significationis hæ locutiones.*
Sermonibus vapulare.
Sermonem subire.
Sermonem sustinere.
Sermonem ferre.
Sermonis materiem nancisci.
In sermonem incidere, *Pro loqui.*
In sermonem delabi.
In sermonem venire, *Pro loqui.*
Sermonem instituere.
Sermonem ducere.
Sermonem trahere.
Sermonem ordiri.
Ad sermonem accedere.
Sermonem habere; *Id est, uerba facere: uel sermonem sustinere, & ferre. Cic. ad Q. fratr. Primus annus habuit de hac repræhensione plurimum sermonis: id est, multus fuit sermo, & creber de hac repræhensione.*
Sermonem esse: *Id est, sermonem haberi, dissipari, perulgari.*
In sermone esse: *Id est, sermonibus uapulare, uel diuulgari.*
Sermonem producere.
Sermonem perpetuare.
Sermonem conficere.
Sermonem consumere.
Insinuare se, vel dare in sermonem. *Tanta est nonnullarum uocum uarietas, ut uno ductu explicari non possint. Itaq; quod præcessit, pro membro numerabis: quod sequitur, aliud membrum esse putabis. Insinuare autem se, uel dare in sermonem, est ad aliquorum colloquium accedere, uel obrepere, uel se intromittere: uel sermonis cum aliquo habendi causam quærere.*
Ad sermonem se adiungere.
Sermonem conferre.
Sermonem communicare.
Sermonis participem esse.
Sermoni interesse.
In sermone inijcere.
In sermone dictitare.
Sermonibus vsurpare.
In sermone versari.
Sermonem inuestigare.
Sermonem exprimere.
Sermonem referre.
Sermonem deferre, vel perferre.
Sermonem dissipare.
Sermonibus refercire.
Sermonibus diuulgare, vel peruulgare.
Sermonibus celebrare.
Sermonem manare, vel emanare.
Sermonem in alienas manus deuenire.
Sermonem erumpere in aliquem.
Sermonem mittere: *Id est, missum facere.*
Sermonem vitare, effugere, defugere.
A' sermone se auertere.
Sermonem sedare.
Sermonem reprimere.
Sermonem retundere.
Sermonem restinguere.
Sermonem exhauriri.
Sermonem refrigerari.
Sermonem obmutescere.

Sermonem mori.

SERVITVS.

SERVITVS est postremum malorum omnium, non modò bello, sed morte etiam repellendum: ademptio scilicet libertatis, & uitæ langor.

Seruitutem afferre.
Seruitutem imponere.
In seruitutem adducere.
In seruitutem dare, vel tradere.
In seruitutem venire.
Seruitutem perpeti.
In seruitute esse.
Seruitute opprimi.
Seruitutem seruire.
Seruitutis iugum à se repellere.
Seruitutem reijcere.

SEVERITAS.

SEVERITAS est grauitas, acerbitas, duritia. Atque, ut seuerus, tam de rebus, quàm de personis dicitur.

Seueritatem habere.
Seueritatem adhibere.
Ad seueritatem contorquere.
Ad seueritatem reuocare.
Seueritatem mitigare.
Seueritatem lenitate condire.

SIBILVS.

SIBILVS est sonus oris, qui compressis dentibus, & parum diductis labris fieri solet.

Sibilo consectari aliquem.
Sibilo explodere.

SICA.

SICA est genus gladij breuioris.

Sicam vibrare.
Sicam extorquere de manibus.

SIGNIFICATIO.

SIGNIFICATIO ponitur pro ui, notione, potestate, uirtute, signo, indicio.

Significationem habere. *Cicero: Ad me autem literas quàs misisti, quanquam exiguam significationem tuæ erga me uoluntatis habebant, tamen mihi scito iucundas fuisse.*
Significationem facere.
Significationem conficere.
Significationem portendere.
Significationem dare.
Significationem præbere.
Significationem elucere.
Significationem apparere.
Significationem obseruare.
Significationem animaduertere.

SIGNVM.

SIGNVM extra rem militarem est: uel ad rem militarem pertinet.

EXTRA REM MILITAREM.

CVM extra rem militarem est, modò ponitur pro simulachro, uel imagine fusili, aut sculptili, ad effigiem hominum, animalium, uel aliarum rerum fabricata. Modò pro sydere. Modò pro sigillo. Modò pro indicio.

PRO SIMVLACHRO, *imagine, statua.*

Signa fabricare.
Signa conflare.
Signa componere.
Signa extruere.
Signa ponere.

PRO SYDERE.

Signum Leonis.
Signum Arietis.
Signa oriri.
Signa occidere.
Signa obire.

PRO SIGILLO.

SIGNVM Latinis persæpe est, quo i uulgò dicimus sigillum, scilicet quo aliquid consignamus, uel obsignamus, & notamus.

Signo obsignare, vel consignare.
Signum apponere.
Signo suo vti.
Sub signo asseruare.
Sub signo habere.

PRO INDICIO.

PONITVR usitatissimè signum pro quadam significatione indicante totius rei qualitatem. Vnde & in eo genere pro ostento, & augurio accipi sæpe uolunt.

Signum obijcere.
Signum tollere, *Pro dare.*
Signum ostendere.
Signum dare.
Signum impertiri.
Signum patefacere.
Signum esse, *Pro dari, uel ostendi.*
Signo esse.
Signum obseruare, vel notare.
Signum habere. *Habemus signa, quibus cognoscimur. Habemus item signa, quibus cognoscimus.*
Signa conturbare.

AD REM MILITAREM PERTINENS.

SIGNVM *ad rem militarem pertinens aliquando ponitur pro uexillo, dictum ab effigie, & animalium imaginibus, quæ in uexillis fieri consueuerunt: ut erant Aquiliferi, Drachonarij, & his similes signiferi. Aliquando uerò accipitur pro nota, quã ab Imperatore, Tubicine, Cornicine, alio'ue huiusmodi datam milites, qui in exercitu sunt, sequantur. Sic fit, ut altera significationis pars suos loquendi modos habeat. Altera item suos.*

PRO VEXILLO.

Sub signis milites ducere.
Signa sequi.
Sub signis militare.
Signa constituere.
Signa habere, *Pro constituere.* *Tit. Liuius ab Vrb. cond. iiij. Haud procul Collina porta signa habuere.*
Signa mouere.
Signa expedire.
Signa tollere.
Signa proferre.
Signa contrà efferre.
Signa inferre.
Signa conferre.
Signa conuertere, vel transferre.
Ad signa reuocare.
Ad signa conuenire.
A' signis dilabi.

PRO NOTA MILITARI.

EXTRA *uexilli significationem sunt sequentes locutiones: & in his ponitur signum pro nota militari: ut, cùm canunt Tubicines, uel aliquid iubet Imperator edito signo.*
Signum dare.
Signum canere.
Signum edere.
Signum accipere.

SILENTIVM.

SILENTIVM *dicitur, cùm silemus, scilicet taciturnitas, uel reticentia. Silentium etiam noctis pro intempesta nocte ponitur: quam alij concubium, alij conticinium uocant.*
Silentium facere.
Silentium consequi. *Cic. de Orat. Hæc cùm Crassus dixisset, silentium est consecutum.*
Silentium esse alicui: *Id est, aliquem silere. Cice. de Orat. Ipse conticuit, & cæteris silentium fuit.*
Silentium esse: *Id est, rumorem mortuum esse. Cice. ad Att. De Partho silentium est.*
In silentio iacêre. *Translatè dicimus aliquid silere, quod deferbuit, uel quod suam autoritatem, & uim non retinet. Sic silentium eam translationis elegantiam habet, & non minùs ita usurpatur, quàm silere. Cic. de Orat. In eodem silentio multa alia Oratorum officia iacuerunt.*
Silentio magno audiri.
Silentio ferre: *Id est, sine querimonia, uel sine expostulatione, patienter, fortiter. Cic. in Tusc. Cùm eos uideris excipientes grauissimas plagas, & ferentes silentio.*
Silentio transire.
Silentio præterire.
Silentio prætermittere.
Silentio præteruehi.
A' silentio vindicare.

SIMILIS.

SIMILIS *idem est, quod parilis, æqualis, par, eiusdem modi, germanus, instar.*
Similem alicuius esse.
Similem alicui esse.
Similes inter se esse re aliqua.
Simile, atq;. *Cic. ad Att. Hoc simile est, atq; ire in Salonium. Idem de Finib. Ita similis erit finis, atq; antea fuerat.*

SIMILITVDO.

SIMILITVDO *est exemplar, forma, species, collatio, simile, imago.*
Ad similitudinem rei alicuius aliquid fieri.
Similitudinem facere. *Cic. in Tusc. Ea sunt, quæcunq; sunt, quæ faciant similitudinem.*
Similitudinem arripere: *Id est, studere similem esse. Cic. Tusc. j. Quorum similitudinem aliquam qui arripuerit, fidenti animo gradietur ad mortem.*
Similitudinem ducere ex re aliqua.
Similitudinem sequi.
Ad similitudinem accedere.
Similitudinem esse inter aliquos.
Similitudinem esse alicui cum aliquo.
Similitudinem habere.
Similitudinem gerere.
Similitudinem conferre.
Similitudinem comparare.

SIMVLATIO.

SIMVLATIO *est fictio, fallax imitatio, simulata, & ficta alicuius rei internæ per uultum repræsentatio: unde pro deceptione, & circumuentione ponitur, quòd animo, uel uultu, aut uoluntate simulata fiat.*
Simulatione aliquid tegere.
Simulatione aliquid subterfugere.
Simulationem re aliqua sustineri. *Cic. in Panil. Id non solùm fronte, atq; uultu, quibus simulatio facillimè sustinetur.*

SIMVLTAS.

INTER *inimicitias, & simultatem si quid interest, hoc planè interest, quòd inimicitiæ apertiores sint: simultas occultior, & tectior.*

Simultatem

Simultatem suscipere.
Simultatem subire.
Simultatem habere cum aliquo.
Simultatem esse alicui cum aliquo.
Simultatem gerere cum aliquo.
Simultatem exercere.
Simultatem retinere.
Simultatem deponere.

SINVS.

SINVS dicitur illa pars, quæ est intra pectoris, brachiorumq; complexum. Per translationem sinus uocantur litora curua ad similitudinem sinus, & quasi brachijs mare amplectentia. Plureis huius uocis significationes uide in Secundo Tomo nostrorum Commentariorum. Perpulchræ autem translationis est, cum pro intima quadam familiaritate, & amicitia accipitur.

In sinu gaudere: *Id est, tacitè.*
In sinum alicuius se conferre, vel confugere: *Id est, in amicitiam, uel familiaritatem, & necessitudinem.*
In sinu aliquem gestare: *Id est, ualde amare.*
In sinu esse alicuius: *Id est, uehementer diligi. Cic. ad Q. Fratr. Cæsar, mihi crede, in sinu est: neq; discingor: Id est, quod alio loquendi modo dicimus, Cæsarem in oculis fero: uel, Cæsarem, quanta maximè fieri potest, amicitia comprehendo, atq; complector: neq; discingor: Id est, non me immuto: uel, eum ipsum amorem abijcere non cogito.*
Ex sinu suo calumniatores apponere: *Id est, ex suis intimis, & maximè familiaribus.*
Ex sinu suo aliquem dimittere: *Id est, in amicitia non retinere.*

SITIS.

SITIS est bibendi appetitus. Per translationem pro nimia cuiuscunq; rei auiditate ponitur.

Sitim quærere.
Sitim tolerare.
Sitim restinguere.
Sitim explere.
Sitim satiare.
Sitim depellere.

SOCIETAS.

SOCIETAS est consociatio, communio, communitas, pactio, fœdus, commercium. Pro personis aliquando etiam ponitur.

In societatem conuocare.
Ad societatem accersire.
Societatem conflare.
In societatem se conferre.
In societatem venire.
Ad societatem accedere.
Societatem accipere.
Societatem inire.
Societatem coire.
Societatem facere.
Societatem pacisci.
Societatem deuincire, vel societate.
Societatem habere.
Societatem esse alicui cum aliquo.
Societatem gerere.
Societatem confirmare.
Societatem conseruare.
Societatem labefactare.
Societatem dirimere.
A societate seiungere.
Societatem renouare.
In societatem redire.

SOCIVS.

SOCIVS idem est quod consors, uel particeps, uel gregalis. De socij uerò, & comitis differentia uide multa in Primo Tomo nostrorum Commentariorum.

Socium adiungere.
Socium ascribere.
Socium se profiteri.
Socium habere.

SOCORDIA.

SOCORDIA est ignauia.

Socordiam afferre.
Socordia languere.

SOL.

SOL est Phœbi fax, uel rota feruida. Dictus, uel quia solus ex omnibus syderibus est tantus: uel, quia, cùm exortus est, obscuratis cæteris syderibus, solus apparet. Soles in plurali numero pro diebus ponit aliquando Vergilius. Soles item ponit Horatius pro splendoribus, uel radijs Solis. Translatè etiam usurpatur, ut lumen. Cic. ad Att. ix. Sol excidisse mihi è Mundo uidetur. De afflicta Pompeij fortuna loquitur. Sensus autem eiusmodi est: Tenebris sepulta omnia mihi uidentur propter inobscuratam, & infuscatam Pompeij gloriam, & dignitatem, cuius splendore Respublica, ut Terra Sole, recreabatur. Idem de Nat. Deor. ij. Quo quidem anno P. Africanus, Sol alter, extinctus est: id est, Terræ lumen, ut Sol ipse in Cœlo fulgens.

Solem exoriri.
Solem præcipitare.
Solem occidere.
In solem procedere.
In solem prodire.

SOLATIVM.

SOLATIVM est consolatio, uel fomentum.

Solatium dare.
Solatium præbere.
Solatium reportare.
Solatium habere.

SOLEMNIS.

SOLEMNE *dicitur, quod singulis annis stato tempore præstari debet.*

Solemne suum seruare: *Id est, institutum suum tenere. Cice. ad Att. vij. Nostrum illud solemne seruemus, ut ne quem istuc euntem sine literis dimittamus.*

SOLICITVDO.

SOLICITVDO *est angor, cura, metus, molestia, negotium: cui opponitur securitas.*

Solicitudinem afferre.
Solicitudini esse.
In solicitudinem adducere.
Solicitudinem struere.
Solicitudinem alicui conficere.
Solicitudine afficere.
Solicitudines acuere.
Solicitudines duplicare.
Solicitudinem hærere in aliquo.
Solicitudine esse.
In solicitudine esse.
Solicitudinem habere.
Solicitudinem sustinere.
Solicitudinibus languere.
Solicitudini subuenire.
Solicitudinem alleuare.
Solicitudinem demere.
A' solicitudine abducere.
A' solicitudine abstrahere.
Solicitudine liberare.
Solicitudinem omittere.

SOLICITVS.

SOLICITVS *idem est quod anxius, suspensus, perturbatus, laboriosus, exercitus.*

Solicitum habere: *Id est, angere, uel solicitudine afficere.*

Solicitum mirificè esse de re aliqua, vel ex re aliqua.

SOLITVDO.

SOLITVDO *non semper ad locum refertur, sed ad personam interdum: idq́; est, quod luctus, uel sordes, quæ ex nimia quadam tristitia, & mœrore, anxietateq́; contrahuntur. Interdum etiam est obscuritas, humilitas, tenuitas tum rei, tum nominis: & opponitur celebritati. Ad locum cùm pertinet, nota est significatio: ponitur enim pro regione derelicta, uel loco deserto.*

In solitudines aliquas discedere.
In solitudinem se conferre.
In solitudinem ire.
Solitudinem vastam esse in loco aliquo.

SOLIVM.

SOLIVM *est sedes, uel cupa.*

In solio sedere.

SOLVM.

SOLVM *propriè terra dicitur. Generaliter tamen appellatur omne, quod sustinet, & unicuiq; rei subiacet. Vnde in multa significata transit, uarieq́; tum ab Oratoribus, tum à Poëtis accipitur. Interdum enim pro superficie aquæ usurpatur, quæ nauium fundamenti est. Interdum pro Cœlo. Interdum pro inferiore parte pedis, quam uulgò soleam uocant, quæ callosa fit, & dura. Interdum pro solea calciamenti, & corio. Interdum pro pauimento.*

Sŏlum effodere.
Sŏlum mutare.
Sŏlum vertere. *Dicuntur exules, qui à patria uel ultro, uel coacti excedunt.*

SOMNIVM.

SOMNIVM *idem est, quod uisum.*

Somnium obijcere.
Somnium facere: *Id est, in somnio aliquid uideri uidere.*
Somnium interpretari.

SOMNVS.

SOMNVS *est sopor, uel quies.*

In somnis: *Id est, dormiendo.*
Somnum aliquem vrgere.
Somnum vix tenere.
Somno se dare.
Somnum capere.
Somnum videre, *Pro capere.*
Somnum aliquem complecti.
Somno sepeliri.
Somno opprimi.
E' somno excitare, vel suscitare.
Somnum adimere.
Somno priuare.
Somnum repetere. *Cic. ad Att. xiij. Deinde, cùm somno repetito simul cum sole experrectus essem, datur mihi epistola à sororis tuæ filio.*

SONITVS.

SONITVS *idem est, quod sonus.*

Sonitum edere.
Sonitu replere.
Sonitum reddere: *Vt Echo.*
Sonitum referre.

SONVS.

SONVS *est uox, uel uocis, aut buccinæ, rei'ue alicuius similis cantus, uel crepitus.*

Sonum elicere.
Sonum efficere.

Sonum sun-

Sonum fundere.
Sonum amplificare.
Sono complere.
Sonum in aureis influere.
Sonum recipere.
Sonum referre.
Sonum reddere.
Sonum variare.

SORDES.

SORDES *est lutum, uel fex. Ponitur etiam pro auaritia. Ponitur item pro statu luctuoso accusati: unde sordidatos uocant Latini accusatos, & reos. Cic. in Verr. act. vj. Diodorus Romæ sordidatus circum patronos cursare, rem omnibus narrare. Præterea ijsdem Latinis dicitur sordes homo nequam, & uitæ perditæ: uel abiectissimæ conditionis, & status.*
Sordes accipere.
In sordibus iacêre.
Sordibus obsolescere.
Sordes eluere.

SORS.

SORS, *ut scribit Varro, à serie dicitur, poniturq́; pro fortuito alicuius rei euentu, conditione, fortuna, casu, alea, fato, uice, munere, summa, siue capite, & prima pecunia, quæ confertur in societatem, ut inde lucrum fiat. Quæ sortis significatio plurimùm crebra est apud Iurisconsultos. Ponuntur etiam sortes pro oraculis, siue responsis, siue syngraphis, in quibus responsa inscripta continebantur.*
Sorte aliquid alicui obuenire.
Sorti committere.
Sorti permittere.
Ad sortem reuocare.
Sortem ducere.
In sortem conijcere.
Sortem educere.
Sortem edere.
Sortem trahere. *Quanquam traditum est suprà à nobis, hanc uocem in plurali numero maximè pro oraculis, & responsis poni, tamē etiam in numero singulari eandem significationem nōnunquam retinet. Ex qua significatione ducuntur huiusmodi locutiones: scilicet, ducere sortem: conijcere in sortem: sortem educere: sortem edere: sortem trahere. Harum locutionum interpretationem ut breuiter habeas, quæ sequuntur, accipe. Conijcere in sortem, nihil aliud est, quàm uelut ducendæ, trahendæ, uel edendæ sortis fundamentum iacere. Et est in sortem conijcere, idem quod sorti committere: quemadmodum faciunt, qui furti cognoscendi causa ineptijs quibusdam utuntur, fabas miscendo, uel cribrum chartulis quibusdam inscriptis plenum commouendo, & alijs sortibus abutendo, quas ab anibus superstitiosis disces. Huiusmodi sortitione in militibus plectendis utebantur Romani. Vtuntur & nunc Veneti uel in Magistratibus creandis, uel in sententijs ferendis. Actus in sortem conijciendi est, sortem ducere. Finis in sortem conijciendi, uel sortem ducendi est, sortem edere, uel trahere. Id quod fit re in sortem coniecta, & sorte ducta.*

SORTITIO.

SORTITIO *est ipse sortiendi actus.*
Sortitionem facere. *Id quod apud Romanos fiebat in causis dijudicandis: uel in militibus plectendis.*

SPACIVM.

SPACIVM *& loci, & temporis est.*

CVM LOCI EST.

CVM *loci est, in propria significatione manere uidetur.*
Spacium facere.
Spacium conficere.
Spacium decurrere.
Spacium excurrere.
Spacijs aliquot aliquem honestare.

CVM TEMPORIS EST.

CVM *temporis est, non sine translatione usurpatur.*
Spacium sumere.
Spacium surripere.
Spacium dare.
Spacium interijcere.
Spacium habere.
Spacium esse alicui aliquid faciendi.

SPECIES.

SPECIES *aliquando pro forma, uel facie ponitur. Aliquādo uerò pro notione est, uel pro demonstratione, prætextu, & quasi uelamento.*
Speciem præbere.
Speciem facere.
Speciem adumbrare rei alicuius.
Ad speciem uti re aliqua.
Speciem adhibere.
Ad speciem valere.
Speciem habere rei alicuius.
Speciem gerere boni viri.
Speciem tueri.
Speciem rei alicuius insidere in mente.
Specie probitatis aliquem fallere.

SPECIMEN.

SPECIMEN *est argumentum quoddam, & probatio, siue exemplar rei alicuius occultæ: quale est, quod in mercibus solet ostendi, ut in pannis: uel degustatio in esculentis. Translatè uerò pro indicio ponitur.*
Specimen dare.
Specimen capere.
Specimen sumere.

SPECTACVLVM.

SPECTACVLVM *uariè à Latinis accipitur. Modò enim pro ipsa spectatione ponitur. Modò dicitur id, quod spectatur. Modò locus est, unde spectatur,*

Spectaculum dare.
Spectaculum præbere.

SPECTATOR.

SPECTATOR *est, qui spectat.*

Spectatorem aliquem ad aliquid constituere.
Spectatorem se præbere.

SPECVLA.

SPECVLA *à spe dimbnutiuum esse potest. Ponitur uerò usitatè pro uigilia.*

In specula collocare.
In specula constituere.
In speculis esse.

SPECVLVM.

SPECVLVM *notæ est significationis nomen.*

In speculo se intueri.

SPES.

SPES *est fiducia, expectatio, cogitatio, firmamentum, perfugium, aura, alacritas, lux, cupiditas.*

Spes eximia.
Spes explorata.
Spes certa.
Spes tenuis.
Spes exigua.
Spes extrema.
Spes desperata.
Spem afferre.
Spem offerre.
Spem ostendere.
Spem ostentare.
Spem proponere.
Spem præbere.
Spem habere: *Pro spem ostendere.*
Spem dare.
Spem facere.
Spem subministrare.
Spem inijcere.
In spem vocare.
Ad spem excitare.
In spem inducere, vel adducere.
In spem impellere.
Ad spem rapere.
Ad spem erigere.
Spem nuntiare.
Spe obtentari.
Spem tenere aliquem.
Spem residere in aliquo.
Spem esse alicui.
Esse in spe: *Pro sperare.*
Esse in spe: *Pro sperari.*
Spe esse: *Pro sperare.*
Spe præditum esse: *Pro in spe esse: idque passiuè.*
Spem habere.
In spe habere: *Pro sperare.*
Spem habere in manibus.
Spem concipere.
In spem ingredi.
In spem venire.
Spem nancisci.
Spem videre.
Ad spem deuolui.
Ad spem exardere.
Spe induci ad aliquid.
Spe teneri.
Spem ponere in re aliqua, vel reponere: vel repositam, aut propositam habere.
In spe ponere sibi aliquid.
Spem positam habere in re aliqua.
Spem constituere.
Spem defigere in re aliqua.
Spem collocare.
Spe pendêre.
Spe niti.
Spem sequi.
Spe inflari.
Spem augere.
Spem alere.
Spem confirmare.
Spe aliquid deuorare.
Spe incubare rei alicui.
Spem inueterascere.
Spem concidere.
Spem extenuare.
Spem debilitare.
Spem infringere.
Spem præcidere, vel incidere.
Spem remorari.
A spe auertere.
Spem eripere.
Spem adimere.
Spem tollere.
Spem auferre.
Ex, vel de spe deturbare.
De spe depellere.
De spe decidere.
Spem perdere.
Spe orbari.
Spem abijcere.

Spe care-

Spe carere.
Spem deficere.
Spem aliquem frustrari.
Spem fallere.
Spem redintegrare.
Spem superare.
Spem vincere.

SPICVLVM.

SPICVLVM *est lancea breuis, uel telum missile. Ponitur etiam interdum non pro sagitta, sed pro sagittæ ferro, uel cuspide ipsa, & aculeo: ut sunt spicula sagittarum, & aculei Apum.*

Spiculo transuerberare.
Spiculum auellere.

SPIRITVS.

SPIRITVS *est inspiratio, respiratio, uel flamen. Translatè ponitur aliquando pro audacia, & quadam animi elatione.*

PROPRIE' POSITVS.

Spiritum ducere.
Spiritum auferre.
Spiritum eripere.

TRANSLATE'.

Spiritus afferre.
Spiritus tollere.
Spiritus sumere.
Spiritus deponere.

SPLENDOR.

SPLENDOR *propriè est rei splendentis claritas. Sed per translationem claritatem nominis, & celebritatem significat. Vnde splendor nominis, splendor familiæ, splendor uitæ: id est, amplitudo, gloria, uitæ decus.*

Splendorem afferre.
Splendorem dare.
Splendorem capere.
Splendore esse.
Splendorem habere.
Splendorem obtinere.
Splendorem maculare.
Splendorem deformare.
Splendorem delere.
Splendorem obsolescere.
Splendore rei alicuius obrui.

SPOLIVM.

SPOLIA *sunt exuuiæ.*

Spolia detrahere.
Spolijs aliorum opes suas augere.

SPONSIO.

SPONSIO *generaliter pro promissione capi potest. Certo tamen quodam significato apud Antiquos genus erat actionis, quæ fiebat interposita stipulatione certæ pecuniæ, quam perderet is, qui sponsione uinceretur: & coram Iudice, aut Recuperatoribus disceptabatur.*

Sponsionem facere. *Sponsio sic apud Antiquos solebat fieri: Prouocans sponsione ita dicebat: Spondeo, ne tantam pecuniam daturum, nisi, &c. Prouocatus autem contra restipulabatur.*

Sponsionem, vel sponsione vincere.

SPONSOR.

SPONSOR *significat prædem, eum scilicet, qui spondet uel pro se, uel pro alio.*

Sponsorem fieri.
Sponsorem esse rei alicuius, vel de re aliqua.
Sponsorem accipere.
Sponsorem appellare: *Id est, ad præstandam sponsionem sollicitare, & urgere.*

SPVMA.

SPVMA *est sordes earum rerum, à quibus eijcitur: nempe cùm per ebullitionem, uel maximam agitationem fex quædam supernatat, ut mero, æri, sali, & similibus.*

Spumas in ore agere.
Spumis os circunfluere.

SQVALOR.

SQVALOR *est inquinatio, immunditia, uel sordes. Ponitur etiam eleganter pro luctuosa accusati specie.*

Squalore obsitum esse.
In squalore, & luctu esse.
In squalore iacêre.

STABILITAS.

STABILITAS *idem est quod firmitas: cui rectè opponitur motus.*

Stabilitatem dare.
Stabilitatem habere.

STADIVM.

STADIVM *est curriculum, uel spacium. In translatione elegantia sua persæpe non caret.*

Stadium currere.
Stadium decurrere.
Stadium conficere.

STATIO.

STATIO *locus est, in quo naues, aut milites tutò ad tempus stant: uel in quo frequenter consistitur. Dicitur etiam locus ad custodiam assignatus, quando milites stantes uigi-*

lent. Preter hæc, pro militibus ipsis persæpe ponitur, qui in statione dispositi sunt. Ponitur item pro standi, uel consistendi actione, uel pro commoratione.
Stationes disponere.
In statione cohorteis habere.
In stationem educere.
Stationes subducere.
Stationes agere.
Stationes firmare.

STATIVA.

STATIVA *dicuntur stationes, siue munitiones, in quibus, ut propiùs pugnent milites, consident.*
Statiua habere.
In statiuis tenere.

STATVA.

STATVA *idem est quod signum, imago, forma, species, uel simulachrum: imago scilicet, quæ alicui uel mortuo, uel etiam uiuenti antiquitus decernebatur, & in foro, aut aliquo loco conspicuo collocabatur ad alicuius rei bene gestæ memoriam: quanquam nonnulli hoc inter se differre putent imagines, & statuas, quòd statuæ sint æneæ, eboreæ, lapideæ: imagines ceræ, & pictæ.*
Statuam alicui decernere.
Statuam facere.
Statuam locare.
Statuam ponere.
Statuam statuere.
Statuam figere.
Statuam consecrare.
Statuam deturbare.
Statuam dissipare.
Statuam affligere.

STATVS, us, ui.

STATVS *est uel corporis, uel statuæ, uel causarum, uel ordinis, & conditionis.*
Statum collocare Reipublicæ.
Statum fundare.
Statum esse.
In statu collocare.
In statum peruenire.
Statu esse.
In statu esse.
Statum tenere.
Statum obtinere.
Statum retinere.
Statum tueri.
In statu manere.
In statu consistere.
Statum labefactare.
Statum conuertere.
Statum conuellere.
De statu deterrere.
De statu conuellere.
De, vel ex statu dimouere.
De statu deducere.
De statu deijcere.
De statu recedere.
De statu discedere.
De statu suo declinare.
Ex statu concidere.
Statum amittere.
In statum restituere.
In statum redire.
Statum pristinum recuperare.

STATVTVS.

STATVTVS *idem est quod status, a, um.*
Statutum esse aliquid alicui.
Statutum aliquid habere: *Id est, deliberatum.*

STELLA.

STELLA *est sidus, uel astrum.*
Stellam traijci.
Stellas decidere.
Stellas interire.
Stellas dinumerare: *Id est, operam perdere, uel labore inani se conficere.*

STIMVLVS.

STIMVLVS *propriè dicitur fustis acutæ cuspidis, quo Rustici boues suppungunt. Per translationem dicitur, quicquid nos pungit, & à quo uexamur: uel quod nos incitat.*
Stimulum admouere.
Stimulo concitare.
Stimulum esse alicui rei alicuius faciendæ.

STIPENDIVM.

STIPENDIVM *ad rem militarem pertinens, accipitur pro ære, quod militibus soluitur. Extra rem militarem idem est, quod tributum, uel uectigal.*

EXTRA REM MILITAREM.

Stipendium imponere.
Stipendium pendere.
Stipendium dependere.
Stipendium soluere.
Stipendium remittere.
Stipendio fraudare.

AD REM MILITAREM *pertinens.*

Stipendium decernere.
Stipendium dare.
Stipendio afficere.
Stipendium numerare.

STIPVLATIO.

STIPVLATIO *est uerborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum, facturum'ue se id, quod interrogatur, respondet.*

Stipulatione aliquem obligare.

STIRPS.

STIRPES *arborum dicuntur, quæ sua sponte proueniunt. Extra propriam significationem egreditur aliquando hæc dictio: & ponitur pro genere, uel causa.*

Ex antiquissima stirpe oriri.
Stirpe generosa proficisci.
Stirpis esse eiusdem: *Id est, generis, originis, sanguinis.*
Stirpem contaminari.
Stirpem degenerare.

STOMACHVS.

STOMACHVS *propriè est fistula, per quam cibus descendit: quæ aliis dicitur gula, siue guttur. Ponitur etiam pro uentriculo: Id est, receptaculo ciborum. Adhæc usurpatur pro ira, uel indignatione.*

Stomachi tui res hæc non est: *Id est, tibi satisfieri non potest.*
Stomachum facere.
Stomachum mouere.
Stomacho esse.
Stomachum habere.
Stomacho exardere.
Stomachum erumpere in aliquem.
Stomachum detegere.
Stomachum perdere.

STRAGES.

STRAGES *est clades, profligatio, iactura. Vel est cadauerum uno in loco interfectorum, ac propriè iacentium multitudo siue humanorum, siue iumentorum.*

Stragem facere.
Stragem edere.
Stragem dare.

STVDIVM.

STVDIVM *communiter uehemens est animi applicatio ad aliquid peragẽdum. Vel est animi assidua, & uehemens ad aliquam rem applicata magna cum uoluptate occupatio. Vel e, id est opera uoluntas hominis attentior, atq; impensior. In ea significatione cùm semper uersetur, ita tamen distinguitur. Aliquando pro exercitatione est: ut, cùm dicimus studia absolutè. Aliquando pro diligentia, & opera: ut, magno studio mandata tua curat. Aliquando pro desiderio, fauore, uoluntate, amore: unde fit studiosus. Istarum omnium significationum tanta est affinitas, atque societas, ut pauca loquendi genera alicui conueniant, quæ alij propria non sint. Si enim pro amore ponatur, dicimus studium conferre: studium adhibere: studium collocare: studium ponere: studium incendere: studium restinguere. Eadem dicemus, si ponatur pro diligentia. Eadem quoque dicemus in significatione, quæ circa rem Literariam uersatur. Itaque si loquendi genera in quibusdam repetemus, eam ob rem calumniandi ansam tibi datam non putabis, quandoquidem hoc facimus coacti.*

CIRCA REM LITERARIAM *uersans.*

Studium incitare.
Studijs teneri.
Studio flagrare.
Studio ardere.
Ad studia se conferre.
Studijs imbuere.
Studijs deditus.
Studia colere.
Studia celebrare.
Studia exercere.
Ad, vel in studia incumbere.
Studium adhibere.
Studium ponere.
Studio affluere.
Studio abundare.
Studia ingrauescere: *Id est, augeri.*
Studia vigere.
Studium frangere.
A' studijs abducere.
Studia restinguere.
Studia remittere.
Studia intermittere.
Studia omittere.
Studia deserere.
Studia silere.
Studia obsolescere.
Ad studia se referre.
Studia repetere.
Studia recolere.
Studia renouare.

CIRCA DILIGENTIAM AD*hibendam, uel operam dandam.*

Studium dare rei alicui.
Studium collocare.
Studium consumere.
Studium restinguere.
Studium languere.
Studium refrigescere.

CIRCA FAVOREM, VOLVN*tatem, & amorem.*

Studium conciliare.

Studia

Studia assequi, vel consequi.
Studia habere alicuius.
Studia expectare ab aliquo.
Studio incendi.
Studio teneri.
Studio efferri.
Studio habere aliquem.
Studio esse alicuius: *Id est, teneri.*
Studio esse in aliquem.
Studium profiteri.
Studium dicare.
Studium declarare.
Studium extare alicuius in aliquem.
Studium constare.
Studium conferre.
Studium ponere.
Studium præstare.
Studium nauare.
Studium remanere erga aliquem.
Studia amittere.
Studia impedire.
De studio detrahere.
Studium restinguere.
Studia prætermittere.
Studia deponere.

STVDIOSVS.

STVDIOSVS *ad rem omnem, cuius amore tenea- mur, aptè transferri potest. Ita dicemur studiosi alicuius uel uiri, uel mulieris: Id est, cupidi, & amantes. Dicemur item studiosi literarum, uel studiosi absolutè: id est, literarum studio dediti. Quòd si sine casu ponitur, genitiuum habe- re solet. Cùm de literatis dicitur, & ponitur sine casu, exem- plum dare libet. Cic. de Opt. gen. Orat. Putaui mihi suscipiendum laborem utilem studiosis, mihi quidem ipsi non ne- cessarium.*

STVPRVM.

STVPRVM *generaliter uocatur coitus lege uetitus, siue in uirgine, siue in nupta, siue in uidua committatur.*
Stuprum offerre.
Stuprum inferre.
Stuprum facere.
Stupro maculare aliquam.

STYLVS.

STYLVS *significat, quicquid uel ligneum, uel fer- reum, aut alterius materiæ acuminatum est ad columnæ simi- litudinem. Aliquando instrumentum est æneum, quo in albo, id est, in ceratis tabellis antiquitus scribebatur, ut nunc in libellis ligneis, uel codicillis Mercatores scribunt. Ponitur etiam pro ipsa structura orationis. Pro punctione, ac re- præhensione aliquando accipitur, quæ scriptis, & muctinis libellis fieri solet.*
Stylum exercere.
Stylo vbertatem orationis depascere.
Styli pœnas dare.

SVASOR.

SVASOR *est autor, uel hortator rei alicuius.*
Suasorem esse alicui rei alicuius faciendæ, vel suscipiendæ.

SVAVITAS.

SVAVITAS *est dulcedo.*
Suauitates undique conquirere.
Suauitates odorum afflari ex floribus.

SVBSELLIA.

SVBSELLIA *antiquis dictæ sunt sedes, & pulpita, unde audiebantur Poëtæ, uel spectabantur ludi. Scribit uerò Asconius, subsellia fuisse Tribunorum, Triumuirorum, Quæ- storum, & huiusmodi minora iudicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus: sed in subsellijs conside- bant. Subsellia item erant in Curia, ubi Senatores sedebant. Subsellia etiam erant Iudicum: id est, eorum, qui publicis iudicijs disceptandis operam dabant. Etiam erant subsellia, ubi sedebant rei, accusatores, & testes. Adhæc dicebantur subsellia iudicia publica, quæ in foro Romano exercebantur sub diuo.*
Ad subsellia aliquem attrahere: *Id est, accusare.*
Ex subsellijs surgere.
A' subsellijs abire.
A' subsellijs in otium se conferre: *Id est, à com- mentatione forensi.*
Subsellij longi iudicatio: *Id est, grauis, & multi temporis.*

SVBSIDIVM.

SVBSIDIVM *est ultima acies, quæ ad extremum discrimen succenturiata est. Vel dicitur subsidium, quod pòst positum est ad subueniendum laborantibus. Vnde fit, ut subsidium sit auxilium, & opitulatio ad extremum penè ca- sum seruata.*
Subsidium parare.
Subsidium comparare.
Subsidium inuocare.
Subsidio seruare aliquid alicui.
Subsidium, vel subsidio mittere, vel sum- mittere.
Subsidio proficisci.
Subsidio ire.
Subsidio venire.
Subsidio currere, vel occurrere.

SVCCVS.

SVCCVS *est humor, quem ex alimentis membra su- gunt, ut se repleant. In translatione perelegans est.*

Succum

Succum ducere ex re aliqua.
Succum trahere.
Succum habere.
Succum retinere.
Succum amittere.

SVDOR.

SVDOR *notæ est significationis nomen. Non minimam uerò elegantiam habet, cùm accipitur pro labore uehementi.*
Sudorem emittere.
Sudore affluere.
Sudore madere.
Sudoris multi Opus.

SVFFRAGIA.

SVFFRAGIA *uoces erant, quæ ferebantur in Magistratibus eligendis. Et erant uocalia, uel tabellaria.*
Suffragia eblandita.
Suffragia enucleata. *Suffragium eblanditum ab enucleato differt, quòd alterum summo iure, & æquitate, scilicet pro personæ uirtute, & dignitate fertur. Alterum uel gratia, uel munere eblandimur.*
Suffragijs rem permittere.
Suffragia inire; *Id est, suffragium ferre.*
Suffragia ferre.

SVGGESTVM, vel suggestus.

SVGGESTVM *est locus editior.*
Suggestum ascendere.

SVLCVS.

SVLCVS *est terræ proscißio.*
Sulcum altiùs imprimi.

SVMMA.

SVMMA *genus, caput, uel numerum, uel constitutionem significat, uel collectionem: ut, sententiæ alicuius summa, pro eo, quod dicunt, principale, uel conclusionem. Pertinet etiam ad rem nummariam, uel precium.*
In summam redigere.
Summam præfinire.
Summam præscribere.
Summam facere.
De summa detrahere.
De summa decedere.
In summa.
Ad summam.

SVMMVS.

SVMMVS *dicitur maximus, amplißimus, singularis, perfectus.*
Summum: *Id est, quod Barbari dicunt ad plus, uel ad maius. Cicero ad Att. xij. Scies fortasse cras, summum, perendie.*
Ad summum. *In eadem significatione est hæc locutio, in qua priorem esse demonstrauimus. Cic. Famil. v. Excepto uno, aut, ad summum, altero.*

SVMPTVS, us, ui.

SVMPTVS *significat impensam.*
Sumptum impendêre.
Sumptum afferre.
Sumptum inferre.
Sumptum inducere.
Sumptui esse.
Sumptum habere cum aliquo; *Id est, mutuo sumptu uiuere.*
Sumptum haurire ex re aliqua.
Sumptum facere.
Sumptum aliquid facere; *Id est, insumere. Cic. ad Att. v. Nego teruncium sumptum factum.*
Sumptum decernere.
Sumptum dare.
In sumptum erogare.
Sumptum suggerere.
Sumptum suppeditare.
Sumptum impendère.
Sumptum insumere.
Sumptum ponere in re aliqua.
Sumptum exercere. *Sumptum exercere dicuntur serui, aut alij, qui iustam operam pro sumptu præbent, & sumptui æqualem.*
Sumptum sustinere.
Sumptum sustentare.
Sumptum ferre.
Sumptum tolerare.
Sumptui parcere.
Sumptum minuere.
Sumptum remittere.
Sumptu leuare.
Sumptum extenuare.

SVPERBIA.

SVPERBIA *est arrogantia, contumacia, intolerantia, insolentia, fastidium.*
In superbiam vertere, vel conuertere.
Superbiam afferre.
Superbia inflari.
Superbiam fugere.
Superbiam deponere.

SVPERCILIVM.

SVPERCILIVM *est ultima pars frontis, pilis uestita, quæ cilijs prominet. Interdum uerò pro superbia, uel grauitatis, & seueritatis ostentatione ponitur.*
Supercilium contrahere.
Supercilium remittere.
Supercilium deprimere.

SVPER

SVPERSTITIO.

SVPERSTITIO est importuna, ineptáque religio, falsus Dei cultus, error insanus. Quam uocem à superstite dictam tradunt: uolunt'que Anicularum propriam esse, quæ multis per ætatem superstites sunt, & quæ rebus inanibus addictæ, dum uolunt uideri nimis religiosæ, superstitiosæ fiunt, & ita delirant.

Superstitione imbuere.
Superstitione obligari.
Superstitione conflictari.
Superstitionem tollere.

SVPPETIAE.

SVPPETIAE, & suppetias à suppeto ueniunt: & his tantùm duobus casibus utimur. Ponuntur autem suppetiæ pro auxilio, subsidio, uel præsidio.

Suppetias mittere.
Suppetias ire.
Suppetias venire.
Suppetias proficisci.
Suppetias occurrere.
Suppetias ferre.

SVPPLICATIO.

SVPPLICATIO est gratulatio Dijs immortalibus: uel honor, qui Dijs immortalibus habetur pro uictoria.

Supplicationem decernere.
Supplicationem accipere.

SVPPLICIVM.

SVPPLICIVM posuere Antiqui pro supplicationibus, & uotis, quæ à populo fiunt in rerum turba, periculo'que instanti. Alia est huius uocis significatio, dum supplicium pro pœna sumitur.

Supplicium constituere.
Supplicium exquirere.
Supplicium excogitare.
Supplicium inuenire.
Supplicium irrogare.
Supplicium afferre.
Ad supplicium trahere, vel rapere.
Supplicio afficere.
Supplicio coërcere.
Supplicio constringere.
Supplicium inhibere: *Id est, adhibere, uel afferre.*
Supplicio addicere.
Ad supplicium deprimere.
Supplicium sumere.
Supplicium subire.
Supplicium dare. *Supplicium dare à Comicis dicitur, ut pœnas dare.*
Supplicium ferre.
Supplicium condonare.
Supplicium remittere.

SVSPECTVS.

SVSPECTVS & actiuè, & paßiuè ponitur. Actiuè dicitur suspectus solicitus, & habens suspicionem alicuius rei. Paßiuè suspectus est, in quo subest suspicio.

Suspectum esse aliquem alicui de re aliqua.

SVSPENSVS.

SVSPENSVS est incertus, uel dubius. Et tam de rebus, quàm de personis, dicitur.

Suspensum detinere aliquem, vel tenere.
Suspenso animo esse.
Suspensum esse metu, vel expectatione.
Suspensas habere viuendi rationes.

SVSPICIO.

SVSPICIO est coniectura, scrupulus, uel scientia incerta. Ponitur'que tam paßiuè, quàm actiuè.

Suspicionem mouere.
Suspicionem commouere.
Suspicionem excitare.
Suspicionem afferre.
Suspicionem inferre.
Suspicionem importare.
Suspicionem dare.
Suspicioni locum, vel materiam dare.
Suspicionem facere, vel efficere.
Suspicionem inijcere.
Suspicionem constituere.
Suspicionem nasci.
Suspicionem exoriri.
Suspicionem increpare: *Id est, oriri, uel increbrescere.*
Suspicionem esse.
In suspicionem vocare.
In suspicionem adducere.
Suspicionem conferre in aliquem.
Suspicionem iacĕre.
Suspicione attingere. *Habet hic loquendi modus duplicem apud Latinos significationem. Attingimus enim suspicione, quod suspitione consequimur. Idem uerò est aliquando, quod suspicionem in aliquem conferre.*
Suspicione perstringere.
In suspicione ponere aliquem.
In suspicionem venire. *Est paßiui sensus hæc locutio.*
In suspicionem cadere: *Id est, uenire.*
In suspicionem incĭdere.
Suspicionem cadere in aliquem.
Suspitioni affinem esse.
Suspicionem recipere: *Id est, suspicioni affinem esse.*
Suspicionem in aliquo consistere.

Suspitionem

Suspicionem in aliquo residere.
Suspicionem ad aliquem pertinere.
Suspicionem in aliquem conuenire.
Suspicionem habere. *Habet res suspicionem, in qua suspicio consistit, uel ex qua suspicio nascitur: quod totum passiuum est.*
Suspicionem habere: *Pro suspicari.*
Suspicionem ducere.
Suspicionem trahere.
Suspicionem alicui incidere.
Suspitione perculsum esse: *Id est, suspicionem habere.*
Suspicionem alicui insidere.
Suspicionem augere.
Suspitionem confirmare.
Suspicionem minuere.
Suspicionem extenuare.
Suspitionem fugere.
Suspicionem uitare.
Suspicionem depellere.
Suspicionem propulsare.
Suspicionem dimouere.
Suspicionem remouere.
Suspicionem tollere.
Suspicionem delere.
Suspicione liberare.
E' suspicione vendicare.
Suspicione elabi.
A' suspicione remotum esse.
A' suspicione abhorrere: *Id est, remotum esse.*
A' suspicione abesse.
Suspicione carere.
A' supicione remotum esse: *Id est, non suspicantem.*
Suspicionem deponere.
Suspicionem abesse.

SYLVA.

SYLVA *generale nomen est, sed propriè appellatur, quæ cædua est: id est, quæ in eum usum habetur, ut ex ea materia cædatur siue ad comburendum, siue ad ædificandum. Translatè ponunt Latini syluam pro abundante materia, uel argumento uberiore. Aut pro eo, quod ex tempore scribitur uelocißimè, est'que uelut prima materia. Omnes sequentes locutiones significationis sunt translatæ.*
Syluam ducere rei alicuius à re aliqua.
Syluam comparare.
Syluam subijcere.
Syluam exponere.

SYMBOLVS.

SYMBOLVS, *uel symbolum est signum, aut nota: ut annulus. Est etiam interdum idem quod collatio, in quam comparandam plures aliquid contulerunt.*
Symbolum condicere.
Symbolum dare.

SYMPHONIA.

SYMPHONIA *est musicus concentus: uel est celebritas quædam, quæ fit cantu musico.*
Symphoniam canere. *Cic. in Verrem: Cùm in eis conuiuijs symphonia caneret, maximis'que poculis ministraretur.*

SYNGRAPHA.

SYNGRAPHA, *uel syngraphus, uel syngraphum, est scriptura, siue schedula, quæ fit manu eorum, qui pacifcuntur in alicuius rei fidem.*
Syngrapham facere, vel scribere.
Ex syngrapha credere.
Ex syngrapha agere.
Ex syngrapha ius dicere.

T

TABELLA.


ABELLA *diminutiuum est à tabula. Hinc tabellæ dicebantur apud Antiquos epistolæ, quòd in breuibus tabellis scriberentur. Erant & tabellæ, in quibus iudices scribebant.*
Tabellas dare.
Tabellas ferre.
Tabellis obsignatis agere.

TABELLARIVS.

TABELLARIVS *est, cui literas perferendas committimus, Generaliter tamen adiectiuum est à tabella.*
Tabellarios mittere, vel remittere.
Tabellarios subministrare.
Tabellarios præbere.
Tabellarios depræhendere.
Tabellarios excutere.
Tabellarios scrutari.
Tabellarios retinere.

TABERNA.

TABERNA *pro omni ædificio ponitur, quod est commodum, & utile ad habitandum, ex eo, quòd taberna tabulis claudebatur: dicitur'que taberna quasi trabea, à ualidioribus scilicet trabibus (ut inquit Donatus) quibus superiora sunt suspensa. Tabernam ab officina ita distinguunt, ut taberna sit, ubi opera ipsa, cætera'que merces uenditantur. Officina, ubi fiunt opera. Non negant tamen Grammatici, aliquando unum, eundem'que locum officinam, & tabernam esse, ut sutrina, in qua calcei & fiunt, & uenduntur. Scribit item Nonius Marcellus tabernas non tantùm uinarias esse, sed & omneis, quæ sunt popularis usus. Taberna uerò ab eo, quod in ea uersatur, aliquando adiectiuum sumit: ut à uino appellatur uinaria: ab oleo olearia: à lana lanaria: & huiusmodi. Vocamus etiam meritoriam tabernam pro diuersorio,*

atque hospitio mercennario: quò cuique introire licet danti mercedem.

Ad tabernam diuertere.

Tabernam occludere.

TABERNACVLVM.

TABERNACVLVM *est tectum castrense, quod, ut libet, moueri potest.*

Tabernaculum ponere.

Tabernaculum collocare.

TABVLA.

VVLGARIS *huius nominis significatio per se satis nota est. Paulò uerò elegantiùs dicitur tabula liber, quem sibi quisque nostrum priuatim facere consueuit, quasi quoddam memoriæ promptuarium eorum, quæ agimus: id est, diarium, & ephemeris actionum nostrarum. Inde dicuntur tabulæ accepti, & expensi: rationes scilicet, in quas acceptæ, & expensæ pecuniæ referuntur. Has tabulas domesticas Latini usitatè uocant. Tabulæ autem nouæ appellantur, quando debitores creditas pecunias cum usuris persoluere non coguntur ipsis creditoribus, & abolitis prioribus debitis nouæ tabulæ conficiuntur. Tabulæ item Iudicum dicuntur: de quibus ita Asconius. In causis (inquit) maioribus Iudices uniuersi in cistam tabulas simul coniiciebant, suas insculptas literas habentes absolutionis, siue condemnationis, cùm de alicuius capite agebatur. Tabulas Iudicum uocat: id est, tabellas cereas, quibus ferebant sententias. Erant enim sententiæ non uocales, sed tabellariæ. Præterea tabulæ, siue tabellæ dicebantur testamenta, siue aliæ publicæ scripturæ, cuiuscunque materiæ essent. Pro syngraphis etiam, & documentis literarijs. Extra hæc: dicebatur apud Antiquos tabula pro lege. Dicebatur etiam, in quam Antiqui tesseras mittebant: quam lusoriam, & quandoque, latruncularium, & pyrgum, siue alueum, alueolum'ue uocabant. Item tabula pro auctione usurpabatur.*

Tabulas facere.

Tabulas conficere.

In tabulas referre.

In tabulas digerere.

Tabulas obsignare.

Tabulas proferre.

Tabulas proscribere.

Tabulas figere.

Tabulas corrumpere.

Tabulas interlinere.

De tabulis eximere.

TABVLARIVM.

TABVLARIVM *est instrumentum, in quo tabulæ, hoc est, literæ, & actus publici reponuntur.*

Tabularium incendere.

TACITVS.

TACITVS *actiuè, & passiuè à Latinis usurpatur. Taciti enim aliquid præterimus: & tacitum aliquid à nobis præteritur. Sic tam ad res, quàm ad personas, pertinet.*

Tacitum aliquid relinquere: *Id est, uerba de eo non facere.*

Tacitum aliquid præterire. *Hic recognosce, uocem hanc tam actiuæ, quàm passiuæ, esse significationis. Sic enim hanc locutionem interpretari potes. Tacitus præterij illud: uel, tacitum illud præterij.*

Tacitum ferre. *Cic. ad Att. vij. Cætera si reprehenderis, non feres tacitum; nisi si quid erit eiusmodi, quod sine sumptu corrigi possit. Id est, non tacebo: uel, non dissimulabo, te malè reprehendere.*

TACTVS, us, ui.

TACTVS *est tangendi actus.*

Tactum fusum esse per omne corpus.

Ad tactum chordas respondere.

Sub tactum cadere: *Id est, tangi posse.*

TAEDA.

TAEDA *est fax.*

Tædam inflammare.

Tædam accendere.

Tædam extinguere.

TALARIA.

TALARIA *dicuntur calceamenta alata Mercurij.*

Talaria pedibus affingere.

Talaria pedibus nectere.

Talaria induere. *Apud Ciceronem est prouerbialis allegoria, talaria induere, pro eo, quod est fugam adornare, quasi que uelle quòpiam auolare. Sic enim scribit ad Att. xiiij. Nemo est istorum, qui ocium non timeat: quare talaria induamus. Itaque talaria induere dicimus eos, qui parant aufugere.*

TALVS.

TALVS *est postremum cruris: pars scilicet pedis, in qua os prope calcaneum extuberat. Talus etiam dicitur os in articulo pedis uentre eminens: quod est bisulcis tantùm animalibus, non homini, neque cæteris animantibus. Talus inde dictus est quatuor laterum, quo luditur.*

Talum iacere.

Talis præclarè ludere.

Talum rectum cadere.

Talum rectè assistere.

TARDITAS.

TARDITAS *est cunctatio, uel mora: cui opponitur celeritas: & (quemadmodum tardus) uel in persona, uel extra personam est.*

Tarditatem afferre.

Tarditate uti.

Tarditatem corrigere.

TECTOR.

TECTORIVM.

TECTORIVM *illinimentum quoddam est, & quasi parietis incrustatio.*

Tectorium inducere.

Tectorium delere.

TECTVM.

NOTAE *est significationis hæc dictio: pars est scilicet domus superior, qua ipsa domus tegitur. Figuratè pro ipsa domo poni sæpe uideas.*

Ædificium ad tectum peruenire: *id est, extrui usque ad culmen: uel perfectum esse usque ad culmen.*

Tecto aliquem recipere.

Tectum in aliquo loco accipere: *id est, hospitio recipi. Cic. ad Attic. Multis locis ne tectum quidem accipio, & in tabernaculo maneo plerunque.*

TEGVMENTVM.

TEGVMENTVM *idem est, quod tegmen. Nec minùs translatè, quàm propriè, usurpatur.*

Tegumentum flagitiorum quærere.

Tegumentum facere re, vel ex re aliqua.

Tegumentum detrahere.

TELVM.

TELVM *dicitur, quicquid iaci potest. Quo nomine lapis, lignum, plumbum, ferrum continetur.*

Telum habere.

Cum telo esse.

Telum intendere.

Telum emittere.

Telum immittere.

Telum conijcere.

Telum acerrimum esse aliquid ad rem aliquam. *Per translationem ponitur interdum telum pro re potentissima, & efficacissima, & uis, uirtutisque quasi præsentis: sed id non ferè sine adiectiuo. Cic. de Amic. Non mediocre telum ad res gerendas existimare oportet beneuolentiam ciuium. Idem Famil. vij. Vsquequaque sapere oportet: id erit telum acerrimum.*

TEMERITAS.

TEMERITAS *sapientiæ opponitur.*

Temeritatis inconsideratissimæ, & dementissimæ plenum esse.

Temeritate aliquid fieri, regi, administrari.

TEMPERANTIA.

TEMPERANTIA *est rationis in libidinem, & in alios non certos impetus animi firma, & moderata dominatio: sic que constat ex prætermittendis uoluptatibus, & ex omnium animi commotionum moderatione.*

Temperantiam summam esse in aliquo.

Temperantiam seruare.

TEMPESTAS.

TEMPESTAS *modò pro tempore ponitur. Modò translatè pro motu, & rerum perturbatione. Modò est genus cœlestis iniuriæ: quæ cùm in terra uersatur, tempestatem extra rem marinam notamus. Cùm uerò mare turbat, tunc ad rem maritimam pertinere uolumus.*

CVM PRO RERVM *motu ponitur.*

TRANSLATAE *sunt sequentes omnes locutiones.*

Tempestatem excitare.

Tempestatem impendêre.

Tempestatem cooriri.

Tempestatem aliquem percellere.

Tempestate iactari.

Tempestate euerti.

Tempestati cedere.

Tempestatem vitare.

CVM EXTRA REM *marinam est.*

FERE *in hoc membro tempestas in malam partem cadit: capi tamen potest etiam in bonam.*

Tempestatem euenire.

Tempestatem sequi, vel consequi. *Cæsar de bel. Gall. iiij. Secutæ sunt continuos complures dies tempestates, quæ & nostros in castris continerent, & hostem à pugna prohiberent.*

Tempestatem malam esse. *Cato de re Rust. Dicit uillicus, sedulò se fecisse, seruos non ualuisse, tempestates malas fuisse.*

AD REM MARINAM *pertinens: idque in bonam partem.*

Tempestatem idoneam nancisci.

Tempestatem idoneam habere.

Tempestatem idoneam, & egregiam esse.

Tempestate bona, & certa soluere, vel conscendere, vel nauigare.

Tempestatem prætermittere.

IN MALAM PARTEM.

CVM *hæc dictio per translationem (ut proximè ostendimus) pro rerum motu ponitur, nullam locutionem habet, quæ hic non quadrare possit. Satis igitur sit, te de eo admonitum: & plura à me ne require: sed ex superioribus tibi necessaria mutuare. Nos tamen nonnulla notabimus.*

Tempestatem cooriri.

Tempestatem magnam in alto esse.

Tempestate aduersa iactari.

Tempestate in portum reijci.

Tempestate detineri.

Tempestatem commutari.
Tempestatem sedari.

TEMPESTIVITAS.

TEMPESTIVITAS à Latinis ponitur pro certa quadam, & idonea, uel commoda temporis ratione, natura, cursu, aut statu.
Tempestiuitatem dare.

TEMPVS.

TEMPVS interdum pro capitis parte ponitur. Interdum uerò est pars quædam æternitatis cum alicuius annui, menstrui, diurni, nocturni'ue spacij certa significatione. In hoc & quæ præterierunt, considerantur: & item, quæ instent in præsentia, & quæ consequantur. Ex postrema significatione ducuntur omnes sequentes locutiones.
Tempus antelucanum.
Tempus matutinum.
Tempus vespertinum.
Temporis vsura.
Temporis breuitas.
Temporis angustiæ.
Temporis natura.
Temporis cursus, uel decursus.
Temporis forma.
Temporis imago.
Temporis ratio.
Temporis status.
Temporis varietas.
Temporis inclinatio.
Temporis mutatio.
Temporis motus.
Temporis perturbatio.
Temporum vitia.
Tempus dubium.
Tempus formidolosum.
Tempus suspitiosum.
Tempus turbulentum.
Tempus cæcum.
Tempus triste.
Tempus luctuosum.
Tempus difficile.
Tempus durum.
Tempus asperum.
Tempus atrox.
Tempus graue.
Tempus miserum.
Tempus perditum.
Tempus extremum.
Temporis tristitia.
Temporis acerbitas.
Temporis calamitas.
Temporis atrocitas.
Temporis iniquitas.
Temporis inuidia.
Tempus quietum.
Tempus tranquillum.
Tempus optimum.
Tempus liberum.
Tempus vacuum.
Tempus commodum.
Tempus opportunum.
Tempus idoneum.
Temporis tranquillitas.
Temporis commoditas.
Temporis opportunitas.
Tempus alienum.
Tempus absurdum.
Tempus aduersum.
Id temporis. *Cic. ad Att. Venit ad me, & quidem id temporis, ut retinendus esset.*
Per id tempus, vel idem tempus, vel temporis.
Ad tempus. *Ad tempus, uariè ponitur. Interdum est enim pro tempore constituto. Interdum pro breui temporis spacio. Interdum pro commodè, & opportunè: uel pro re nata: uel, ut temporis ratio postulat.*
Per tempus: *Id est, opportunè.*
Ante tempus.
Post tempus.
Vno tempore.
Suo tempore.
In tempore: *Id est, opportunè, commodè.*
Tempore: *Pro opportunè.*
Ex tempore. *Ex tempore duplicem significationem habere potest: ut sit, pro re nata: uel statim, citò, ilico, & sine præmeditatione, & (ut uulgus loquitur) in promptu: ut, orationem habere ex tempore.*
A quo tempore.
Ex quo tempore.
Ex eo tempore.
Ab illo tempore.
Illo tempore.
Vt temporibus illis. *Cic. in Bruto. Erat cum literis Latinis, tum etiam Græcis (ut temporibus illis) satis eruditus.*
Tempus dare.
Tempus constituere.
Tempus appropinquare.
Tempus venire.
Tempus accidere.
Tempus extare.
Tempus esse. *Vulgari significato est hæc aliquando locutio. Aliquando uerò eleganter dicimus, tempus est, pro necesse est: uel, sequitur, ut: uel, res postulat, ut.*
In tempus incidere.
In tempus incurrere.

Tempus

Tempus obseruare.
Tempus capere, *Pro obseruare.*
Tempus arripere.
Tempus antecapere.
Tempus dare.
Tempus sumere.
Tempus habere.
Tempus ponere.
Tempus distribuere, vel tribuere.
Tempus traducere.
Tempus transmittere.
Tempus consumere.
Tempus eximere.
Tempus dirimere.
Tempus remittere.
Tempus intermittere.
Tempus dimittere.
Tempus prætermittere.
Tempus amittere.
Tempus perdere. *Tempus perdere à tempus amittere differt. Etenim tempus amittere, est rei, uel temporis occasionem prætermittere. Tempus uerò perdere, est tempus frustra, & inaniter consumere.*
Tempus præterire.
Tempus abire.
Tempore excludi.
Tempore egere.
Tempus reuocare.
Tempus recuperare.
Tempus prorogare.
Temporis prorogatio, vel longinquitas.
Tempori seruire.
Tempori consulere.
Temporis causa. *Temporis causa aliquid facere, uel dicere, est idem, quod tempori assentiendo, uel consulendo.*
Tempori assentiri.
Tempori parère.
Tempori cedere.

TENEBRAE.

TENEBRAE *quid significent, notum est. Ponuntur enim pro obscuritate, uel caligine. Transferuntur tamen ad alia: & ponuntur pro rerum obscuritate, & ignoratione: uel pro perturbatione. & confusione.*
Tenebras afferre.
Tenebras obducere.
Tenebras alicui esse. *Cicero ad Attic. vij. Quæso, quid hoc est? aut quid agitur? mihi enim tenebræ sunt: Id est, omnia mihi sunt ignota.*
In tenebris iacère.

TENVITAS.

TENVITAS *est gracilitas, angustia, subtilitas, paupertas.*
Tenuitatem alicuius sustentare.

TERGVM.

TERGVM *à Latinis ponitur pro dorso: id est, posteriore corporis parte. Non tamen semper aut hominis, aut animalium est, sed pro rerum quarumuis posteriore parte translatè ponitur.*
Tergum dare.
Tergum vertere: *Id est, in fugam se conijcere.*
A' tergo sequi.
A' tergo circunuenire.

TERMINVS.

TERMINVS *apud Antiquos deus creditus est, in cuius tutela fines agrorum esse existimabantur. Ea igitur fuit termini apud Antiquos significatio. Fuit & alia: scilicet ut uerbum suum sequeretur, poneretur'que pro fine, uel regione: & esset propriè signum, quod agrum ab agro diuidit.*
Terminos constituere.
Terminis certis aliquid definire, vel describere, vel circunscribere.
Terminos euellere.

TERRA.

TERRA *tribus modis dicitur, communi, proprio, & misto. Communi, ut cùm dicimus orbem terræ, & terram Italiam, aut aliam quamlibet: in ea enim & lapis, & arena, & cætera eius generis sunt in nominando comprehensa. Altero modo dicitur terra proprio nomine: quæ nullo alio uocabulo, neque cognomine adiecto appellatur. Tertio modo dicitur terra, quæ est mista, in qua seri quid potest, & nasci: ut argillosa, aut lapidosa.*
Terræ filius. *Olim homines, obscuro, ignoto'que genere prognati, Terræ filij dicebantur, propterea quòd Terra sit omnium communis parens.*
Terra petere, vel iter facere. *Per terram ire dicunt Barbari, quod bene Latini terra petere, uel terra iter facere: ut, terra Romam petere: uel terra Romam iter facere.*
Terra, mari'que conquirere: *Id est, locis omnibus, & summa diligentia.*
A' terra soluere.
Ad terram deligare.
Ad terram religare.
Ad terram dare.
In terram statuere.
Ad terram abijcere.
Ad terram affligere.
Terram proscindere.
Terram discindere.
Terram subigere.
Terram domare.
Terram exhaurire.

TERRÆMOTVS.

DICITVR *terræmotus, cùm terræ incluso spiritu contremiscunt magno sæpe habitantium damno.*

Terræmotum fieri.

Terræmotu Mundum contremiscere.

Terræmotu conquassari.

TERROR.

TERROR *est metus conutiens: ex quo fit, ut pallorem & tremor, & dentium crepitus consequatur.*

Terrorem afferre.

Terrorem offerre.

Terrorem iacĕre.

Terrorem incutere.

Terrorem inijcere.

Terrori esse.

Terrorem impendēre.

TESTAMENTVM.

TESTAMENTVM *est ultima uoluntas.*

Testamenti factionem habere.

Testamentum componere.

Testamentum conscribere.

Testamentum facere.

Testamento aliquid alicui relinquere.

Testamentum obsignare.

Testamentum falsum supponere.

Testamentum subijcere.

Testamentum mutare.

Testamentum rumpere.

Testamentum irritum facere.

Testamentum inducere: *id est, irritum facere.*

TESTATVS.

TESTATA *res dicitur certa, & perspecta, & nota, planè cognita.*

Testatum aliquid apud aliquem relinquere. *Cicero Famil. 1. Vt testatum apud animum tuum relinquam, quid senserim.*

TESTIMONIVM.

TESTIMONIVM *est iudicium, aut iureiurando deuincta autoritas. Vocem etiam istam pro testium dictis poni aliquando uideas: & tunc ad absenteis propriè referri uolunt: unde Callistratus Libro xxij. de Probat. & Præsumpt. inquit. Item Diuus Hadrianus Rufino Proconsuli Macedoniæ rescripsit, testibus se, non testimonijs, crediturum. Et paulò pòst Gabinio in hæc uerba rescripsit. Alia est autoritas præsentium testium: alia testimoniorum, quæ recitari solent. Hanc testimonij proprietatem notat Donatus in Andria Terentij, uersum illum explicans:*

Eadem hæc, Chreme, multi alij in Andro tum audiuere. Hoc testimonium, inquit Donatus, cæcum dicitur. Testimoniorum enim modus duplex est: manifestus, & cæcus. Manifestus est, qui certos testes, & præsenteis habet. Cæcus, in quo multitudinem, aut ciuitatem dicimus scire: ut Cicero: Testis est tota Sicilia. Est etiam in cæco testimonio iusiurandum, tabulæ, absentes'que personæ. Hæc perdoctè Donatus. Sed nec Donati, nec Iurisperitorum differentia, aut distinctio obseruatur in testimonio priuato: neque semper in forensi, & iudiciali.

Testimonium sumere. *Sumere testimonium rei alicuius, est, quod Barbari dicunt, capere, uel accipere actum de re aliqua: uidelicet, cùm accepta aliqua iniuria, aut alia quauis offensione, ut rei testificatio nobis in tempore esse possit, ab ijs, qui adsunt, testimonium sumitur, & scribitur, ut, si quando res in iudicium ueniat, testimonij sumpti fide, qui iniuriam persequitur, iuuari possit.*

Testimonium tribuere.

Testimonium impertiri.

Testimonium dare. *Dare testimonium interdum idem est, quod testes proferre, uel producere: & ponitur eo modo testimonium pro teste, quo seruitium pro seruo.*

Testimonium dicere.

Pro testimonio dicere. *Dicere pro testimonio Antiquus erat, quod Barbari nunc dicunt, deponere. Est autem uulgò pro testimonio idem, quod loco testimonij.*

Testimonio esse.

Testimonium habere.

Testimonia eleuare.

Testimonia refellere.

Testimonia refutare.

TESTIS.

TESTIS *dicitur, qui rei cuiuslibet testimonium profert siue in iudicio, siue extra iudicium. Vnde etiam in pudendis hominum partibus testes dicuntur (quos aliter uulgò testiculos uocamus) uidelicet uirilitatis testimonium proferenteis.*

Testis locuples.

Testis assiduus.

Testis classicus. *Testes locupletes, assiduos, classicos hodie dicere possumus omni exceptione maiores, & irrefutabiles, quales in testamentis signandis adhibebantur.*

Testis idoneus.

Testis religiosus.

Testis integer.

Testis incorruptus.

Testis grauis.

Testis diobolaris.

Testis proletarius. *Huiusmodi testes sunt, quos ipsos inopia ipsa refellit, quos'que fames magis, quàm fama, commouere creditur: uel quos leuissimo precio proposito ad quodlibet periurium possis perducere, leueis scilicet, & omni religione, Dei'que metu uacuos.*

Testis coniuratus.
Testis mercenarius.
Testis falsus.
Testis fictus.
Testes facere: *Id est, parare, uel subornare.*
Testem habere.
Testem esse aliquem alicui rei alicuius.
Testem adhibere.
Testem citare.
Testem proferre.
Testem producere.
Testem dare.
Testem subornare.
Testem seducere.
Testem donis corrumpere.

THEATRVM.

THEATRVM *est ædificium in hemicycli speciem factum, ad cernenda spectacula idoneum. Ponitur etiam & pro ipso spectaculo, & pro ipsis spectatoribus. Crebrum uerò est in translationibus hoc nomen, & perelegans.*

Theatrum bellum, vel magnum habere: *Id est, permultos spectatores. Cice. ad Att. Theatrum quidem sanè bellum habuisti.*

Theatro magno spectata aliquorum familiaritas: *Id est, multis comperta.*

In theatro versari: *Id est, in aliquo loco conspicuo, ante oculos omnium. Cic. in Verr. Sic obtinui Quæsturam in prouincia Sicilia, ut omnium oculos in me unum coniectos arbitrarer: ut me, Quæsturamq; meam quasi in aliquo orbis terræ theatro uersari existimarem.*

Theatro magno propositas esse alicuius virtutes.

THESAVRVS.

THESAVRVS *est uetus quædam depositio pecuniæ, cuius non extat memoria. Etiam pro magna auri, uel argenti, & copia poni solet.*

Thesaurum defodere.
Thesaurum alicubi obruere.
De thesauris suis aliquid alicui suppeditare.
Aliquid circumplecti, tanquam thesaurum Draco.

TIBIA.

TIBIA *est instrumentum musicum, quo tibicines canunt: sic dicta, quòd primò ex Gruum tibijs facta sit.*

Tibiam inflare.
Tibia canere.
Ad tibiam canere.

TIMOR.

TIMOR *significat metum, uel formidinem. Vel est motus mali appropinquantis.*

Timorem impendere.
Ad timorem aliquid proponere.
Timorem facere.
Timorem inijcere.
In timorem inijcere.
In timorem dare.
Timorem incutere.
Timore afficere.
Timori esse.
In timorem se conuertere.
In timorem venire.
Ad timorem traduci.
Timore occupari.
Timore perculsum esse.
Timore esse, *Pro timore angi.*
In timore esse: *Actiuè, & passiuè ponitur hæc locutio.*
Timorem augere.
Timorem depellere.
Timorem eripere.
Timorem omittere.
Timorem deponere.
Timorem abijcere.
Timore uacuum esse.
Timore carere.

TITVLVS.

TITVLVM *uocamus, quod alicui rei, ut libro, operi, statuæ superscribitur ad eius cognitionem. Pro laude, & dignitate aliquando accipitur.*

Titulum appetere.
Titulis multis superbire.
Titulis multis circunfulgere.
Titulum honoris alicuius vix sustinere posse.

TOGA.

TOGA *gestamen erat proprium, insigneq; Romanorum ciuium: quemadmodum pallium Græcorum. Super imponebatur autem tunicæ, uel tunicis potiùs. Hæc laxa erat, & in sinum multis crispulis subtracta succingebatur. Varia autem erant Romanis togarum genera, ut toga pura, toga candida, toga prætexta, toga picta, toga regia, quæ erat auro, & purpura intexta: qua Reges utebantur, & quæ à Liuio inter insignia triumphantis numeratur. Toga pura erat, quam Tyrunculi forenses assumebant tyrocinij die. Dicta pura toga, quòd nullo purpuræ prætextu distincta esset. Cic. ad Att. vij. Habebamus in manibus Antonij concionem: in qua erat accusatio Pompeij usq; à pura toga: Id est, ab eius tyrocinio, uel prima adolescentia. Toga autem candida erat, quam petitores Magistratuum induebant: unde candidati dicebantur. Cicero in candida orationem habuit in Catilinam, & Antonium competitores. Erat etiam toga habitus peculiaris clientum, & salutatorum, qui togati ibant salutatum, ut sportulam consequerentur. Adhæc: toga pro pace aliquando accipitur, quoniam in pace tantùm togæ usus erat: nam in bello, toga deposita, chlamydem sumebant, aut lænam.*

Togam dare.
Togam sumere.
Togam assumere.
Togam induere.

TORMENTVM.

TORMENTVM *& supplicio conuenit, quod infligitur ad extorquendam ueritatem: & pro iis etiam ponitur, qui cruciatum inferunt. Est quoq; tormentum generale uocabulum omnium machinarum, saxa, tela, & id genus alia torquentium, atq; immittentium. Barbari canones, & bombardas appellant.*

Tormentum adhibere.
Tormento afficere.
In tormenta se dare.
Tormentis uerberare muros.
Tormentis disturbare.

TORQVES.

TORQVES *significat circulum aureum, flexilem, obtortum, colli ornamentum, & summi pectoris.*

Torque aliquem donare.
Torquem detrahere.

TRACTATIO.

TRACTATIO *est ipse tractandi actus, siue propriè accipiatur, siue translatè.*

Tractationem assumere rei alicuius.
Tractationem accipere.
In tractatione uersari.

TRAGOEDIA.

TRAGOEDIA *est genus poëmatis grande: in quo Heroes introducuntur, Duces, Reges: item luctus, tristitia. In hac tristes exitus, fortunarumq; priorum in peius agnitio. Tristitia nanq; tragœdiæ propria est. Per translationem pro perturbatione accipitur.*

PROPRIÈ.

Tragœdiam facere.
Tragœdiam scribere.
Tragœdiam absoluere.
Tragœdiam agere.

TRANSLATÈ.

Tragœdias excitare.
Tragœdias efficere.
Tragœdias in nugis agere: *Id est, in re leuicula tumultum mouere.*

TRAIECTIO.

TRAIECTIO *est transiectio.*

Traiectiones stellarum obseruare.

TRANQVILLITAS.

TRANQVILLVS *dicitur perturbatione carens, sedatus, uel placatus, uel lenis. Cuius uocis proprietatem in re maritima maximè uersari crediderim: ut propriè scilicet dicatur mare tranquillum, quod nulla tempestate, nulliq; procellis agitetur: sic etiam translatè dicatur animus tranquillus, qui nullo motu, aut æstu perturbatus sit. Quare cùm certum sit, à tranquillo tranquillitatem duci, certum quoq; est, primitiui sui significationem deriuatiuum retinere.*

Tranquillitatem expetere.
Tranquillitatem aucupari.
Tranquillitatem sequi.
Tranquillitatis plenus.

TRIBVNAL.

TRIBVNAL *est locus excelsus, in quo sedebat, qui ius tribubus redderet.*

In, uel pro (id est, in) tribunali sedere.
De tribunali sententiam pronuntiare.

TRIBVS.

TRIBVS *est curia.*

Tribum ferre. *In orat. pro Plancio.*
Tribum conficere.
In tribus distribuere.
Tribus diuidere.
Tribu mouere.

TRIBVTVM.

TRIBVTVM *dictum uult Varro à tribubus, quòd ea pecunia, quæ populo imperata erat, tributim à singulis pro portione censũs exigebatur. Festus tributum dictum ostendit, quia ex priuato in publicum tribuitur. Sumi tamen posteà hoc uocabulum cœpit largiùs pro omni munere, quod à subditis soluitur.*

Tributum imperare.
Tributum imponere.
Tributum exigere.
Tributum conficere.
Tributum ferre.
Tributum conferre.
Tributum pendĕre.
Tributum soluere.
A' tributis uindicare.
Tributo liberare.

TRICLINIVM.

TRICLINIVM *conclaue discubitorium dici potest. Est enim locus, in quo discumbebant, & cœnabant precipuè in conuiuium accepti: dictum à tribus lectis, quos sternebant inter se.*

Triclinium sternere.

TRISTITIA.

TRISTITIA *est seueritas, uel mœstitia: & opponitur letitiæ, uel hilaritati. Diciturq; tam de rebus, quàm de personis.*

Ad tristitiam contorquere.
 Tristitiæ se dare.
Tristitiam temporum subire.
 Tristitiam mitigare.
Tristitiam relaxare.
A tristitia deducere.
Tristitiam tollere.
Tristitiam abesse.

TRIVMPHVS.

TRIVMPHVS *pompa erat solemnis, quæ fiebat redeuntibus in urbem cum uictoria. Erat autem triumphus omnium honorum, qui à populo Rom. dari solebant, maximus. Qui autem triumphabant apud Romanos, Equis albis uehebantur curru inaurato, capite coronato lauro: & ante ipsum triumphantem uictus hostis erat oneratus colla catenis. Pòst, præeunte Senatu, Capitolium ascendebant ad templum Iouis Optimi Maximi: ubi mactato Tauro albo, domum redibant.*

Triumphum alicui decernere.
 Triumphum habere: *Id est, triumphare.*
Triumphum deportare.
Triumphum agere.
In triumpho, vel per triumphum ducere.

TROPHAEVM.

TROPHAEVM *est indicium uictoriæ.*

Trophæum ponere in loco aliquo.
Trophæum statuere, vel constituere.
Trophæis ornare.

TRVTINA.

TRVTINA *idem est, quod statera.*

Trutina examinare.

TVBA.

TVBA *est instrumentum musicum notum.*

Tubam inflare.
Tuba, vel ad tubam canere.

TVMOR.

TVMOR *est inflatio. Per translationem dicitur tumor rerum pro commotione, & eruptione.*

In tumore esse.
Tumore præditum esse.

TVMVLTVS.

TVMVLTVS *est motus, uel trepidatio.*

Tumultum præbere.
Tumultum facere.
Tumultum conflare.
 Tumultum sedare.
Tumultum comprimere.

TVRBA.

TVRBA *aliquando est rixa. Aliquando pro multitudine ponitur. Aliquando pro seditione, uel ui.*

Turbas concitare.
Turbas facere.
 Turbas incipere.
Turbas esse.
 Turbas silere.
Ex turbis se euoluere.
Ex turbis se exoluere.

TVRPITVDO.

TVRPITVDO *ad corpus, & ad animum refertur: & idem est, quod labes, macula, obscœnitas, infamia, flagitium, dedecus, fœditas, deprauatio, deformatio.*

Turpitudinem habere.
Turpitudine fœdare.
 In turpitudinem venire.
Turpitudinem subire.
Turpitudine notari.
 Turpitudinem delere.
Turpitudinem eluere.

TVTELA.

TVTELA *est fides, uel commendatio. Iurisperiti ita interpretantur, ut sit ius, ac potestas in capite libero, constituta ad tuendum eum, qui per ætatem sua sponte se defendere nequit, iure ciuili data, ac permissa.*

Tutelæ alicuius aliquem commendare.
In tutelam tradere.
Tutelæ subijcere.
 In tutelam venire.
In tutela esse.
 Tutela se abdicare: *Vt faciunt Tutores.*

TYRANNIS.

TYRANNIS *est crudelis dominatus, uel sæuitia, & atrocitas.*

Tyrannidem occupare.
 Tyrannidem delere.

V

VACATIO.



ACATIO *est cessatio, uel immunitas.*
Vacationem dare.
Vacatione donare.
Vacationem habere.
Vacationem tollere.

VACVVS.

VACVVS *dicitur inanis, nudus, ieiunus, exhaustus, uel expers, & liber, non impeditus, aut occupatus. Sic dicuntur uacua prædia, uel uacuæ possessiones: id est, quæ liberæ sunt. Sic etiam appellantur uacuæ aures, nondum criminationibus obtusæ, sed nobis arbitrio nostro patentes. Pertinet autem hoc nomen tam ad res, quàm ad personas: & eandem significationem retinet.*

Vacuus re aliqua.
Vacuus à re aliqua.
Vacuum esse: *Id est, nullo negocio implicatum.*
Vacui temporis aliquid habere: *Id est, uacuũ esse.*

VADIMONIVM.

VADIMONIVM *est sponsio quædam sistendi in iudicio ad diem præstitutam per se, uel per aduocatos.*

Vadimonium promittere.
Vadimonium facere.
Vadimonium concipere: *Id est, certam uadimonij formulam concipere.*
Vadimonium constituere.
Vadimonio obstringi. *Vadimonio obstricti hodie dici possunt, qui ob crimina in iudicium uocati, à iudicibus (ut fit) impetrauerunt, ut aut sua, aut fide sponsorum dimittantur, ea lege, ut in diem certum, aut quandocunq; Iudici uisum fuerit, ad iudicium sistantur. Elargitos eos Barbari appellant.*
Vadimonium esse alicui cum aliquo.
In vadimonio esse.
Vadimonium obire.
Vadimonium sistere.
Vadimonium differre.
Vadimonium deserere.
Vadimonium missum facere. *Vadimonium missum facere, est uadimonij obligationem remittere, condonareq;.*

VADVM.

VADVM *pro fundo fluminis, lacus, maris, & cuiuscunq; aquæ Latini ponunt, per quod uia datur. Ponitur etiam pro loco, qui propter breuitatẽ aquæ pedibus transiri potest.*

Vadum tentare.
In vado esse: *Id est, esse in tuto, citraq; discrimen: sumpta metaphora à nautis, aut nauigantibus.*
E vado emergere.

VAGINA.

VAGINA *propriè est gladiorum integumentum. Dicitur etiam uagina segetum: scilicet qua culmus adolescens inclusus est, & spica continetur.*

E vagina gladium educere.
In vagina gladium recondere.

VALETVDO.

VALETVDO *est corporis habitudo, uel constitutio. Et id tam in bonam, quàm in malam partem sonat uel per se, uel assumpto adiectiuo. Videlicet ut ualetudo modò pro sanitate sit: modò pro ægritudine. In utramuis uerò significationem communiter adiectiua assumit: ut, cùm pro sanitate est, dicamus bonam ualetudinem. Pro ægritudine, appellemus infirmam, imbecillam, perditamq; ualetudinem.*

IN BONAM PARTEM.

Valetudo bona, vel optima.
Valetudo commoda.
Valetudo integra.
Valetudinis bonitas.
Valetudinis integritas.

IN MALAM PARTEM.

Valetudo mala.
Valetudo incommoda.
Valetudo tenuis.
Valetudo grauis.
Valetudo infirma.
Valetudo imbecillis.
Valetudo ægra.
Valetudo perdita.
Valetudinis perturbatio.
Valetudinis grauitas.
Valetudinis infirmitas.
Valetudinis imbecillitas.
Valetudine esse. *Tam in bonam, quàm in malam partem, potest sonare hæc locutio. Cic. post Redit. Quo die quis ciuis fuit, qui fas esse putaret, quacunq; aut ætate, aut ualetudine esset, non de salute mea sententiam ferre.*
Valetudinem percipere.
Valetudinem impedire.
Valetudine impediri.
Valetudinem amittere.
Valetudinem sustentare.
Valetudini parcere.
Valetudinis rationem habere.
Valetudini operam dare.
Valetudini consulere.
Valetudini seruire.
Valetudini indulgere.
Valetudinem curare.

Valetudine

Valetudine leuari.
Valetudine emergere.
Valetudinem recuperare.
Valetudinem confirmare.

VALLVM.

VALLVM est munitio castrorum.
Vallum obducere.
Vallo munire.
Vallo cingere.
Vallum, vel vallo circundare.

VALVAE.

VALVAE sunt portae geminas partes habentes.
Valuas aperire.
Valuas patêre.
Valuas claudere.

VAPOR.

VAPOR est humor marinus, uel terrenus extenuatus, terrae anhelitus, afflatus ex terra.
Vaporem excitare.

VARIETAS.

VARIETAS est dissimilitudo. Quod nomen propriè in disparibus coloribus dicitur: sed transfertur in multa dispa-ria: ut uarium poëma, uaria oratio, & similia.
Varietatem habere. *Varietatem habere dicuntur ea, quae in uarietate constituta sunt: uel quae uarietatis speciem prae se ferunt.*
Varietatem facere, vel efficere.
Varietatem generare.
Varietatem praebere.
In varietate constitui. *Cic. de Nat. Deor. j. Qui Deos esse dixerunt, tanta sunt in uarietate, ac dissensione constituti, ut eorum molestum sit annumerare sententias.*

VAS, adis.

VAS est, qui pro aliquo spondet, uel obligatur, praesertim in causa capitali. Vel dicitur uas, qui alicuius causam omnem suscipit, & se pro illo supponit reum.
Vadem fieri.
Vadem dare.
Vadem accipere.

VAS, asis.

NOTAE est significationis hoc nomen.
Vasa conclamare. *Exercitu castra moturo, conclamari solet, ut uasa colligant.*
Non conclamatis vasis abire. *Per translationem dicitur de ijs, qui hospite (ut aiunt) insalutato abeunt.*
Vasa colligere. *Cic. In Verr. Ille ex Sicilia castra iam mouerat, & uasa collegerat: Id est, repentè profugerat.*

VASTITAS.

VASTITAS proximè ad solitudinis significationem accedit. Est enim propriè uastitas luctuosa quaedam, & misera rerum facies, quae sequitur uastationem, & direptionem: ut, cùm depopulati sunt ab hostibus agri, uel incendijs perditi, ut nihil in his praeter solitudinem reliquum sit. Pro magnitudine ponunt quidam Scriptores.
Vastitatem efficere.
Vastitatem reddere.
Vastitatem inferre.
Vastitatem depellere.
Vastitatem frequentare.

VBERTAS.

VBERTAS est abundantia, copia, uel magnitudo. Et tam translatè, quàm propriè, usurpatur.
Vbertatem dicendi ducere à re aliqua.

VECTIGAL.

VECTIGAL dicitur tributum, uel portorium. Vnde à uehendo dictum uolunt, cùm ex fundis fruges in urbem uehuntur. Vectigal autem duplex est: publicum scilicet, & priuatum. Publicum, quod debetur fisco. Priuatum, quod quisque sumit ex redditibus, & fructibus bonorum suorum.
Vectigal imponere.
Vectigal irrogare.
Vectigal conducere.
Vectigal redimere.
Vectigal exercere.
Vectigal exigere.
Vectigal habere.
Vectigal pendêre.
Vectigal pensitare.
Vectigale leuare.
Vectigale liberare.
Vectigal conseruare.
Vectigalia affligi.
Vectigalia conquiescere.

VECTIGALIS.

VECTIGALIS idem est, quod stipendiarius, uel tributarius. Sic Prouinciae, agri, & ij, qui tributa persoluunt, uectigales dicuntur.
Vectigalem facere.
Vectigalem aliquem habere.
Vectigalem esse aliquem alicui.

VECTVRA.

VECTVRA est actus uehendi, uel uectio. Vel est merces, quae pro uectura soluitur: ut puta pro naui, siue uehiculo, siue equo meritorio.
Pro uectura soluere.

VELVM.

VELVM.

VELVM *generali ſignificato pro integumento, uel inuolucro ponitur. Ad rem nauticam uerò cùm pertinet, uela ſunt lintea nauis illigata antemnis.*

Vela facere.
Vela pandere.
Vela dare.
Vela ducere.
Velis plenis nauigare.
Vela ſubducere.
Vela contrahere.
Vela dimittere.

VENA.

VENA *eſt uas ſanguinis, conceptaculum ſcilicet ſanguinis mixti, confuſiq; cum ſpiritu naturali: in qua tamen plus ſanguinis, minus ſpiritus inſit. Tu etiam ſi paucis uenæ, & arteriæ differentiam habere uelis, ſic breui habeto, Arteriam ſemitam eſſe ſpiritus: Venam uerò eſſe ſanguinis riuum. Transfertur autem uariè hæc dictio. Modò enim dicuntur uenæ in terra, ſubterranei ſcilicet meatus, per quos unda manat, aut alius liquor. Dicuntur item auri, uel argenti uenæ. Dicuntur prætereà uenæ arborum. Transfertur quoq; uena ad carmen, uel orationem.*

Venam moueri.
Venam agitari.
Venam ſe attollere.
Venam ſe ſubmittere.
Venæ exiguum, & imbecillum pulſum eſſe.
Venas concîdere.
Venas incîdere.
E venis ſanguinem mittere.

VENABVLVM.

VENABVLVM *eſt telum uenationi aptum, acici longiſsimæ.*

Venabulo tranſuerberare.
Venabulo transfodere.

VENALIS.

VENALE *ſumunt Latini pro eo, quod uendendum eſt, uel uenditioni expoſitum: uel pro eo, quod pretio emitur, & pecunia comparatur: uel pro aliquo, qui uel pecuniæ, uel obſonij gratia aliquid facit, aut it aliquò. Ponitur etiam pro ſordido, auaro, & qui gratia pecuniæ ſe ipſum uendit.*

Venalem habere. *Venalia habere ea dicimur, quæ uendenda proponimus, & quæſtui ſubijcimus.*

Venalem proponere.

VENENVM.

QVI *uenenum dicit (inquit Caius Iuriſconſultus) dicere debet, utrum malum, an bonum: nam & medicamenta uenena ſunt: quia eo nomine continetur, quod adhibitum, eius naturam, cui adhibitum eſt, mutat. Latini tamen omnes uenenum ſæpius in malam partem ponunt: & pro arte malefica, uel magica etiam in uſu eſt: ut ſi dicas alicui ereptam memoriam uenenis.*

Venenum parare.
Venenum infundere.
Venenum ſpargere.
Venenum facere.
Venenum præbere.
Venenum dare.
Veneno aliquem tollere: *Id eſt, necare.*
Veneno necare.
Veneno occîdere.
Venenum bibere, vel obbibere.
Venenum haurire.
Venenum depræhendere.

VENERATIO.

VENERATIO *eſt uenerandi actus. Paſsiuè tamen etiam aliquando ponitur.*

Venerationem habere. *Res dicitur uenerationem habere, quæ ueneratione digna eſt. Cic. de Nat. Deo. Habet uenerationem iuſtam, quicquid excellit.*

VENIA.

VENIA *eſt culpæ remiſsio, condonatio erroris, licentia, impunitas.*

Bona venia, vel cum bona venia. *Captationem beneuolentiæ habent hæ locutiones, uel moleſti ſermonis deprecationem: & idem ſignificant, quod tua pace.*

Veniam petere.
Veniam expoſcere.
Veniam impetrare.
Veniam tribuere.
Veniam dare. *In hoc loquendi genere non ſemper delicti, aut culpæ remiſsio intelligitur, ſed nonnunquam tantum petitionis conceſsio: ſanè ut ſit ueniam dare, idem quod concedere, quod petitur.*

Veniam concedere.

VENTER.

VENTER *eſt, qui à pectore ad pubem terminatur. Sæpe etiam pro ipſa aluo ponitur: & tunc omnes locutiones recipere poteſt, quæ aluo conueniunt. Ponitur & pro eo, quod guloſitatem uocant.*

Ventrem ferre: *Id eſt, uterum gerere, grauidam eſſe.*

VENTVS.

VENTVS *eſt aër commotus, atq; agitatus. Transfertur uerò aliquando, ut oſtendemus poſteà.*

Ventum facere. *Terentius in Eunuch. Cape hoc flabellum, & uentulum huic ſic facito, dum lauamur.*

Ventum ex-

Ventum expectare.
Ventum nancisci.
Ventum habere.
Vento se dare.
Ventum saeuire.
Ventum reflare.
Ventum aduersum esse.
Vento aduerso uti.
Ventum increbrescere.
Ventum bellè flare.
Ventum lenem, & mitem esse.

CVM TRANSLATE ponitur.

TRANSLATIONEM habet aliquando hoc nomen, & pro re, quae tractatur, significationem assumit. Non enim semper eadem significatione est. Pro rumore, & dissipato sermone poni aliquando uideas: aliquando pro fauore populari, uel fortunae cursu.
Ventos moderari, vel gubernare. Cic. Fa. j. Dux nobis, & autor opus est, & eorum uentorum, quos proposui, moderator quidam, & gubernator.
Ventos alicuius valde secundos esse. Cic. ad Att. ij. Cuius nunc uenti ualde sunt secundi: Id est, cuius res ex sententia cadunt.
Ventos rumorum colligere.
Ventum popularem quaerere, vel aucupari.

VENTOSVS.

VENTOSVS est uento plenus: ut uentosa regio. Translatè uerò ponitur pro inani, uel iactantiore. Brutus Cic. Fa. xj. Homo uentosissimus Lepidus.

VENVS.

VENVS Dea est aliquando: aliquando uerò stella: aliquando pro libidine accipitur. Etiam pro pulchritudine, uenustate, ornatu, & elegantia usurpari uideas: idq; tam in singulari, quàm in plurali numero: sed saepius in plurali. Quintilianus. Quod cum gratia quadam, & uenere dicitur.
Veneres dicendi summas habere.
Veneribus affluere.
Veneres maximas alicui inesse.

VENVSTAS.

VENVSTAS propriè est formositas, uel pulchritudo muliebris: dicta à Venere. Aliquando tamen ponitur pro gratia dicendi, uel amabili suauitate.
Venustatem afferre.
Venustatem habere.
Venustate affluere.

VERBER.

VERBER est uirga, uel flagellum.
Verberibus caedere.
Verberibus quaestionem habere.
Verberibus excruciare.
Verberibus exanimare.

VERBVM.

VERBVM idem est quod uox, nomen, dictio.
Verbum usitatum, & tritum.
Verba grandiora.
Verba amplissima.
Verba grauia, plena, sonantia, iuncta, facta, cognominata: non vulgata, superlata.
Verba delecta, splendida.
Verba dura, aspera.
Verba inusitata, insolentia, prisca.
Verba inquinata, abiecta, non aperta, longè petita.
Verba odiosa, intolerabilia.
Verba inepta.
Verba scabra, rigida.
Verba desita, obsoleta.
Verba elicere.
Verba excutere.
Verba emittere.
Verba facere: Id est, loqui.
Verba fundere.
Verba habere, Pro facere.
Verba coagmentare.
Verba perpetuare.
Verba dare: Id est, fallere, uel imponere alicui uerbis.
Verbo lacessere.
Verbo violare.
In verba alicuius iurare: Id est, sese alicui addicere.
Verbis conceptis iurare, vel peierare.
Verbum de verbo exprimere.
Ad verbum transferre.
Verbum pro verbo reddere.
Verbis totidem transferre.
Ad verbum ediscere.
Verbis meis illi salutem dicito: Id est, meo nomine.
Verbi gratia, verbi causa: Id est, exempli gratia.
Verbo tenus. Cic. de Legib. iij. Veteres uerbo tenus acutè illi quidem, sed non ad hunc usum popularem, atque ciuilem de Republica disserebant.
Vno verbo aliquid facere, consequi, labascere, terrere, vincere: & similia.

VERITAS.

VERITAS est uera ratio, uel res uera.
Ad veritatem traducere, vel reuocare.
Ad veritatem dirigere.

Ad veritatem adducere.
Veritate adduci, ut.
Ad veritatem dicere.
Veritatem limare in disputatione.
A' veritate desciscere.

VERSVRA.

VERSVRA à uerto, uertis dicitur, cùm aliquid uertitur: hoc est, conuersio. Scriptoribus agriculturæ dicitur, cùm Boues in arando post peractum legitimum sulcum circumaguntur, uertunturq;.
Versuram facere. Versuram facere honesta locutione apud Romanos dicebatur, quod nos nunc dicimus, pecuniam ad interesse mutuari, uel alteri se obligare, ut uetus debitum dissoluatur.
Versura soluere: Id est, creditorem mutare, & nomen de nomine dissoluere.

VERSVS, us, ui.

VERSVS est carmen, uel modus.
Versus scribere.
Versibus aliquid scribere.
Versus facere, vel conficere.
Versus fundere.
Versus componere.
Versus texere.

VESPERVS.

VESPERVS est extremum tempus diei.
Ante vesperum.
Ad vesperum.
Post vesperum.

VESTIGIVM.

VESTIGIVM propriè est locus, in quo pedem impressimus. Sed per translationem ad multa eleganter conuertitur: & ponitur pro reliquijs: signo, monumento. Dicimus item uestigium temporis, pro puncto temporis: id est, maxima celeritate. Cæsar de Bell. Ciuili libr. ij. Eodem tempore uis magna pulueris cernebatur, & uestigio temporis primum agmen erat in conspectu.
Vestigium facere.
Vestigium imprimere.
Vestigium figere.
Vestigium ponere.
Vestigium inflectere.
Vestigia alicuius persequi.
Vestigia extare.
Vestigia reliqua esse.
Vestigia apparere.

VESTIMENTVM,
Vestis, Vestitus, us, ui.

EADEM significatione sunt tria hæc uocabula: & significant integumentum, uel ornatum.
Vestem conficere.
Vestem resarcire.
Vestem induere.
Vestem mutare.
Vestem detrahere.
Vestem discindere.
Ad vestem, vel vestitum redire.

VETVSTAS.

VETVSTAS, est senectus, uel antiquitas.
Vetustatem assumere.
Vetustatem habere.
Vetustate senescere.
Vetustate coacescere.
Vetustate euanescere.

VIA.

VIA est iter: & tam loci, quàm actionis est. Loci: ut, nescio, utra uia ueniet. Actionis: ut, de uia fessus sum, uel Langueo. De uarijs uiarum generibus uide in primo Tomo nostrorum Commentariorum. Prætereà, non minùs elegans est hoc nomen cum translatione, quàm in propria significatione.

PROPRIE'.

Via inepta.
Via deterrima.
Via aliquorum dierum.
Viam munire.
Viam facere.
Viam sternere.
Viam repurgare.
Viam reficere.
Viam concinnare.
Viam substruere.
Viam dare alicui in aliquem locum.
Viam patêre.
In viam dare se.
Viæ se committere.
In via esse.
Viam procedere.
Viam progredi.
Viam conficere.
De via deflectere.
E' via excedere.
A' via recedere.
Inviam redire.
Viam tangere: Id est, domum uiæ contiguam esse.

TRANSLATE'.

VIA, cùm per translationem ponitur, ferè semper pro ratione est, uel instituto. A' Græcis methodus dicitur.
Vias dare.
Vias tradere.

Vias præbere.
Vias noſſe rei alicuius.
Viam ſequi.
Vias omneis perſequi.
Viam habere multiplicē rei alicuius faciendæ.
In viam reducere.
In viam redire. *Duæ ſunt hæ inſigniores loquendi formæ à uiæ translatione ductæ. Eſtq; in uiam reducere, idem quod ab errore reuocare. Et in uiam redire, eſt ad ſanitatem redire, reſipiſcere, & ad meliorem (quod dicitur) ſe frugem recipere.*

VIATICVM.

VIATICVM *eſt, quicquid iter agendi cauſa neceſſarium eſt, ſiue cibus ſit, ſiue pecunia in uictum expendenda.*
Viaticum quærere.
Viatico proſequi.
Viaticum ſuppeditare.
Viaticum ſuggerere.
Viaticum præripere.
Viaticum eripere.

VICARIVS.

EST *uicarius, qui uicem alterius obtinet, uel in cuius locum ſuccedit: uel qui pro alio in aliquo munere conſtitutus eſt: id eſt, qui alterius uices gerit. Conſtructionem uerò eam habet, ut uel ponatur ſine caſu: uel genitiuo iungatur.*
Vicarium dare.
Vicarium aliquem alicui ſuccedere.
Vicarium aliquem alicui eſſe.
Vicarium ſubtrahere.

VICES.

VICIS *nominatiuus ſingularis uix apud Latinos reperitur. Vices autem uarijs ſignificationibus uſurpant Latini. Modò enim pro alternatione, ſiue uiciſsitudine, ſiue loco, & munere ponunt. Modò pro caſu, uel infortunio accipiunt. Modò pro pœnis, & incommodis.*

PRO MVNERE, VEL LOCO.

In vicem rei alicuius aliquid agi.
Vice alicuius aliquid agi. *Columella. Poteſt malleolus protinus in uicem uiuiradicis conferi. Plinius: Humi quoq; uice pedum ſerpunt.*
Vice fungi.
Vicem ſupplere.
Vicem reddere.

PRO CASV, VEL *infortunio.*

Aliquem alicuius vicem anxium, vel ſolicitum eſſe.
Vicem timere, vel pertimeſcere.
Vicem iraſci.
Vicem dolere, vel lugere.
Vicem vlciſci.

VICINITAS.

GRAMMATICI *(ut toti moroſitatis, & ſcrupulorum ridiculorum pleni ſunt) hanc inter uicinitatem, & uiciniam differentiam præſcribunt, ut uicinitas ſignificet non homines, ſed propinquitatem. Vicinia uerò non tam homines, qui eundem incolunt uicum, quàm qui prope domum tuam habitant. Hæc Grammaticorum differentia nihil legi ſtolidius. Nihil enim inter uicinitatem, & uiciniam planè intereſt: ſed utrumq; nomen pro uicinorum propinquitate, uel uicinorum multitudine accipitur: niſi quid loci in uicinia magis expreſſum fortè appareat, quàm in uicinitate. Vicinitas uerò etiam ad alia, quàm ad homines, uel locum, refertur.*
Vicinitatem eſſe alicui cum aliquo.
Ad vicinitatem ſe conferre.
Totam vicinitatem perſonare re aliqua.

VICISSITVDO.

VICISSITVDO *eſt alternatio, mutatio ex alio in aliud, & quædam uelut uarietas.*
Viciſsitudines efficere.
Viciſsitudines partiri.
Viciſsitudine vti.
Viciſsitudines conficere.
Viciſsitudines conſeruare.

VICTIMA.

VICTIMA *erat hoſtia, quæ poſt uictoriam dextra uictrice immolabatur.*
Victimam ſe Reipublicæ præbere.
Victimam mactare.

VICTORIA.

VICTORIA *dicitur palma, uel res bene geſta: cui opponitur offenſio.*
Victoriam portendere.
Victoriam parĕre.
Victoriæ initium oriri, vel naſci.
Victoriam in manibus eſſe.
Victoriam in manibus habere.
Victoriam deferre.
Victoriam dare.
Victoriam tribuere.
Victoriam adipiſci.
Victoriam conſequi.
Victoriam ad aliquem venire.
Victoriam habere.
Victoriam conclamare.
Victoriam concelebrare.
Victoriam reportare.

Victoriam exercere.
Victoriam stare, constare, vel consistere.
Victoriam retinere.
Victoriam morari.
Victoriam interpellare.
Victoriam differre.
Victoriam transferre.
Victoriam eripere.
Victoriam extorquere.
Victoriam excidere è manibus.

VICTVS, us, ui.

VICTVM *cum Iurisconsultis ita exponemus, ut uictus uerbo contineantur, quæ esui, potui, cultuíq; corporis, quæq; ad uiuendum, homini sunt necessaria.*

Victum dare.
Victum præbere.
Victum suppeditare.
Victu tenui vitam sustentare.
Victum colere. *Cice. ad Att. Nunc planè nec uictum ullum, nec uitam colere possum.*

VIGILANTIA.

VIGILANTIA *est attentio.*

Vigilantia horribili plenus.
Vigilantia singulari aliquid seruare.

VIGILIA.

VIGILIAS *uocant Latini excubias. Tu uerò obserua, uigilias, & uigiliam ferè esse militum: unde manant istæ locutiones: prima, secunda, tertia uigilia. Vigilias quoq; pro custodibus, & ijs, qui uigilant, dici reperias apud Latinos, eo certè modo, quo seruitia pro seruis ipsis dicimus.*

Vigilia prima literas accipere: *Id est, ad primum tempus noctis.*

De vigilia. *Cæsar libr. j. de bell. Gallico: De tertia uigilia cum tribus legionibus ex castris profectus est. Obserua hic, de uigilia à Cæsare dici, ut de nocte dicunt Latini omnes.*

Vigilias collocare.
In vigilias ire.
Vigilias inire.
Vigilias agere.
Vigilias exigere.
Vigilias conficere.
Vigiliam tradere. *Cic. Fa. xj. Cupio iam uigiliam meam, Brute, tibi tradere, sed ita, ut non desim constantiæ meæ. Allusit hic Cicero ad uigilias militareis, quæ in quaterna horarum spacia diuiduntur.*

VINCVLVM.

VINCVLA *generaliter sunt, quibus res quæuis ligantur: sed quoniam non ferè fit, ut, qui grauiter flagitiosi in carcerem conijciuntur, soluti sint: at potius uinculis obstricti, obtinuit usus, ut uincula pro carcere ferè poni uideas.*

Vincula inijcere.
Vinculis deuincire.
Vinculis constringere, vel astringere.
Vinculis colligare.
In vincula abripere.
In vincula conijcere.
Vinculis mandare.
In vinculis retinere.
Vinculis leuare.
Ex vinculis emittere.
Vincula reuellere.
Vincula rumpere.

VINEA.

VINEAE *propria, & peculiaris significatio certè non est tam ampla, ac uineti: sed tamen locum uitibus consitum, & ordinatum complectitur: ut quemadmodum uinetum ipsarum uinearum: ita etiam uinea ipsarum uitium dici uideatur. Pro instrumento bellico etiam uinea Antiquis fuit.*

Vineam instituere.
Vineas constituere.
Vineas ordinare.
Vineas conserere.
Vineas ponere, vel disponere.
Vineas semitare.
Vineas limitare.
Vineas decussare.
Vineam frequentare.
Vineam fodere.
Vineam sternere.
Vineas putare.
Vineas tondere.
Vineas interradere.
Vineas incidere.
Vineam resecare.
Vineam pampinare.
Vineam adumbrare.
Vineam progemmare, vel gemmare.
Vineam pubescere.
Vineam retorrescere.
Vineas palare.

VINETVM.

VINETVM *dicitur plaga, uel regio, aut magnus soli, uel terreni alicuius tractus uineis consitus. Vel dicitur locus, ubi multitudo uitis consita est: id est, ubi multæ sunt uites, uel multæ uineæ.*

Vinetum ordinare.
Vinetum instituere.
Vinetum conserere.

VINVM.

VINVM *à ui deducitur, ut quidam uolunt, quòd uim menti infe-*

menti inferat.
Vinum dulce.
Vinum tenerum.
Vinum lene.
Vinum asperum.
Vinum austerum.
Vinum toruum.
Vinum molle.
Vinum bonum.
Vinum odoratum.
Vinum tenue.
Vinum fugiens.
Vinum annis cedens.
Vinum consistens.
Vinum firmum.
Vinum forte.
Vinum crassum.
Vinum vehemens.
Vinum magnæ vetustatis.
Vinum vetustatem patiens.
Vinum flaccescens.
Vinum vetustate coacescens.
Vinum vetustate euanescens.
Vinum vetustate edentulum.
Vinum acidum.
Vinum mucidum.
Vinum inueteratum.
Vinum uetulum.
Vinum pendens: *Id est, quod in uinea pendet, & in ipsis uuis adhuc continetur.*
Vinum doliare. *Id est, quod iam in dolijs est.*
Vinum factum: *Id est, iam in dolijs conditum, non amplius turbulentum.*
Vinum feruere.
Vinum quietum, vel quietem nactum, & extra ebullitionem positum.
Vinum elutriare: *Id est, transfundere.*
Vinum fundere.
Vinum meracius sumere.
Vini plenus.
Vino se ingurgitare.
Vino prolui.
Vino obrui.
Vinum exhalare.
Vinum edormire.

VIRES.

VIRES *ponuntur pro neruis, robore, conatu, uel potentia: sicq; maximè sunt corporis, & habitudinis firmioris. Sunt tamen etiam animi: quod fit per translationem.*
Vires dare.
Vires colligere.
Vires sumere.
Vires habere.
Vires experiri.
Vires tentare.
Vires exercere.
Pro viribus aliquid agere.
Omnibus viribus aliquid agere.
Vires frangi.
Vires aliquem deficere.
Vires amittere.
Vires reuocare.
Vires recuperare.

VIRGA.

VIRGA *est flagellum.*
Virgis cædere.
Virgas à corpore alicuius amouere.

VIRGO.

VIRGO *est fœmina nondum corrupta: id est, quæ rem cum mare nihildum habuit. Translatè de re omni intacta dicitur.*
Virginem comprimere.
Virginem vitiare.
Virginem violare.

VIRIDITAS.

VIRIDITAS *quid propriè sit, docent herbæ, docent arbores frondescentes, docent prata. Translatè uerò pro uiribus, uel robore eleganter aliquando ponunt uiriditatem Latini.*
Viriditatem habere.
Viriditatem auferre.
Viriditatem adimere.
Viriditatem amittere.

VIRTVS.

VIRTVS *est rectus actus, bonitas, probitas, integritas, absoluta ratio, uis eximia, præstantia, laus, gloria. Vel sic: Virtus est animi habitus, naturæ moderationi consentaneus. Vel sic: Virtus est affectio animi constans, conueniensq;, laudabiles efficiens eos, in quibus est. A' uiris autem uirtus nomen est mutuata.*
Virtutis amore teneri.
Virtutem consequi.
Virtutis compotem esse.
Virtute ornatum esse.
Virtutem habere.
Virtute omni vacuum esse.
Virtute carere.

VIS.

HVIVS *nominis significationem multiplicem esse constat. Ponitur aliquando pro numero, copia, uel abundantia: unde dicimus magnam uim uasorum: magnam uim auri, uel argenti: & similium. De quo significato scripsimus in primo*

Tomo nostro. Aliquando etiam in plurali ponitur pro robore, ut proximè docuimus. Præter hæc ponitur etiam pro uirtute, uel efficacia. Aut pro uiolentia, & impetu.

PRO VIRTVTE, VEL efficacia.

Vim dare.
Vim afferre.
Vim esse, uel inesse in re aliqua.
Vim habere.
Vim experiri.
Vim adimere.

PRO VIOLENTIA, uel impetu.

Ad uim uocare.
Ad uim descendere.
Vim denuntiare.
Vim suscipere contra aliquem.
Vim afferre.
Vim offerre.
Vim adhibere.
Vim facere.
Vim repellere.

VISCERA.

VISCERA significant parteis omneis illas, quæ continentur in uentre, & thorace: ut cor, pulmo, iecur, uentriculus, lien, intestina, matrix, & reliqua. Volunt etiam nonnulli uiscera dici carnem non tantùm intestinam, sed quicquid sub corio est: id est, quæ est inter ossa, & cutem. Translatè sæpe hoc nomen usurpant Latini.

In uisceribus hærere. Per translationem tam id elegans est, quàm quod dicimus, in medullis: ut, aliquem nobis hærere, uel inhærere in uisceribus: id est, uehementer à nobis amari, & nunquam illius memoriam à nobis abijci.

Malum aliquod insidere in uisceribus Reipublicæ.

Visceribus ærarij aliquid facere: id est, ærarium exhauriendo: uel sumptu ærarij.

A uisceribus alicuius aliquod malũ auertere.

VISIO, Visum.

VISIO est id, quod uidetur. Visum est somnium. Vtriq; tamen eandem significationem assignare rectè potes.

Visionem fieri.
Visum dare.
Visum obijcere.
Visis terreri.

VISVS, us, ui.

VISVS est uidendi actus: uel id, quod uidetur.

Sub uisum cadere.
Visum fallere.
Visum perstringere.

VITA.

VITA est non solùm uis ipsa, qua uiuunt siue rationis participia, siue rationis expertia: sed pro ipso etiam uitæ cursu à Latinis accipitur. Vnde dicimus uitam turpem, uel honestam agi, aut degi, pro uitæ cursum honestum, aut turpem tenere, atq; conficere. Præterea ponitur nonnunquam uita pro uictu ipso, & ciborum genere, quo uescimur. Itaq; uita sit generaliter communis spiritus, uitæ curriculum, uel uictus.

Vita honesta.
Vita constans.
Vita probata.
Vita suauis.
Vita iucunda.
Vita quieta.
Vita tranquilla.
Vita splendida.
Vita delicata.
Vita umbratilis.
Vita insuauis.
Vita amara.
Vita districta labore ambitionis.
Vita arida.
Vita horrida.
Vita agrestis.
Vita fera.
Vita sordida.
Vita uitiosa.
Vita flagitiosa.

Vita, cum blandientis est. Aliquando per hanc uocem eleganter blandimur, eum aliquem uitam nostram appellamus, cum, uel eam scilicet, in cuius desiderio toti acquiescimus. Cic. Famil. xiiij. Obsecro te, mea uita, quod ad sumptũ attinet, sine alios, qui possunt, si modò uolunt, sustinere.

Vitam dare.
Vitam afferre.
Vitam tradere.
Vitam concedere.
Vitam habere ab aliquo.
Vitam suppetere.
Vitam suppeditare.
In uitam edi.
In uitam uenire.
In uita esse.
Vitam agere.
Vitam degere.
Vitam, uel uita uiuere.
Vitam traducere.
Vitam producere.
Vitam perducere ad.
Vitam transigere.
Vitam exigere.
Vitam transire.

Vitam propa-

Vitam propagare.
Vitam teneri, vel contineri re aliqua.
Vitam retinere.
Vitam sustentare.
Vita frui.
In vita manere.
In vita commorari.
Vitæ parcere.
In vita seruare aliquem.
In uita retinere.
Vitæ cursus, vel curriculum.
Vitam instituere.
Vitam colere.
Vitam polire.
Vitam dirigere.
Vitam esse sic, *Pro sic esse institutam.*
Vitam sequi.
Vitam appetere.
Vitam persequi.
Ad vitæ exitum vocare.
Vita expellere.
Vitam adimere.
Vitam auferre.
Vitam eripere.
Vita priuare.
Vita orbare.
Vitam exhaurire.
Vita cedere.
E vita decedere.
E vita excedere.
A vita discedere.
A vita recedere.
E vita exire.
E vita desciscere.
E vita migrare.
E vita demigrare.
E vita emigrare.
Vitam deserere.
Vitam ponere.
Vitam profundere.
Vitam Naturæ reddere.
Vitam abijcere.
Vitam edere.
Vitalia lumina linquere.
Vitæ extremum spiritum edere.
Vitæ supremum diem agere.
Vitæ extremum diem morte conficere.
Vitam amittere.
Vitam dimittere.
Vitam aliquem deficere.
Vitam effluere.
Vita carere.
Ad vitam reuocare.
Vitam restituere.

VITIS.

VITIS, si propriam uocabuli uim retinet, materiam ipsam, atque adeo semen, siue plantam, qua uineæ conseruntur, significat. Quinetiam uitis lignum ipsum nodosum ex planta decerptum, & folijs nudatum denotat. Vnde castrensis olim moris, ac iuris fuisse scito, ut milites à Centurionibus uite cæderentur: hoc est, nodosa Vitis uirga, uel baculo ex antiqua uite facto.

Vitem mergis propagare.
Vitem exputare.
Vitem insecare.
Vitem amputare.
Vitem ablaqueare.
Vitem procidere.
Vitem stercorare.
Vites inserere.
Vitem adæquare.
Vitem adobruere.
Vitem aggregare.
Vitem propagare.
Vitem pampinis spoliare.
Vitem renouellare.
Vitem repullulascere.
Vitem repubescere.
Vitem adminiculare.
Vites alligare.
Vites nodare.
Vites viere, vel vincire.
Vites statuminare.
Vites pedare, vel impedare.
Vites vallare.
Vites iugare.

Harum omnium locutionum uide expositionem, & exempla in Tomo secundo nostrorum Commentariorum.

VITIARIVM.

VITIARIVM ferè idem, ac uinetum, significat: sed hoc à uinea ductum est: illud à uite. Est autem uitiarium ager uitibus uestitus.

Vitiarium facere.

VITIVM.

VITIVM ita ferè definitur, ut dicatur propriè, quod uirtuti sit oppositum. Non tantùm uerò ad animum refertur, sed etiam ad corpus: unde uitiosum mancipium, uel uitiosum iumentum: id est, morbosum. Pertinet etiam ad res ipsas: ut, ædes uitiosæ, tabulata uitiosa, quæ scilicet uitium faciunt. Capitur quoque pro uitiositate. Aliquando item pro culpa. Aliquando pro stupro. Extra has omneis significationes interdum ad auguriorum, & auspiciorum rationem pertinet. Etenim quod in augurijs, uel auspicijs inauspicatò fit, id etiam uitio fieri dicunt Latini.

AD RATIONEM AVGVriorum pertinens.

Vitium obuenire.
Vitium obnuntiare.
Vitio aliquid fieri: *Id est, non seruatis rite augurriorum cerimonijs.*
Vitio magistratum capessere.

EXTRA EAM SIGNIficationem.

Vitium virgini offerre, vel inferre: *Id est, uim, uel stuprum.*
Vitio aliquid alicui vertere.
In vitio ponere aliquid alicui.
Vitiorum gurges.
Vitiorum vorago.
In vitium delabi.
Vitium concipere.
Vitio affinis.
In vitio esse: *Id est, uitio affinem esse.*
Vitijs cumulari.
Vitijs inquinare.
Vitijs contaminare.
A' vitijs abstinere.
Vitia declinare.
Vitia effugere.
Vitio carere.
A' vitio abesse.
Vitium ponere: *Pro abijcere, uel à uitio se remouere.*
Vitium alicui in bonum conuertere.

VITVPERATIO.

VITVPERARE *est crimini, uel culpæ dare: uel de dignitate, & autoritate alicuius detrahere, uel deformare. Verbi sui significationem uerbale ipsum retinet. Et tam paßiuè, quàm actiuè ponitur.*

In vituperationem adducere.
In vituperationem cadere.
In vituperationem venire.
Vituperationem subire.
Vituperationem vitare.
Vituperationem effugere.
Vituperatione liberare.

VMBRA.

VMBRA *est aër carens sole: quod fit alicuius corporis obiectu, præsertim nubium. Ponitur etiam aliquando pro imagine: cui opponitur solida, & expressa effigies. Dicuntur & umbræ, quas faciunt pictores, ut imagines, quæ planæ sunt, solidæ uideantur. Adhæc ponitur translatè pro specie quadam, & quod uerisimile dicitur. Appellantur item umbræ inferorum imagines. Porrò umbræ prouerbiali locutione dicebantur hi, qui uenirent ad conuiuium, non ipsi quidem uocati, sed comites eorum, qui uocati fuerant, sic illos sequentes, uelut umbra corpus ultro sequitur.*

Ne vmbram quidem eius nouit.
Velut vmbra, sequi. *Velut umbra sequi dicitur, qui nunquam deest. Nam umbra corpus affectatur, uelit, nolit.*
Vmbram suam metuere. *Suam ipsius umbram metuere dicuntur, qui pueriliter trepidant, ubi omnino nihil sit periculi.*

VNGVENTVM.

VNGVENTVM *non est medicamentum, ut uulgus existimat, & tenax illa compositio, qua Chirurgi utuntur ad uulnera curanda: sed commistio odorum diuersorum, addito oleo, aut balsamo, aut aliquo pingui ad ungenda corpora, deliciarum, & luxuriæ causa inuenta.*

Vnguentum condire, vel componere.
Vnguento perfricare.
Vnguentis oblinere.
Vnguentis ungere.
Vnguentis affluere.
Vnguenta olere.

VNGVIS.

VNGVES *sunt digitorum extremæ partes: & propriè eorum animalium sunt, quæ digitos habent separatos, ut sunt Homines, Simiæ, Aues.*

Ne latum, vel transuersum quidem vnguem à re aliqua discedere.
Ab imis vnguibus vsque ad verticem summum perpendere aliquem.
Vngulis omnibus aliquid facere: *Id est, omnibus uiribus.*
A' teneris vnguiculis: *Id est, à prima pueritia.*
Vnguem existere in vlcere: *Id est, rem per se satis acerbam exulcerare grauiùs. Cic. pro domo sua: Tu in hoc ulcere tanquam unguis existeres.*

VOLVMEN.

VOLVMEN *est liber, in quo scripta quælibet continentur: quod à uoluendo dictum tradunt, quoniam Maiores in Libris arborum: id est, corticibus (libri enim propria ea significatio est) scripta sua, quò ea ferrent commodiùs, complicabant: ideó que uolumina appellata sunt.*

In uolumen referre.
In volumen redigere.
Volumen conficere.
Volumen efficere.
Volumen explicare.

VOLVNTAS.

VOLVNTAS *duplici significato est. Interdum pro beneuola animi inductione à Latinis ponitur. Interdum pro consilio, & mente.*

PRO

PRO BENEVOLA ANImi inductione.

Voluntatem conciliare.
Voluntates conglutinare.
Voluntates copulare.
Voluntatem alicuius ad aliquem accedere.
Voluntatem conferre in aliquem.
Voluntatem profiteri: *Id est, deferre, uel conferre.*
Voluntatem habere erga aliquem.
Voluntatem declarare.
Voluntatem præstare.
Voluntatem accipi: *Id est, redamari.*
Voluntatem emetiri.
Voluntatem conseruare.
Voluntatem retinere.
In voluntate manere.
Voluntatem mutare.
De voluntate remittere.
Voluntatem alienare.
Voluntatem alicuius ab aliquo abhorrere.
Voluntatem reconciliare.
Voluntatem recuperare.

PRO INSTITVTO, SENtentia, consilio.

In voluntatem adducere.
Voluntatem suscipere.
Voluntatem habere.
In voluntate esse.
Ad voluntatem incumbere.
Voluntatem mutare.
Voluntatem abijcere.
Ex voluntate aliquid facere.
Ex voluntate aliquo vti.

VOLVPTAS.

VOLVPTAS est elata præter modum letitia, opinione præsentis alicuius boni. Vnde quicquid cum delectatione animũ demulcet, uoluptas dicitur. Vel dicitur uoluptas, quæ suauitate aliqua naturam ipsam mouet, & cum iucunditate quadam percipitur sensibus. Ad summam: omne id, quo gaudemus, uoluptas est: ut omne, quo offendimur, dolor. Indifferenter tam in bonam, quàm in malam partem sumitur, etiam sine adiectiuo id designante.

Voluptati esse.
Voluptatem dare.
Voluptatem efficere.
Voluptatem conficere.
Voluptate afficere.
Voluptate perfundere.
Voluptatem capere.
Voluptatem sumere.
Voluptatem accipere.
Voluptatem percipere.
Voluptatem habere.
In voluptate esse.
Voluptate titillari.
Voluptate omnia metiri.
Voluptatibus se dedere.
Voluptatibus affluere.
Voluptatibus colliquescere.
Voluptatibus pessundari.

VOTVM.

VOTVM propriè est promißio facta Deo, uoluntas, desiderium, quòd ea ualde desideramus, quæ uoto à Deo poscimus.

Votum vouere.
Votum nuncupare. *Vota nuncupare est uota polliceri, & destinare uel pro felici rerum euentu, uel pro alicuius salute: quod apud Antiquos non fiebat sine solenni ritu, & religione. Vnde dicebantur nuncupata uota, quæ Consules, Pretores, Imperatores, cùm in Prouincias proficiscebantur, faciebant: eáque in tabulas præsentibus multis referebantur.*
Votum suscipere.
Votum facere.
Votum debere.
Votum reddere.
Votum soluere.
Votum persoluere.

VOX.

VOX generaliter est omne, quod sonat. Ponitur persæpe pro sermone, uel uerbis ipsis.

Vox mollis.
Vox muliebris.
Vox effœminata.
Vox absona.
Vox absurda.
Vox agrestis, vel rustica.
Vox rauca.
Vox inclinata.
Vox vlulans.
Vox dura.
Vox fusca.
Vox dulcis.
Vox suauis.
Vox clara.
Vox grandior.
Vox plenior.
Vox canora.
Vox lenis.
Vocem excitare.

Vocem elicere.
Vocem intendere.
Vocem contendere.
Vocem tollere.
Vocem flectere.
Vocem mutare.
Vocem mittere.
Vocem habere: *Pro mittere.*
Vocem supprimere.
Vocem includere.
Vocem occultare.
Vocem hærere.
Vocem consistere.

VRBANITAS.

VRBANITAS *significat salem, uel festiuitatem, in qua nihil insit absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum: & in qua neque sensu, neque uerbis, neque ore, gestu'ue poßit quicquam reprehendi.*

Vrbanitate limatum esse.
Vrbanitatem exarescere.
Vrbanitatem deponere.

VRBS.

VRBS *est oppidum muro cinctum. Pro ciuibus ipsis ponitur aliquando figuratè. Dicimus etiam eleganter urbem interiorem, urbem infimam, pro interiore, uel infima urbis parte.*

Vrbs & natura, & situ, & ædificiorum descriptione, & pulchritudine in primis nobilis.
Vrbs pulcherrima.
Vrbs florentißima.
Vrbs potentißima.
Vrbem constituere.
Vrbem ædificare.
Vrbem inuadere.
Vrbem capere.
Vrbem excindere.
Vrbem euertere.
Vrbem relinquere.
Vrbem deserere.
Vrbe excedere.
Ab vrbe abesse.

VSVRA.

VSVRA *aliquando idem est, quod usus: unde dicimus lucis, temporis, horæ usuram dare, largiri, eripere, auferre. Quas locutiones suis locis antea annotauimus. At aliquando ponitur pro pecunia, quæ in fœnore sorti accedit.*

PRO VSV.

Vsuram rei alicuius dare, vel largiri.
Vsuram intermittere.
Vsuram eripere.
Vsuram sarcire.

PRO FOENORE.

Vsuræ cauere.
Vsuram pendere.
Vsuram consistere.

VSVS, us, ui.

VSVS *quadrifariam maximè à Latinis ponitur. Primum pro consuetudine, et familiaritate. Deinde pro eo, quod necessarium est, & commodum. Ponitur quoque adiectiuè: ut, De cæteris studijs alio loco dicemus, si usus fuerit: id est, si opus, uel necessarium fuerit. Ponitur præterea pro exercitatione, uel tractatione.*

PRO CONSVETVDINE, *& familiaritate.*

Vsum maximum intercedere inter aliquos.
Vsum esse summum alicui cum aliquo.

PRO EXERCITATIONE.

Vsu imbui.
Vsum habere. *Res etiam usum habere dicitur, quæ in usu est.*
In vsu esse.
Vsu facere aliquid.
Vsu valere.
Vsu venire.
Mihi sic est vsus: *Id est, consueui: uel is meus mos est.*

PRO RE COMMODA, *& utili, uel necessaria.*

Vsum afferre.
Vsum dare.
Vsui esse.
Ex vsu esse.
Vsum percipere.
Vsum habere, *Pro percipere.*
Vsum adimere.
Vsum auferre.

VSVSFRVCTVS.

VSVSFRVCTVS *dicitur, cùm res aliqua non nostra est, sed perinde ex ea fructum, atque utilitatem capimus, ac si nostra esset. Vel est ius alienis rebus utendi, fruendi'que, salua rerum substantia.*

Vsumfructum alicui legare.

VTILITAS.

VTILITAS *est fructus, uel emolumentum.*

Vtilitatem

Vtilitati seruire.
Ad vtilitatem referre.
Vtilitatem habere. *Vtilitatem habere res dicitur, quæ utilitatem affert.*
Vtilitatem afferre.
Vtilitatem omittere.

VVLGVS.

VVLGVS *turbam, & multitudinem significat. Extra tritum usum ornatius aliquando in oratione ponitur: ut apud Ciceronem pro Mil. Cum uxore uehebatur in rheda penulatus, uulgi magno impedimento, ac muliebri, & delicato ancillarum, puerorumq; comitatu. Ponitur etiam eleganter, cùm dicimus per contemptum, uulgus imperitorum, uulgus seruorum, uulgus patronorum, & similia.*

In vulgus tribuere aliquid.
In vulgus gratum esse: *Id est uulgo.*
In vulgus ignotum esse: *Id est, apud.*
In vulgus exire.
In vulgus emanare.
In vulgus valere.
In vulgus commendari.
In vulgus nomen retinere.
In vulgus indicare: *Id est, uulgo.*
Vulgò aliquid circunferri.
Vulgò aliquid haberi.

VVLNVS.

NOTVM *omnibus est, quæ uulgaris sit uulneris significatio. Translatè uerò aliquando ponitur: & significat adamitatem, damnum, exitium, uel perniciem.*

PROPRIE POSITVM.

Vulnus inferre.
Vulnus impingere.
Vulnus accipere, vel excipere.
Vulneribus confici.
Vulnus sustinere.
Vulnus diuellere.
Vulnus retractare.
Vulnus recrudescere.

TRANSLATE.

Vulnus imponere.
Vulnus inurere.
Vulnus infligere.
Vulnere percuti, *Pro calamitate affligi.*
Vulnus accipere.
Vulnus sanare.

VVLTVS.

DICITVR *uultus uoluntas hominis, quæ pro motu animi in facie ostenditur. Sic uultus magis ad animum refertur, atque uoluntatem. Facies uerò magis ad corpus. Inde dicimus irato, & mœsto uultu potius, quàm facie: & contrà, lata, aut longa facie, non uultu. Est tamen aliquando, ubi utroque uti liceat: ut, fœdata facie, & fœdato uultu: scissa facie, & scisso uultu: conuersa facie, & conuerso uultu.*

Vultum præbere.
Vultum fingere.
Vultum simulare.
Vultum alicuius cadere: *Id est, mutari.*
Vultum mutare.
Vultus alicuius exprimere.
Vultum alicuius subire.
Vultum ferre alicuius.
In vultu alicuius acquiescere.

VXOR.

VXOR *est, quam in matrimonio quis habet, quæ matrimonium alicuius tenet, particeps scilicet connubij. Vxor autem quasi unxor dicitur. Mos enim fuit apud Antiquos, ut nubentes puellæ, simul cùm uenissent ad limen mariti, postes, antequàm ingrederentur, ornarent laneis uittis, & oleo ungerent. Et inde uxores dictæ sunt, quasi unxores.*

Vxorem sibi adiungere.
Vxorem, vel in vxorem ducere.
Vxorem habere.
Vxorem repudiare.
Vxori nuntium remittere.





DOLETVS.

Durior est spectatæ uirtutis, quàm incognitæ, conditio.

